UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

urn:nbn:de:hbz:466:1-66472

Visual Library

Nr. 5178.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ DEFINITORE PROVINCIALI,
OLIM S. THEOLOGIÆ AC SS. CANONUM
LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA.

CONTINUATORIS
TOMUS UNDECIMUS
SEU IN ORDINE
TOMUS XXXV.
Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529.

Collegii S. J.
Cad. 1770



AUGUSTÆ VINDELICORUM & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXIX.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO.

Nondum seneſcebat Lutheri Secta, & jamjam exinde tota Germania, pluraque alia Regna graviſſimis ubique malis, ac calamitatibus inundabantur: nil niſi bella & ſeditiones, fraudes ac doli, rapinæ, ac effrænis morum licentia, auſusque ſacrilegi audiebantur, adeo, ut ipſemet Carolus V. Wormatiæ in publicis Imperii Comitiis Anno 1521. habitis in ſuo edicto afferere haud dubitaret, quod *Martinus Lutherus erroribus & hæreſibus ab orthodoxa fide longe alienis Religionem Chriſtianam præſertim in inclyta Germaniça Natione ita inficere conetur, ut niſi mature occurratur, tota hæc Natio & deinde ſerpente contagione univerſa Chriſtiana Respublica in abominandum ſchiſma, & bonorum morum, pacisque, ac tandem deteſtandam ſui perniciem prolapſura videatur.* Id ipſum

sum quoque jam dudum Jacobus Laingæus Scotus Sorbonicus Doctor (a) non tam verbis descripsit, quam lacrimis deploravit: *Quis*, inquit, *cladem illius pestiferi belli, quis funera fando explicet? Aut possit lacrimis æquare dolores? hic urbem contra urbem, & pagum contra pagum, civem contra civem, & quod gravius est, fratrem contra fratrem, imo filium, (horresco referens) contra Patrem crudeliter, & immisericorditer pugnantem vidisses.*

Hanc vero malorum congeriem idem invictissimus Cæsar Carolus velut in compendium redactam his verbis enarrat (b): *Martinus homo usque adeo novarum rerum ac potius perditionis humanæ cupidus, ut nihil fere scripserit, vel saltem suo nomine divulgaverit, cui non aliqua pestis, aliquis lethalis insit aculeus: præter illos libros, ne nominandos quidem, ob execrandam eorum materiam, ipsius tamen titulo editos, & ab eo cum reliquis ut suos agnitos, quorum singula verba, singula venena merito quis dicat. Et ne omnia, quæ innumerabilia sunt Lutheri errata, singulatim percenseantur, tanquam si hic unus, non homo, sed diabolus ipse, sub hominis specie, ad perniciem humani generis, assumpta Monachi cuculla, quam plurimorum Hæreticorum damnatissimas hæreses, jam diu sepultas, in unam sententiam con-*

(a) In vita Andreæ Carlostadii edit. an. 1581.
(b) Loc. cit.

congeſſerit, & aliquas etiam noviſſime de ſuo excogitaverit, ſub ſimulata prædicatione fidei, quam ad prætexendos ſuos dolos, tam ſæpe, tantoque opere objicit: fidem veram prorſus deſtruit, ſub libertatis, quam promittit, ſpecie, diaboli jugum & ſervitutem inducit, & ſub Evangelicæ profeſſionis nomine, omnem Evangelicam pacem & charitatem, omnemque rerum ordinem, & pulcherrimam denique totius Eccleſiæ faciem invertere, labefactare, & penitus peſſumdare molitur.

Hæc autem mala tanquam ex primo fonte ſcaturiebant ex Lutheri petulantia, qua ſupremam Romanorum Pontificum auctoritatem ac jurisdictionem abolere conatus eſt; cum enim inter ceteras artes, & fraudes ad conciliandum ſibi Principum favorem ac præſidium necnon ad introducendos & propugnandos errores nullum aptius æque ac efficacius medium fore cenſeret, quam ſi depreſſa ſupremi in ſacris Capitis auctoritate Principibus profanis fallaci ſubmiſſione & ſubdolis adulationibus, ſingularem, ſæculique palato captioſe attemperatam regiminis prærogativam adſtrueret, hinc Principibus, qui ejus caſtra ſequerentur, nullis limitibus circumſcriptam, ac nemini in quacunque re niſi ſoli Deo ſubjectam poteſtatem in omnes cujuscunque conditionis homines, cunctaque ſubditorum bona tam ſacra quam profana attri-

buit. Hæc commoda, hancque regiminis prærogativam, jactitabat Lutherus (c) Principes unice meæ debent doctrinæ, quæ illos ad supremum auctoritatis gradum evehit,

(c) Tom. 4. Jen. Germ. fol. 819. Wohlan, wo ein Dank um die verfluchte schändliche Welt zu verdienen wäre, und ich D. Martin Luther sonst nichts Gutes gelehrt, noch gethan hätte, denn daß ich das weltliche Regiment der Obrigkeit so erleuchtet, und gezieret habe, so solten sie doch dieses einzigen Stücks halber mir danken, und günstig seyn: weil sie allesamt, auch meine ärgste Feinde, wohl wissen, daß solcher Verstand von weltlicher Obrigkeit in dem Pabstthume nicht allein unter der Bank gelegen, sondern auch unter aller stinkenden, lausigen Pfaffen, Mönchen, und Bettler Füßen hat müßen sich drücken und tretten lassen, denn solchen Ruhm und Ehre hab ich von Gottes Gnaden darvon, es sey dem Teufel, und allen seinen Schuppen lieb, oder leid, daß seit der Apostel Zeit kein Doctor, noch Scribent, kein Theologus, noch Jurist so herrlich und klärlich die Gewissen der weltlichen Stände bestättiget, das weiß ich fürwahr; dann mich Ambrosius, noch Augustinus, die doch die besten sind in diesem Stück, mir hierin nicht gleich sind, das rühme ich mich Gott zu Lob, und Danck, dem Teufel, und allen meinen Tyrannen, und Feinden zu Leyd, und Verdruß: und weiß, daß solcher Ruhm wahrhafftig, und beyde für Gott, und der Welt muß bekannt seyn, und bleiben, solten sie auch toll thöricht darüber werden.

hit, ac tandem ex manco, & dimidiato, quod Principes Catholici ſub Romano Pontifice & Epiſcopis duntaxat precario obtinent, dominatu ac poteſtate extrahit. Quamvis vero hæc Lutheri ſponſio nil niſi grandiloquas ampullas & ſeſquipedalia verba complectatur, multoque plus inanis ſpeciei, quam veritatis, plusque clamoris quam lanæ contineat, nilque niſi ementitum ſit ex pelvi fulgur, nihilominus certum eſt, quod Proteſtantes nullo alio fræno & repagulo quam iſto efficacius a noſtris ſacris, & a reditu ad veram Eccleſiam cohibeantur, atque in eorum defectione confirmentur. Ex eo enim, quod Lutheri doctrina non minus, quam Mahometis Secta non modo humana ac profana, ſed & ſacra divinaque jura abſoluto ſæcularis poteſtatis dominio, atque arbitrio attribuat, hinc ex ſpeciali quadam nota Sectæ ſuæ veritatem comprobari jactitant, ex adverſo autem Catholicam Religionem, ni falſam, ſaltem ſæculari Majeſtati ſupremæ præjudicioſam criminantur, eoquod illius dogmata abſolutæ poteſtatis juribus derogent, eaque imminuant.

Erit igitur operæ pretium, ut quantum ingenii mei vires, ac unius præfationis, temporisque anguſtiæ patiuntur, demonſtrare aggrediar: I. Quod profanæ ac ſupremæ poteſtatis & Jurisdictionis auctoritas & Majeſtas Catholicæ Religionis dog-

matibus tanquam firmo atque immobili fulcro longe tutius, quam Proteſtantum doctrinæ innitatur, majoremque exinde ſplendorem obtineat. II. Quod Lutheri, ſuorumque dogma de abſoluto Majeſtatis Imperio etiam in ſacra Deo & Eccleſiæ ſit ſummopere injurioſum, ac Principum poteſtati longe perniciosiſſimum. III. Quod nonniſi per impudentiſſimam calumniam ſummi Pontifices atque Epiſcopi accuſentur, perinde acſi profanæ Majeſtatis jura imminuerent, & deprimerent.

Ab ipſis etiam Politicis & Proteſtantibus receptum eſſe axioma arbitror, quod ſuprema Principum Majeſtas firmæ ac conſtanti ſubditorum perſuaſioni de juribus ac potentia ſummi Imperantis innitatur, quocirca ad dominativam, ut vocant, Principis auctoritatem atque jurisdictionem duo requiruntur; 1. *vires*, 2. *juſtæ cauſſæ* alios homines adſtringendi, ſuoque imperio per leges & pœnas ſubjiciendi; cum enim omnes homines natura ſint æquales, nullusque alteri ſit ſubditus, præter vim ſeu alterum ſubjugandi vires, graves quoque ac legitimæ cauſſæ concurrere debent, ob quas aliquis homo ſpecialiter ſibi jus in alios ſibi ſimiles arrogare poteſt, eosque adſtringere velit, ut hi potius juxta ejus, quam ſecundum propriam voluntatem atque arbitrium actiones ſuas dirigant. Præprimis vero hæ

vires

vires potiſſimum oriuntur ex eo, quod certa hominum multitudo ſuam voluntatem ac potentiam ultronee conjungant, ac vel vi juramenti, vel pacti ac mutui conſenſus uni perſonæ vel Collegio fidem, obedientiam & ſubmiſſionem devoveant; ex hac igitur conjunctione Princeps, vel Magiſtratus neceſſarias aquirit vires auctoritatemque, qua ſuis ſubditis ſupremam curam in conſervanda communi ſalute, tranquillitate ac publica ſecuritate impendere, illis imperare, eosque in obſequio continere, necnon adverſus civiles & exteros tumultus ac hoſtes efficacibus mediis tueri poſſit, ac debeat.

Præterea legitimæ gravesque omnino requiruntur cauſſæ, quæ hominibus perſuadeant, quod ejusmodi potenti Viro ac Principi, vel Magiſtratui non tantum externo, ſed etiam interno obſequio, ſeu *propter conſcientiam*, ut inquit Apoſtolus, ſuam ſubmiſſionem exhibere teneantur, ejusque poteſtatem & imperia tanquam ſacra, nec ullo pacto violanda reſpicere, venerari ac timere adſtringantur. Quoniam vero ob humanæ voluntatis mutabilitatem ac depravatæ naturæ pronitatem ad malum, necnon propter immodicum libertatis amorem ægre hominibus firma, conſtans, ac certa ejusmodi perſuaſio inhæreat, & facile profanæ ac mere temporalis poteſtatis imperia ab aliquibus contemni, imo ipſæ

etiam civiles pœnæ vel ſceleribus occulte perpetratis, vel non raro dolo aut potentiorum vi, favore, ac patrocinio, vel ſaltem temporali morte eludi poſſint, proin ipſa hæc Majeſtas infirmo adhuc atque caduco innitatur fulcro, hinc neceſſe erat, ut hominibus ejusmodi cauſſæ proponerentur, ex quarum cognitione ſe firmiter perſuaſos eſſe ſentiant, quod ejusmodi ſupremæ Majeſtati ejusque legibus tanta vis ſit indita, ut fidelis harum legum obſervantia plurimum tam pro præſenti quam futura vita proſit, illarum autem transgreſſio non modo publica, ſed etiam occulta noceat, nullaque fraude, repugnantia vel humana ope & arbitrio, imo ne ipſa quidem morte eludi valeat: Verbo, ut ſubditi non tam ex metu civilis pœnæ, quam virtutis amore, & ex fine Salutis ſuæ æternæ interno etiam obſequio ſeſe ſubjiciant. Hanc vero vim omnis poteſtas a Deo data ab ipſo ſupremo Dei dominio ejusque præcepto ac voluntate participat: hæc igitur prima atque efficaciſſima eſt cauſſa, quæ hominibus tale obſequium ſuadet, ac ſupremam Principum Majeſtatem firmam reddit: cum autem hanc ipſam cauſſam Chriſtiano populo unice Dei Verbum per Eccleſiam certo & infallibiliter manifeſtatum proponat, neceſſario ad talem perſuaſionem pura, vera, ſancta, firma, atque infallibilis Religio requiritur, quæ legitimam hanc cauſſam de impe-

imperantis jure tanquam immotam agendi normam exponat; sola enim Religio est anima, vinculum, basis & firmamentum omnium Societatum, & absque ea nullum juramentum, pactum, fides aut promissum vel publica securitas conservari potest.

Ast hæc sola est Religio Catholica; quippe in sola illa articulus fidei de suprema atque inviolabili potestate ac Majestate profana infallibilibus sacræ Paginæ testimoniis, & immotis Ecclesiæ universalis traditionibus innixus certo & infallibiliter proponitur, simulque uniformi totius antiquissimæ Ecclesiæ Catholicæ consensu in eodem sensu ac intellectu comprobatur, atque extra omne dubium stabilitur, adeo, ut legitimæ potestatis Jurisdictio eandem immotam firmitatem, atque infallibilem, diuturnamque certitudinem obtineat, quam ipsamet Ecclesia habet, proin sicut illa nec a Catholicis negari, impugnari, in dubium vocari imo nequidem a portis inferi everti potest, ita hæc quoque jurisdictio concuti nequit: paucis dicam, quo certior, firmior, magisque infallibilis est Religio, eo tutius quoque ac firmius, magisque infallibile est id, quod ei unice innititur, scilicet suprema profanæ potestatis jurisdictio, cujus persuasio ex ipsa divina Fide hauritur, atque ex eadem fide subditorum quisvis se non modo ex jure humano, sed & divino supremæ

mæ poteſtati obedientiam præſtare, indubitanter obſtrictum agnoſcit. Huc accedit, quod apud Catholicos ex ipſo Eccleſiæ Regimine major etiam profanæ poteſtatis firmitas ſequatur, cum illud itidem firmiſſimum ſit, eoquod intimo ac nunquam ſolubili nexu membra corpori, corpusque membris in uno eodemque fine unitis cohæreant; hæc vero prærogativa unice Eccleſiæ Catholicæ regimini competit, cum illud Monarchicum ſit, imo Eccleſiæ veræ ſtatus ægre conſiſtere poſſet, niſi Monarchica eſſet regiminis norma; cum enim univerſalis Eccleſia nonniſi unicum efficiat Regnum, civitatem, domum, ac unicum militantem exercitum, unumque ovile ac corpus & ſub uniformi fidei norma, ſub iisdem omnino legibus ac Sacramentis ſemper & ubique conjuncta ſit, proin omnia hujus corporis membra per eadem media ad eundem finem pertingere debeant, hujus corporis regimen Monarchicum eſſe oportet. In hoc enim corpore Principes æque ac plebæi, omnisque conditionis homines „ ad con-
„ ſummationem Sanctorum in ædificatio-
„ nem corporis Chriſti, in unitatem fidei
„ & agnitionis Filii Dei concurrere debent,
„ ne ultra tanquam parvuli fluctuantes cir-
„ cumferantur omni vento doctrinæ in ne-
„ quitia hominum, in aſtutia ad circum-
„ ventionem erroris, ſed veritatem facien-
„ tes in charitate creſcant in illo per om-
„ nia,

„ nia, qui est Caput Christus, ex quo to-
„ tum Corpus compactum & connexum
„ per omnem junctúram subministrationis
„ secundum operationem in mensuram u-
„ niuscujusque membri augmentum cor-
„ poris facit in ædificationem sui in cha-
„ ritate. Ephes. c. 4. v. 12. & seq. Exinde vero sequitur, quod ejus fidei confessio in omnibus credentibus uniformis ac communis esse debeat, & quodlibet Ecclesiæ membrum se obstrictum agnoscat, ut omnia credenda semper credat, eoquod Ecclesia sit una, fides quoque sit una, omnesque fidei articuli inter se tanquam cujusdam catennæ annulli cohæreant, ita, ut si quis unicum dissolvat, totam connexionem disrumpat; sequitur etiam, quod omnia membra, omnesque status atque officia in una Ecclesiæ auctoritate tanquam in centro ac puncto indivisibili per uniformem submissionem conveniant. Hinc quamdiu Ecclesia supremam suam in Sacris potestatem conservat, tamdiu ipsa Religio tuta manet, omnesque articuli inter se immoto vinculo cohærent, deficiente vero hac Ecclesiæ auctoritate nullus fidei articulus, imo ne ille quidem de obedientia supremo Principi præstanda (d) satis præmunitus est, sed facile impugnari, in dubium vocari, ac proprii judicii

(d) Ad Rom. 13. 1. Tim. 2. 1. Petr. cap. 2.

judicii ope abrogari, vel centenis obtentibus, quos variæ proprii quæstus vel affectionum rationes excogitant, everti, ac siniſtra interpretatione eludi poterit.

Cum ergo in Proteſtantum Secta infallibilis, certa, una, conſormis, atque immutabilis membra regendi auctoritas deſit, Principum quoque ac Magiſtratuum jurisdictio variæ, dubiæ, ac mutabili ſubditorum voluntati, arbitrio, criſi, & judicio expoſita eſt. Præprimis enim ſola vis coactiva, pœnæque metus communiter omnes ad reverendam ſupremam hanc poteſtatem circa omnes actus compellere nequit, eoquod illa ſæpe dolis, fraudibus, vel potentiorum auctoritate eluditur: interna vero perſuaſio ac conſcientiæ dictamen de poteſtatis a Deo datæ juſtitia juxta Proteſtantes ſoli ſcripto Dei Verbo tanquam unicæ credendi Regulæ innititur, cum autem I. Nullus Lutheri vel Calvini Sectator nullum dogma ex quodam ſacri Codicis textu comprobare valeat, quin idem dogma ſecluſo infallibili Judice ac interprete ex alio ejusdem Codicis textu facile everti, atque oppoſitum evinci valeat, prout ex ipſa hæreſum diverſitate ad oculum patet (e), ac inſuper II. Luthera-

(e) Hanc in rem conſule Flacii clavem Scripturæ, Glaſſii Philologiam, Pfeifferi S. Hermeneuticam & dubia vexat. Script.

theranus &c. ad quemdam articulum fide divina credendum ex ſacræ Paginæ textu induci haud velit, niſi ei privatus illius Spiritus, ac judicium dictet, hunc textum ita & non aliter eſſe intelligendum, ac præterea ſi præfati textus interpretatio adhuc ipſi obſcura, vel dubia videtur, ejusmodi Lutherano integrum ſit, omnem huic dogmati fidem abnegare, ac ſecum ſtatuere, quod Deus verum hujus textus ſenſum necdum ipſi manifeſtare velit, proin Eccleſiæ ſuæ juribus ac privilegiis, quæ ab ipſis *Libertas Chriſtiana* vocantur, licite uti valeat, hæc vero præſumpta libertas, quando de interpretando ejusmodi textu agitur, plerumque illum ſenſum eſſe verum ſuadeat, qui interpretantis inclinationi, commodo, quæſtui, deſideriis, affectibus, libertati, carni & ſanguini magis accommodus cenſetur, hinc manifeſte ſequitur, quod ejusmodi Religio & fides non ſit certa, uniformis, ſecura & infallibilis, proin nec ipſamet poteſtas ſuprema, quæ eidem innititur, ſpectata talis Religionis natura ſit tuta, ac immobilis, ſed ſemper ſubditorum judiciis, conſiliis ac machinationibus eidem poteſtati vel maxime nocivis exponatur: vigente igitur libertate, qua quivis Verbi divini textus, quibus ſuprema Majeſtas fulcitur, pro ſuo arbitrio dijudicare, interpretari, detorquere, immutare, ſuæque criſi ſubjicere permittitur, quanta, quæſo, mala ejusmodi liber-

libertas (quæ tamen unica Lutheranæ Ecclesiæ prærogativa) apud indomitam plebem Aulæque Ministros proprii quæstus & commodi studiosos progerminabit? nonne Anabaptistæ, qui ex Lutheranorum Secta prodierunt, hac libertate usi ex ipsis sacræ Paginæ textibus juxta privatum judicium intellectis supremam Principum ac Magistratuum auctoritatem cum majori veritatis specie impugnarunt, quam Lutherani eandem defenderunt? Adeo, ut omnibus manifestum fuerit, quod hic Spiritus privatus omnino fallax, ac fæcundus sit errorum parens, atque automiam inducat, cum vi hujus doctrinæ Lutheri æque ac Calvini aliorumque Novatorum alumni suos unice proprii judicii ac voluntatis impetus sequantur, nec eorum judicium cuidam Ecclesiæ Corpori vel Societati imo ne ipsi quidem sacræ Scripturæ, nisi eam suo judicio prius comprobaverint, subjicere teneantur, eoquod nec ullum hominem, nullam Synodum pro legitimo, certo ac infallibili Judice ac interprete agnoscant, nullumque aliud habeant medium, in quod omnes unanimiter, necessario, ac semper conspirent, atque ad illud in suis dubiis, vel decisionibus amplectendum in conscientia adstringi possint: proin tam in sacro quam profano statu omnibus erroribus, tumultibus, ac confusionibus janua aperitur, ac supremæ Majestatis jura a cujuslibet arbi-

trio

trio & judicio facile infringi, vel omnino everti possunt.

Quod autem ipsæ Novatorum Sectæ subditos eo inducant, ut Principum suorum auctoritatem ac jurisdictionem, legumque vim pro suo arbitrio imminuere, deprimere, ac sensim penitus pessumdare valeant, haud luculentiori demonstrari potest argumento, quam ipsius Protoparentis Lutheri exemplo ac doctrinis; hic enim in libro de captivitate Babylonica suos disertis verbis ita adhortatur: *Nulla est alia remedii spes, nisi revocato libertatis Evangelio, secundum ipsum semel extinctis omnibus hominum legibus, omnia judicemus, & regamus*, & rursum alibi (f) ait: *Inter Christianos nec potest, nec debet esse ulla suprema potestas, sed quilibet simul est alteri subditus, ut ait D. Paulus ad Rom. 13. Omnis anima alterius potestati sit subdita.* Dum autem Lutherus Sueviæ Rusticos ad pacem hortabatur, hæc proferre haud dubitabat: *Suprema potestas non prohibeat, quod quilibet docet, & credit, sive sit Evangelium sive mendacium.* Tædium parerem, si plura (g) iniqua

(f) L. de sæcul. Magist. an. 1523.

(g) Item loco citato Lutherus suos a Principum jurisdictione ac potestate legislativa perversis hisce doctrinis eximit, dum ait: Heißt ihr (Fürsten oder Magistrat) mich glauben, oder Bücher von

iniqua proferrem Lutheri dogmata, quibus ſupremam poteſtatem Principibus abnegat. Præterea Magiſtro ſuo fideliter accinit Melanchton, qui cap. 3. Epiſt. ad Rom. inquit: *Si quid Magiſtratus præcipit contra Jus divinum, ne obtemperes, ſed pertinaciter repugnes, uti cum præcipit ſuſcipi bellum adverſus Turcas.* En! quam egregie novus hic Evangelii Præco Caroli Cæſaris Turcicum bellum urgentis mandatum ſub prætextu Juris Divini eludere ſuos docuerit. Nonne Zwinglius expl. art. 42. tradidit: *Quando Magiſtratus perfide, & contra Regulam Chriſti egerint, poſſunt unacum Deo deponi.* Et rurſus: *Quando conſenſu totius aut certe potioris partis multitudinis Tyrannus tollitur, Deo ſit auſpice.* Nonne Calvinus in Jacob. 4. *Totam Dei*, inquit, *Majeſtatem ad ſe rapiunt, qui ſibi jus ferendi leges vindicant,* & alibi: *Non eſt mortalis cujusquam*

---

mir thuen, ſo will ich nicht gehorchen, dann da ſeyd ihr ein Tyrann, und greifft zu hoch ꝛc. lib. de captiv. Babyl. Die Chriſten ſeynd wahrhafftig frey, und von allen Gebotten, und Geſätzen der Menſchen eximiert, durch die Chriſtliche Freyheit, ſo uns im Tauff geſchenckt iſt worden. Die Chriſtliche Gewiſſen laſſen ſich weder mit Geſätzen, noch Gebotten fangen, und zwingen. In formula Miſſæ: Ich ſchrey frey tapfer, daß den Chriſten in keinem Ding könne ein Geſatz gegeben werden, weder von Menſchen noch von Englen, denn ſo fern ſie ſelbſt wollen: dann wir ſeynd von allen Geſätzen frey.

jusquam condere leges, quæ animas obstringant, nonne idem lib. de necessitate reform. Ecclesiæ p. 58. scribit: *Conscientias ab humanis legibus liberas, & solutas esse?* Quis igitur firmam dixerit Principum jurisdictionem, quæ cujuslibet Ministelli, imo & infimæ plebis hominum crisi ac judicio ita obnoxia est, ut quodlibet Principis mandatum, si ipsis minus arridet, juri divino sacrisque literis repugnare contendant, hacque ratione subditos a debito obsequio avertant. Hanc in rem legantur Caroli V. Constitutiones, in quibus persæpe queritur, quod Protestantes illius mandata spreverint, quæsito obtentu, quod ea scripto Dei Verbo adversentur. Quinimo ex hac ipsa repugnantia Lutherani propudiosum nomen *Protestantum*, seu in Cæsarem *perduellium* sibi compararunt (h), ita nempe Novatores una manu Principum suorum potestatem elevant, alia deprimunt, quia ex Sectæ suæ genio utrumque eorum arbitrio committitur. Sufficiat nobis in medium proferre verba Jacobi Massenii, qui in libro meditatæ concordiæ part. 3. art. 30. §. 2. pag. 208. & seq. ita effatur: *videant hoc loco omnes Christiani orbis Principes, quæ discrimina universis in quacunque etiam civili Republica Proceribus immineant, dum hac opinione invalescente cuivis subditorum fas erit, ad Verbum & Legem Dei*

(h) Pallavic. Hist. Conc. Trid. lib. 4. c. 18. §. 4.

ſuorum expendere mandata Dominorum, & ſiquidem ipſi, huic eſſe conformia non ſentiunt, tum ſibi exiſtiment omne imperium excutiendum, & ut ajunt, magis obediendum Deo, quam hominibus. Nam ut hoc veriſſimum, ita falſiſſimum ſæpe judicium eſt, quo ipſi Magiſtratuum ſuorum imperia cum ſacris Literis convenire non autumant. Ergone etiam tum, quando ſacris hæc literis ſaltem adverſari non intelligunt, ſtatuere tamen liceat, ſe in conſcientia ad eorum obſervationem non teneri, æquumque non eſſe, ut qui in libertatem Filiorum Dei aſſerti ſunt, ſervi hominum conſtituantur: Nulla certe gens aut natio tam barbara eſt reperta hactenus, quæ tantam ſubditis adverſus Dominos libertatem indulſerit, quantam novitia hæc temeritas Sectariorum invexit, qui dum unius in Eccleſia Pontificis jurisdictionem non ſuſtinent, omne Principum, & Rerumpublicarum imperium convellunt.

Quis demum Proteſtantum, aliorumque Novatorum Sectam unicum firmumque ſupremæ Majeſtatis fulcrum jactitare præſumat, ſi mente a partium ſtudio aliena conſideret, quod vel ſola Lutheri Religio, qua tamen ipſa hæc poteſtas evehi dicitur, in ſuis dogmatibus ob commentitiam hanc libertatem adeo incerta, & mutabilis ſit, ut inter ipſos Proteſtantes Theologos æque ac Politicos in materia Religionis tot ſententiæ

tentiæ ac Eccleſiæ ſint quot capita. Nonne inter illos reperiuntur Pietiſtæ, Petroſeniani, Philadelphi, Origeniſtæ, Bekkeriani, Thomaſini, Irenici ſeu Syncretiſtæ, Rigoroſi, Eriſtici, Anti-irenici, Gieſſenſes, Tugingenſes, Rintelenſes, Calixtini, Fabriciani, Coccejani, Synergiſtæ, Speneriani, Schelguigiani, Leibnitiani, pluresque alii? Hæc tamen omnia variorum errorum monſtra in ſinu ſuo fovet ſola Proteſtantum Religio. Nonne inter ceteros Gisbertus Cocquius Ultrajectinus aſſerere auſus eſt, quod *populus habeat Majeſtatem realem contra diſtinctam perſonali Majeſtati Imperantis & legibus fundamentalibus contra licentiam Imperantis munitam*, nonne in ſubſidium hujus erroris advocat auctoritatem Deut. 17. & 18.? Nonne ipſe Principum auctoritatem civibus ſubjicit, inquiens: *Qui gerit perſonam alterius, ille minor eſt eo, cujus perſonam gerit, ſed qui ſummam in civitate poteſtatem habet, perſonam gerit totius civitatis, ergo: item ille major eſt, qui rem facit tanquam Auctor, quam qui eam facit tanquam Actor, ſed quæ Imperans in civitate facit ut actor, ea facit civitas ut Author* (i). Cum ergo, verba ſunt doctiſſimi cujusdam Lutherani (k): *Sine perſuaſione de Deo nulla Societas tuta,*

(i) Anatome Hobbeſianiſmi loc. XVII. cap. 37. de Magiſt civil. p. 614. 616.

(k) Diſp. 5. de Th. natur. p. 70. & ſeq.

nulla Respublica firma esse possit . . . . Sine Religione nullum sit vinculum & frænum, quo homines ab occultis saltem flagitiis cohiberi valerent, hinc in mundo nullum esset imperandi jus, nulla obediendi obligatio, sed optimus foret, qui vaferrimus, maximus, qui potentissimus, nulloque fræno contineretur subditorum rebellio, ac nemo mortalium vel ad momentum tutus ac securus esse posset. Hinc facile quivis Princeps, cujus auctoritas duntaxat a Religione & subditorum conscientia propugnatur, colligere poterit, quantum securitatis, præsidii ac firmitatis sibi polliceri queat ab ea Religione, ac suorum subditorum conscientia, quæ tam multiplici ac impuni in ipsis fidei rebus diversa sentiendi libertate tantopere depravata est. Nonne suprema etiam Principum Majestas omni ferme momento exitium sibi timere debet ab iis, qui nulla certa Religione, ac infallibili judice, sed sacris duntaxat adstringuntur literis, quarum tamen textus ex se ambiguos, obscuros, ac non raro æquivocos quivis pro libitu suo, & pro privati quæstus, affectus, vel imaginationis ratione ex ipsius Sectæ suæ privilegio licite interpretari potest: ex hac, inquam, libertate continuum Principibus impendet periculum ac metus, ne ejus subditi ipsum etiam dogma de suprema Principum Majestate juxta perversa eorum consilia siniſtra corrumpant interpretatione, ac cujusdam textus perverse intellecti obtentu

tentu freti, seditionem in Principes suos moliantur, eademque libertate, qua supremam sacramque Pontificis auctoritatem in sacris literis adeo clare stabilitam pro suo arbitrio evertere conati sunt, civilem quoque Principum Majestatem opprimere attentent (1), & quamvis non semper ejusmodi mala Principibus immineant, id tamen nullatenus Protestanticæ Sectæ Sanctitati in acceptis referre possunt, sed semper in manifesto metu ac periculo, ne eveniant hæc mala, ob Sectæ hujus genium versari coguntur, cum pernicioſæ hujus libertatis dogmate subditorum animi jamjam sint imbuti, ac penitus occupati, eorumque conscientiæ adeo sint dissolutæ, ut se nulla lege, nullave obligatione adstringi patiantur, nisi id exigat proprii commodi ratio, aut proprii judicii persuasio impellat.

Verum Protestantes forte nobis objicere possent, quod effrænis hæc sentiendi ac judicandi libertas coercita sit per eorum Confessiones, librosque Symbolicos, in quibus

(1) Hanc rationem ipse Adrianus VI. Imperii Principibus jam Anno 1522. ob oculos posuit. Vide Hist. Fleury contin. tom. XXXIV. §. 30. fol. 251. Nonne Protestantes Carolo V. librum offerre præsumebant, in quo palam asserebant, quod jus gladii nullatenus Principibus Christianis competeret? Vide loc. cit. tom. XXXV. §. 81. fol. 554.

abunde profanæ poteſtatis ſecuritati conſulitur. Aſt nec in his tutum eſt Principibus præſidium, cum Lutheranæ æque ac Calviniſticæ Sectæ nota, lexque fundamentalis ſit, quod nihil, niſi in ſacris literis clare contineatur, credere teneantur, ex earum vero libris ea, quæ ſuis doctrinis ſavent, retinere, cetera tanquam apogrypha ac hominum commenta rejicere, atque ex Canone expungere, reliquos vero libros pro cujuslibet judicio interpretari, cunctaque dubia vel controverſa dijudicare ac definire ipſimet valeant, nec in his omnibus ullius Eccleſiæ ſive propriæ, ſive exteræ, ſive veteris, ſive novæ, ſive communis vel particularis judicio, atque auctoritati ſtare teneantur. Nonne ipſimet tradunt, quod publicæ ipſorum Confeſſiones, Symbola, Catechiſmi, formulæ concordiæ, aliique Religionis ſuæ libri non ſint *Normæ credendi*, quibus quivis in conſcientia adſtringatur, easque acceptare adſtringatur, ſed quod adhuc privatum cujuslibet examen, diſcuſſio, ac cenſura ad hoc requiratur, ut ejusmodi doctrinæ ibidem contentæ ſatis firmiter ex S. Literis probari cenſeantur, utrum internus legentis Spiritus de iis ſatis ſit convictus, an allegati textus non in alio ſenſu intelligi poſſint, vel oppoſitam interpretationem exigant? in his omnibus, inquiunt ipſi, quilibet ſuus eſt judex, arbiter, atque interpres, proin præfati libri Symbolici duntaxat,

xat, sunt *Normæ publice docendi*, seu ut ait Confessio Augustana, eo fine editi, *ut eorum, qui apud Protestantes docent, doctrinæ summa cerneretur.* Idem clare testatur celeberrimus quidam Tubingensis Facultatis Doctor, dum ait (m): *Quivis suæ FIDEI PERSONALIS JUDEX est, donec Deus in supremo die ultimum judicium, idque prorsus decisivum ferat. Hinc Concilia, hinc Consistoria, hinc Facultates Theologicæ, hinc Ecclesiæ particulares fidem quidem HISTORICE, sed non dogmatice determinare possunt.* Ejusdem vero Collega idem adhuc apertius comprobat his verbis (n): *Quando libri Ecclesiæ nostræ Symbolici norma appellantur purioris doctrinæ, id non debet intelligi de norma ipsius Fidei & Religionis in se consideratæ, sed de NORMA PROFESSIONIS Fidei, seu ut alii loquuntur, ratione TESTIFICATIONIS:* Quinimo in ipsa Concordiæ Formula pag. 572. hæc leguntur: *Dignitas solis literis debetur, quod scilicet obtineant auctoritatem Judicis, normæ & Regulæ, cetera autem Symbola aliave scripta tantummodo pro Religione nostra testimonium dicunt.* Item (o) *Conciliis decidendi controversias facultas & jus mere historicum est, non Judiciale, nulli & ne toti quidem Concilio cuidam*

(m) Instit. Theol. P. 3. de Eccles. p. 627.

(n) S. p. Th. pag. 25. & seq. & apud ipsum Leonardus Hutterus in Form. Concord. p. 5.

(o) In orig. Jur, Eccl. l. 4. p. 199.

vel Ecclesiæ jus competit, res fidei ita determinandi, ut ad eandem sententiam alter obstringatur. Cum igitur ex hisce libris rursus nulla fidei certitudo habeatur, sed omnia denuo cujuslibet judicio & arbitrio relinquantur, atque in Protestantum nulla certæ *credibilitatis* motiva, nec minime dubia Religionis norma ac Regula, nullumque medium habendi legitimum certumque ac uniformem consensum de divinis veritatibus, nullus infallibilis interpres, ac in rebus fidei judex habeatur, sed ipsa hujus Sectæ conditio ad communem Septicismum, seu Pyrchonismum inducat, necesse est, ut Religione adeo depravata in subditis nulla fidelitas, nulla juramenti vel pacti fides, nullaque publica securitas conservari possit; proin suprema Principum Majestas, quæ sola Religione sulcitur, in continuo exitii sui periculo versari compellatur; quamprimum enim nulli potestati Ecclesiasticæ quicquam decidere, vel dirigere permittitur, neminem in conscientia ad quicquam credendum vel agendum adstringere valet, proin tota Ecclesia in ochlocratiam degenerat, atque nonnisi ex hominum a legibus solutorum fæce conflata exstat: tunc actum erit de sæculari potestate, atque auctoritate, tunc brevi reviviscent mala ac incommoda Status naturalis, moxque obvia quacunque occasione reliquum etiam hominum ac Principum jugum excutietur. Denique primum

hoc

hoc caput verbis Pallavicini absolvere valeo, qui de Lutheri ausibus differens hæc effatur: *Principes animadverterant, idem esse a Romani Pontificis obedientia se subducere, ac subditis exemplum præbere, quo se pariter ab ipsorum Principum obedientia subducerent: tum ex eo quod cujuscunque Principis auctoritas in profanis haud nitatur validioribus firmamentis diuturnæ possessionis, existimationisque communis, quam Romani Pontificis in rebus sacris. Quare dum alteram ipsi concuterent, docuissent alios de altera dubitare; tum quod ea persuasione sublata, qua Monarchicum regimen a Christo institutum putatur, cum hoc (saltem inter Ecclesiastica) sit perfectissimum, multo sane fortius Monarchia depellitur a dominatu profano, in quo eam rationes minus validæ suffulciunt.*

Cum autem Protestantes Sectam suam speciali prærogativa ex eo fulgere jactitent, quia hæc eorum Principibus imperium a nemine dependens etiam in rebus sacris adjudicat, hinc (quod alterum hujus discursus caput est) demonstrare aggredior, quod hæc doctrina Deo sit injuriosa, atque Ecclesiæ, necnon ipsimet civili ac supremæ Majestati maxime noxia ac periculosa sit; nihil enim magis Reipublicæ tranquillitati ac Principum securitati perniciosum est, quam in eodem Statu Religionum diversitas, hanc autem ipsa Lutheri ac Calvini Secta ob concessam sentiendi ac credendi libertatem

intra

intra ipſius hujus Sectæ fines producit, ſuisque membris late patentem aperit portam, ut circa ipſum fidei articulum de obedientia ſupremæ Majeſtati debita, utriusque Religionis Sectatores dogmata ac propoſitiones Deo ſumme injurioſas, & ſupremæ Principum ac Magiſtratuum poteſtati periculoſiſſimas, atque ad ipſum etiam Machiavelliſmum, Indifferentiſmum & Atheiſmum proxime inducentes impune in vulgus ſpargerent: poſtquam enim apud hosce Novatores velut ſpecialis Sectæ ſuæ eminentia deprædicari cæperat illimitata Principum ac Magiſtratuum auctoritas, mox ferme innumeri ex eorum Scholis prodiere Scriptores, qui ipſam etiam Religionem, imo ipſum etiam Deum liberæ Principum diſpoſitioni ſubjicerent.

Præprimis igitur percipiamus Houtuyni effata (p). Hic ita ſtatuit: *Princeps ſacra regit, uti profana externa: Religionem publicam facit quamlibet. Imperium, jurisdictio omnis & legislatio ad eundem pertinet. Summa poteſtas non leges tantum proprias, ſed & naturales, & Veteris, & novi Teſtamenti publicas facit, vimque publicam & robur publicum in civitate iis accommodat. Leges divinas tum natu-*

(p) In Polit. contract. General. §. LXIII. & ſeq.

naturales, tum positivas interpretatur, & doctrinæ controversias judicat, eodemque judicio suo definitivo fidei articulos determinat &c. (q) *Regulæ Christi & Apostolorum in novo Testamento manserunt privatæ, donec ad fidem conversi Principes, eas sibi receperunt, servarique pro legibus voluerunt. Doctrina Christianorum ab Imperantibus adipiscitur publicam auctoritatem. Summi Imperantes Prophetis ipsis divinis tribuunt auctoritatem publicam. Prophetarum, Christi, & Apostolorum Præcepta & Regulæ non ante habuerunt vim obligandi, quam auctoritas Imperantium eandem accommodaret. Pastores & Doctores Ecclesiæ sunt Ministri & Vicarii Principum atque civitatis: eorumque functio Imperio subjicitur. Ordinatio Ecclesiastica Ministrorum Principibus competit, hique per se ipsos Sacerdotio fungi possent, si vellent. Ecclesia est in persona Principis, per quem etiam totus populus loqui censetur. Principibus summum judicium definitivum circa dogmata Christiana, ipsosque fidei articulos determinandos competit. Quas doctrinæ regulas & fidei articulos servari Principi publice judicio suo interpretativo ac definitivo placuerit, pro talibus publice sunt habendæ, iisque obedientia a singulis debetur.* Grotius quoque (r) Infidelibus

(q) In Notis ad Politic. contract. §. LXIII. p. 134. §. 64. 69. p. 185. §. 65. p. 140. §. 70 71.

(r) De Jure sum. Potest. circa Sacra cap. 5. §. 12.

bus etiam Principibus judicium de rebus & cauſſis ſacris tribuit. Egregia ſane Lutheranæ Sectæ prærogativa, quæ etiam pari jure Mahometanæ ſuperſtitioni competit! Audiamus pariter elegantes prorſus Floſculos, quos Hobbeſius ubique in ſuis libris ſpargebat (s): *Homines potentia ſuperiores habendi ſunt Dei loco, horum leges ſupra Dei leges ſunt, & quicquid eſt, vel in natura juris, vel in Scripturis mandatorum, ſubjicitur civili poteſtati pro arbitrio de his ſancienti: Summa totius Religionis eſt, horum capeſſere jura, parere imperio ſive in ſacris ſive in civilibus. Nihil enim injuſtum a Principe fieri & mandari poteſt. Imperantium poteſtas eſt indefinita, cujus terminus a nemine ſcitur. Regis mandatum qualescunque ſubditorum actus indubie juſtificat: civibus cognitio privata boni & mali, juſti & injuſti nulla competit. Illius eſt Religio, cujus eſt Regio. Fides a Principe data non obligat: Eccleſia nulla eſt, nec legitima, niſi convocata & conſtituta arbitrio & auctoritate illius, qui ſummam habet in civitate poteſtatem. Chriſti Doctrina eſt merum conſilium, neminem obligans, niſi*

(s) Leviathan c. 10. 14. 42. p. 246. & paſſim alibi, necnon in ſuo libro de Cive c. 7. a. 2. cap. 6. a. 13. c. 12. art. 1. 2. c. 14. art. 1. & ſeq. Vid. Zachariæ Grappii Theol. recens controverſ. Frid. Spanheim. Elench. controv. Heideggeri Corpus Doctrinæ Chriſtianæ, Joh. Templer. Idea Theol. Leviath. &c.

nisi per mandata sua Magistratus vim obligandi superaddat. Potest Christianus vel conservandæ vitæ gratia, vel jubente id Principe Christum sine peccato abnegare. Ut sacræ Scripturæ potuerint esse fidei regula, soli fecerunt Reges Christiani. Scripturæ Canonizatio pertinet ad eum, qui summam in civitate potestatem habet: nisi accedat hujus auctoritas, vim legis neutiquam obtinet. His pluribusque aliis Blasphemiis Deo ejusque Legi summopere injuriosis omnes Hobbesii libri scatent. Horreo proferre impias (t) Benedicti Spinosæ propositiones, quas Johannes Wolfgangus Joeger Tubingensis Doctor in suo Spinocismo pag. 16. nimis fideliter excerpsit: referre etiam pudet abominandas Lamberti Velthuysii Ultrajectini aliorumque propositiones. Attamen Protestantes abs dubio, ut hanc a se notam amoliantur, nobis opponent, quod suorum nonnulli hosce errores damnarint, ac ejusmodi Scriptores fuerint detestati, *qui*, ut inquiunt, *potestatem omnem Ecclesiasticam Magistratui vendicant, ac Ministerii libertate oppressa, turribulum in manus Oziæ tradunt, nullamque Pastoribus potestatem, nisi quæ a Magistratu derivetur, competere censent.* Verum quis, quæso, hosce Sacrilegos ad ejusmodi opiniones ac dogmata induxit, nisi vos ipsimet per Sectæ vestræ

(t) Tract. Theologico - Polit.

veſtræ principia, ac per defectionem a ſupremo Eccleſiæ Capite, omniumque controverſiarum Judice, quo abnegato unicuique libera manet facultas ea credendi, ſcribendi, ac docendi, quæ juxta cujusque criterium magis ſacræ Paginæ ac rationi conſona videntur, nec ultra diſcrimen eſt inter quamcunque aliam Sectam, cum una æque vera ſit ac altera, nec ulla potius ab alia damnari, ac convinci poterit, quia quælibet æqualia jura, & paria argumenta vero ſimilia, ac prætextus proferre poteſt. Fruſtra igitur Proteſtantes iraſcuntur Thomæ Eraſto, Joanni Seldeno, Hugoni Grotio, Adriano Houtuyno, Libertinis, Colemmanianis, Remonſtrantibus in Belgio, necnon Nicolai Vedelii libro de Epiſcopatu Conſtantini Magni, atque Ludovici Molinæi Paræneſi ad ædificatores Imperii in Imperio; ſi enim veræ Sectæ nota eſt Novatorum dogma de abſoluto Principum Imperio etiam in Sacris, tunc Lutherani immerito hosce Viros accuſant, quod hi ex Eccleſia ſpolium ac ludibrium dominantium faciant, nullamque poteſtatem Eccleſiæ ſpiritualem agnoſcant; nam hi omnes æque ac Lutherani jure gloriari poterunt, quod nulla alia Secta magis quam eorum hæreſis ſupremam civilem Principum poteſtatem evehat, illamque allegatis etiam S. Scripturæ textibus extollat. Luculento igitur argumento demonſtratum habetur, quod

quod hæc ipsa credendi libertas per ipsum præcipuum Lutheranæ ac Calviniſtæ Sectæ articulum introducta fæcunda fuerit Mater tam impiarum opinionum ac Blasphemiarum, quas ejusdem filii in ſummam Dei contumeliam ſparſerunt: unde non pauci ex ipſis hiſce Novatoribus probe agnoverunt, quod eorum Secta ad ipſum etiam Atheiſmum januam aperiat, eoquod leges in conſcientia adſtringentes ferendi poteſtatem abneget, neminem ad certam Religionem obliget, ſed duntaxat ad S. Literas remittat, ex quibus tamen cujuslibet arbitrio, interpretationi, ac intellectui relictis maligni ad honeſtandas quascunque opiniones Deo etiam injurioſiſſimas facile obtentum invenire poſſunt. Ad hæc mala Lutheranorum Sectam inducere haud diſſimulat Joannes Wolfgangus Joeger Proteſtantum Doctor, dum ita effatur: *Nobis ea ſedet ſententia, noſtram Eccleſiam non poſſe, non in pejus abire, & tandem in cœtum malignantium degenerare, niſi Diſciplina Eccleſiaſtica ſerio revocetur, quod tota penitus extincta ſit, merito dolemus*: quid autem propius ad Atheiſmum conducit, quam defectus ſanctioris diſciplinæ in Eccleſia, atque indifferentiſmus Religionum, ad utrumque autem decantata libertas viam pandit.

Haud

Haud satis tamen mirari possumus, quod Protestantes suæ Sectæ doctrinam de suprema Principum potestate tanquam unicum avitæ Imperii formæ ac Regiminis fulcrum deprædicare audeant, dum tamen ex omnibus Historiæ monumentis meridiano sole clarius elucet, quod ante funesta Lutheri aliorumque Novatorum tempora floreſcente Religione Catholica Principes optata tranquillitate ac regiminis felicitate insignes fuerint, ac primum sparsa horum Sectatorum doctrina quorumdam Principum Majestas imminuta, aliorum Solium horrende concussum, atque ferme omnium Regna, & Imperia innumeris tumultibus fuerint agitata. Quem latere potest, quod Wiclefus Hæresiarcha, postquam Ecclesiasticæ potestatis jugum excusserat, etiam Regum auctoritatem aggressus fuerit, sparso dogmate falso, quod Reges in peccatum prolapsi suam Majestatem amittant? Quam graves tumultus ac bella civilia suis erroribus contra ipsorum Reges Wenceslaum, ac Sigismundum suscitabant Hussus, ac Hieronymus Pragensis Lutheranorum antesignani? Nonne Lutherus, postquam ab Ecclesiæ, Romanique Pontificis obsequio defecerat, profanæ Principum potestati minime pepercit, sed in eos verbis factisque crudelem in modum insur-

insurrexit, ac inter ceteros Henricum VIII. Angliæ Regem, & Georgium Saxoniæ Ducem horrendis convitiis ac dicteriis proscidit? Quid solemnius erat Spurio huic Evangelistæ, quam suis libris, sermonibus, ac consiliis seditionum semina contra civilem Principum potestatem, eorumque leges disseminare, ac Christianam libertatem adeo nequiter extollere, ut suis persuaderet, quod sese cuipiam subjicere non adstringantur, atque eorum conscientiæ a nemine nisi a solo Deo ligari valeant? Nonne ejus libri hisce aliisque impiis doctrinis ubique scatent, quibus ad horrendam Rusticorum cædem, necnon ad Annabaptistarum, qui Magistratuum potestatem evertebant, hæresin prima jecit fundamenta? Quis Anno 1524. Sueviæ Rusticos, ut arma contra suos Principes caperent, Campidonæ impulit, nisi jactata Lutheri libertas; cum enim, inquiebant ipsi ex ore Lutheri, a Christo in libertatem simus asserti, atque a lege liberi, haud æquum est, ut ultra sæculari subjiciamur potestati, unde ex servitute haud toleranda nosmet ipsos ad Christianæ libertatis statum reducamus. His ita præcinuit Lutherus, quamvis ille versipellis Nequam postea specietenus contra hosce tumultus scriberet, & prædi-

caret: (u) Prodiit quoque ex ipsius schola Thomas Münzerus, qui eodem Spiritu animatus ex Thuringia, Suevia, Hassia, Franconia, Alsatia, & Mansfeldia Rusticorum agmina contraxit, eaque ad expellendos suos Principes atque Magistratus induxit, hoc itidem usus Lutheri celeusmate: Redempti estis a Christo, non ergo vos hominum mancipia fieri decet. Hujus doctrinæ venenum sese etiam usque ad Belgii fines extendit, ubi præprimis Anno 1533. Anabaptistæ Monasterienſem civitatem in Westphalia occuparunt, ac Joanne Leidenſi Ductore legitimos Magistratus exauctorarunt, necnon plena libertate populo concessa speciale Regnum erexerunt: inde etiam ortum duxerunt Anabaptistæ in Anglia & Hollandia, quibuscum in Germania inter Lutheranos Separistæ seu Pietistæ tam arctam habent societatem, ut & ipsi omnes hominum leges, ac potestatem rejiciant, rursus Lutheri doctrinam prætexentes, vi cujus se æqualiter omnes fratres in Christo appellant, ac præter Deum haud alium tanquam Legislatorem ac Dominum agnoscunt. Taceo seditiosos tumultus & bella,

(u) Vide Hist. Fleury contin. tom. XXXV. lib. 130. §. 3. p. 4. & 18.

bella, quæ in Imperio contra Cæsarem a Lutheranis pro conservandis Ecclesiæ bonis inique ablatis fuere gesta: audiant tamen ea, quæ ipsis Heideggerus Calvinista hanc in rem objicit: *Lutheranis quibusdam Theologis*, inquit ipse (x), *seditiosi genii nomine nobis insultantibus jure occinimus: parcius ista viris tamen objicienda memento. Non Reformati duntaxat, sed Augustani etiam fuerunt, qui bellum Smalcaldicum ipsius etiam Lutheri suffragio probatum, & Germanicum hujus sæculi, utrumque adversus Cæsares Carolum V, & Ferdinandum II. ac III. gesserunt. Restitit* (Lutherana) *urbs Brunsvicensi Duci suo Henrico: Dania Christiernum, Suecia Sigismundum Regem, non Calvini, credo, genio, veluti criminantur* (Lutherani) *turbulento Spiritu ad id adacti omnes.* Ita nempe tam Lutheranis, quam Calvinistis Væ tibi væ nigræ dicebat cacabus ollæ, cum utriusque Sectæ alumni paribus imbuti dogmatibus in eadem sint damnatione: hinc Lutherani æque ac Calvinistæ merito inter Sectæ sua miracula recensere possent, si semel fide Deo ac Ecclesiæ abjurata, fidelitatem Principibus suis ex conscientiæ legibus servare didicissent. Testis esse debuit Christiana Sueciæ Regina, cui ejus

(x) Corp. Doct. Christ. p. 2. loc. 27. p. 622.

ſubditi Lutheri veneno infecti ex Catholicæ fidei odio obtemperare recuſantes illam innumeris calamitatibus oppreſſam e regno excedere compulerunt. Teſtis eſt piiſſimus Imperator Leopoldus, contra quem Lutherani Præcones periculoſiſſimam conflarunt Seditionem, prout patet ex Proceſſu Juridico Cæſaris juſſu Tyrnnaviæ typis impreſſo (y). Teſtatur Barzonius Varadinenſis Epiſcopus, quod Proteſtantes contra Cæſaream Majeſtatem ſuam in Hungaria Anno 1670. fideles etiam ejusdem ſubditos ad rebellionem concitarint, ipſumque Turcam in opem accerſiverint; hanc ob rem præfatus Epiſcopus Anno 1671. ſcriptum edidit, cui titulus: *Veritas toti Mundo declarata, argumento triplici oſtendens, S. Cæſaream Majeſtatem non obligari tolerare in Hungaria Lutheranam & Calvinianam Sectam.* Nonne inter Calviniſtas vel Reformatos ſeptem illæ Provinciæ in Hollandia Anno 1568. abjurato Eccleſiæ Romanæ obſequio per civilem rebellionem ſeſe Hiſpanicæ Monarchiæ ſubduxerunt, ac

(y) Vide Georg. Heidlberger: Von Verfolgung und Gefängnuß der Predicanten in Ungarn. Item Joan Kraus: Nutzliche Controvers-Predigen, pag. 307. Nicol. Weisling: In der Præfation ſeiner Tortur. fol. 221. Num. 8.

ac legitimum Regem ſuum Philippum diuturno admodum bello vexarunt? Nonne in Anglia & quidem Londini Anno 1649. publicum criminale judicium erigebant, in quo capitis pœna adverſus Reges ſanciretur. Obluctabatur equidem Rex Carolus Stuart, atque obtendebat ſupremam ſuam nemini ſubjectam Majeſtatem, ſed incaſſum omnia, hoc ipſum judicium, quod ex centum quinquaginta Viris, ac inter illos ex non paucis Sutoribus ac Sartoribus erat compoſitum, Regem ſuum eſſe contumacem pronuntiabat, eumque publice in ferali pegmate capite plecti jubebat. Hujus Regicidii præcipuus Author Cromvellus egregie ad honeſtandum tantum crimen Reformatæ Religionis prætextu utebatur, contendebatque, quod cuncta ex interni Spiritus ſui impulſu geſſiſſet, & nihilominus, qui tantum nefas defenderet, non deerat Joannes Miltonus natione Anglus, ac Secta Calvinianus: de hoc tamen flagitii portento Gratianus Lucius Hibernus in ſuo Cambrenſi Everſo pag. 265. hæc effatur: *Quam atrocia ac deteſtanda nomina mente efformavero, vincit omnia ſceleris horrendi atrocitas, ac ne cogitatione quidem capi, nedum oratione ſatis exprimi poteſt.* Silentio prætereo funeſta admodum fata, quæ Carolus II. & Jacobus II. itidem Angliæ Reges a ſubditis ſuis ſubire coacti ſuere. Hinc merito

hanc in rem Jacobus Maſſenius (z) ita diſſerit: *Unius Angliæ recentem propono imaginem: qui fluctus, quæ procellæ ab hoc Religionis mutatæ Oceano ductæ nunc in vulgi, nunc in ipſa Procerum, Regumque capita detonuere? Spectaculum ſane triſte tragicarum omnino cædium illa terrarum florentiſſima jam a ſæculo præbuit, admirandam poſteritati in Chriſtiana gente ſpeciem inſanæ crudelitatis datura.* Hæc vero mala ex ipſis Sectæ viſceribus prodiiſſe ingenue fatetur Alexander Roſſæus Puritanus Doctor, ac Natione Anglus (a) dum ait: *Quantum nunc, proh dolor! ab illis mutati ſumus..... Cum Jeremia jure querar, quod decor & pulchritudo filiæ Sion ablata ſit. Babylon nova erigitur, plena impietatis, ignorantiæ, & blaſphemiarum. Hi fructus ſunt & conſequentiæ ex S. Scripturarum lectione per ignorantes, improbosque Spiritus tentata.*

Quid dicam de tumultibus, quos Calviniſtæ, Hugonotæ dicti, contra Franciſcum II. Carolum IX. Ludovicum XIII. & XIV. ſuſcitarunt: adeo, ut ab Anno 1560. usque ad Annum 1598. iidem Hæretici Reges ſuos

(z) Medit. Concord. part. 3. præf. ad Aug. Cæſ. & Princ.

(a) De Mundi Religionibus part. 13. fol. 510. & 513. edit. Dordr. an. 1662.

ſuos octo bellis divexarent (b). Unice hæc ſubjungo Martini Becani verba (c), quæ Anglo Præconi Richardo Hareis objecit: *Neſcis, qui in Gallia, initio turbarum, conſpirarunt in necem Regis, & totius familiæ Regiæ? loquor de Ambianenſi Hugonotarum conſpiratione. Neſcis, quinam Anno* 1562. *in æde S. Crucis Franciſci II. Regis corpus flammis tradiderunt? Neſcis, qui eodem anno Ludovici XI. Regis ſtatuam ludificati ſunt, & abſciſſis cruribus, brachiis, ac capite, reliquum truncum in cloacam abjecerunt? Interroga fratres tuos, & dicent tibi &c.* Quod autem nefanda adeo læſæ Majeſtatis crimina ex ipſa Calviniſtarum doctrina profluxerint, ex ipſis Calvini verbis in cap. 6. Danielis, necnon ex Davide Paræo in commentario in Epiſt. ad Rom. item ex Philippo Mornæo Pleſſiaco de licitis in Regem pro Calviniſmo armis, aliisque manifeſtum fit. Nobis demonſtraſſe ſufficiat, quod tam Lutheranæ quam Calviniſticæ Sectæ conditio ob certi

(b) Vide Epiſtolam Caroli IX. ad Papam Gregorium XIII anno 1572. ſcriptam, atque ab ejusdem Legato Nicolao Rambolleto traditam. Item orat. ad Marci Antonii Mureti, & Gab. Barthol. Gramondi Hiſtoriam proſtratæ a Lud. XIII. Sectariorum in Gallia rebellionis. Edit. Toloſ. ann. 1623.

(c) Opuſcul. tom. 4. op. 2. p. 1183.

ac infallibilis judicis defectum omnes fidei articulos, jura, ac humanæ vitæ officia prorsus dubia, ruinosa, & incerta reddat, necnon eorum conservationem cujuslibet arbitrio, judicio, ac privato Spiritui relinquat: cum ergo ex hujus Sectæ doctrinis a cujusvis laici vel privati sententia dependeat, quamnam auctoritatem tanquam legitimam agnoscere, quam etiam Regiminis normam inter diversissimas hominum sententias juxta privatum suum judicium, sacrasque literas suo modo intellectas seligere velit, haud mirum est, quod tot seditionibus ac turbis invalescente Lutheri ac Calvini Secta Principum Majestas fuerit concussa, ac plurima Regna innumeris calamitatibus tantopere oppressa, ut merito ausim dicere, quod supremæ Principum Majestati nihil magis sit pernicioſum, quam ipsamet utriusque Novatoris doctrina.

Restat igitur, ut tertio loco Ecclesiam Catholicam vindicem ab atroci illa calumnia, qua præcipue Protestantes accusant summos Pontifices, atque Episcopos, quod profanæ potestatis jura imminuere, ac deprimere satagant. Equidem Lutherus, ut Principum animos sibi conciliaret, summosque Pontifices, totumque Ecclesiasticum Statum iisdem exosum redderet, ejusmodi convitia excogitare compellebatur. Hoc eti-

etiam artificio contra Catholicos jamjam in primitiva Ecclesia utebantur Pagani, qui eos *omnium scelerum reos*, *Deorum*, *Imperatorum*, *legumque inimicos* (d) proclamabant: quinimo idem, quod a Lutheranis Christi Vicarii tollerare debent, ipsemet Christus Dominus a Judæis pati cogebatur, dum adversus illum hanc calumniam proferrent: *Hunc invenimus prohibentem tributa dare Cæsari*, quamvis Christus divinus Magister noster Pharisæis, qui ei apud Cæsarem invidiam creare tentabant, disertis verbis præcepisset: *Reddite Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ Cæsaris.*

Pari etiam sophismate ab invidia hominum deducto egregie Lutherus, ejusque Sectatores apud Principes contra summos Pontifices, atque Ecclesiæ Romanæ Episcopos pro inducenda ac propaganda Secta sua utebantur. Scripsit Joannes Clericus auctor Protestantibus haud exosus singularem dissertationem (e) de argumento Theologi-

(d) Tertullianus in apologet. cap. 28. 30. & 31. Sueton. in vita Tiber. Claud. cap. 25 & in vita Neronis cap. 15. Cornel. Tacitus l. 15. Annal. cap. 44.

(e) In suis operibus Philosophicis pag. 234. p. 256. §. 19.

logico ab invidia ducto, ubi pag. 234. ita asserit. *Hoc argumentum est ratiocinatio fallax, quæ imperitos incendit in homines innocentes, qui eo ratiocinio exosi, ac eis invisi facti sunt. . . . . Hominibus aut dolo malo uti consuetis, aut cæco affectu percitis, quando rationes non suppetunt, quibus adversarium vincant, illico eum odio Theologico mactandi occasionem quærunt, atque ante omnia, ne æquis auribus audiatur, infamiam ei quantam maximam possunt, inurunt.* Postea idem Scriptor sexdecim, quibus invidia innoxiis creari solet, modos refert; postremum vero his verbis exponit: *Adversarii denique Magistratibus infamantur.*

Ex hoc venenato fonte Lutherus ejusque fautores invidiæ liquorem hauserunt, eundemque incautis Principibus contra Christi Vicarios, totumque Ecclesiasticum Ordinem eo facilius propinarunt, quo, ut inquit Clericus: *Nihil pronioribus animis excipitur ab iis, qui summæ rerum præsunt, quam quod facit ad amplificandam, tuendamque eorum auctoritatem, nullisque magis succensent, quam iis, qui vel minimum eam tentare accusantur.* Eapropter novi hi Evangelici cum suo Magistro ubique spargebant, quod Papæ atque Episcopi Principum potestati insidientur, eorumque supremam auctoritatem evertere ac deprimere moliantur, hostesque

que sint sæcularis jurisdictionis, læsæ Majestatis rei, Regicidæ, rebelles ac Tyranni: Romani Pontifices, convitiantur illi, sibi solis supremam in sacris simul & profanis rebus arrogant auctoritatem, ipsi soli Ecclesiasticis omnia munia & bona pro eorum arbitrio dispensant, ac civili Principum Majestati omnem potestatem eripiunt, tentantque omnes Cæsares, Reges, Principes ac Magistratus suis pedibus subjicere, atque in eos despoticum exercere imperium (f). Enimvero, prosequitur idem Scriptor, ejusmodi calumniis apte *movetur innocentibus invidia, dum infammantur quasi perturbatores publicæ tranquillitatis ii, qui tamen omnia Reipublicæ jura sancta atque inviolata esse volunt.*

Verum ad hasce calumnias solide confutandas sufficit ea proferre testimonia, quibus ipsimet summi Pontifices omni retro ætate ad hanc usque diem cunctis Principibus suam auctoritatem illæsam, tutam, atque inviolatam conservare satagunt, eamque ipsis a Deo datam agnoscunt, ac reverentur. Nonne Leo Magnus in sua epistola, 38. ad Martianum Græcorum Imperatorem palam profitetur, quod Cæsar ab ipso-

(f) Vide Confess. Aug. p. 2. art. 7.

ipsomet Deo ad Imperii sui dignitatem fuerit electus; nonne eadem rursus in epistola 43. ad eundem, atque ad ejusdem Successores Theodosium II. Martianum, & Leonem I. scribens repetiit? Quem latet, quod Felix III. Papa Zenoni Cæsari ob oculos posuerit, quod Ecclesiæ potestas ad conservandam Principum profanorum auctoritatem plurimum proficua sit: *Puto*, inquit Pontifex, *quod vobis sine ulla dubitatione sit utile, si Ecclesiam Catholicam vestri tempore Principatus sinatis uti legibus suis, nec libertati ejus quempiam permittatis obsistere, quæ Regni vobis restituit potestatem* (observandum enim est, quod Catholici tum Tyrannum Regnique usurpatorem Basiliscum, qui Zenonem in exilium depulerat, ad officium redegerint, atque Anno 477. Zenonem rursus solio restituerint) hinc prosequitur Papa: *Certum est, hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de caussis Dei agitur, juxta ipsius constitutum, regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeatis subdere, nos præferre, & sacrosancta per eorum Præsules discere potius quam docere.* Percipiamus quoque Gelasii I. sententiam de profana Principum Majestate, *duo sunt*, ait ille (g) ad Anastasium I. Cæsarem, *duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter Mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum,*

(g) Epist. 5.

tificum, & Regalis poteſtas, in quibus tanto gravius eſt pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus hominum, in ipſo divino reddituri ſunt examine rationem. Adhuc clarius S. Gregorius Magnus ſupremam Principum poteſtatem profitetur in ſuo libro ſecundo Epiſtola 61. ad Mauritium Imperatorem his verbis: *Poteſtas ſuper omnes homines Dominorum meorum pietati cœlitus data eſt ſuper omnes homines* Idem etiam Pontifex Maximus Conſtantiam Auguſtam ita alloquitur: *Veſtra Pietas, quam omnipotens Deus cum ſereniſſimo Domino* (Mauritio) *univerſo Mundo præeſſe conſtituit &c.* Præterea Gregorius II. utriusque poteſtatis tam ſacræ quam profanæ jura volens omnino integra, atque illibata ſervari, ita ad Leonem Iſauricum Cæſarem ſcripſit: *Eccleſiæ propoſiti ſunt Pontifices, a Reipublicæ negotiis abſtinentes: Imperatores ergo ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant, & quæ ſibi commiſſa ſunt, capeſſant:* in alia vero Epiſtola ad eundem hæc habet: *Quemadmodum Pontifex introſpiciendi in palatium poteſtatem non habet, ac dignitates regias deferendi, ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi & Electiones in Clero peragendi poteſtatem habet &c.* In rem noſtram plurimum facit ſententia Nicolai I., qui in ſua Epiſt. 7. ad Michaelem Græcum Imperatorem ita pronuntiat: *Nolite præjudicium Dei Eccleſiæ irrogare; quippe nullum imperio veſtro præjudicium*

dicium infert. . . . Idem Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus, sic actibus propriis & distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro vita æterna Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, in Epistola ad Albinum Archiepiscopum ita scribit (h): *Sancta Dei Ecclesia gladium non habet, nisi spirituale, non occidit, sed vivificat.* Quod autem Pontifices nullatenus profana Principum jura usurpare moliantur, testis est Alexander III. Papa, qui a Rhemensi Archiepiscopo interrogatus, an si a civili Judice ad Papam fuerit appellatum, hujusmodi appellatio teneat, respondit (i): *Tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali jurisdictioni subjecti, in aliis vero, etsi de consuetudine Ecclesiæ teneat, secundum juris rigorem credimus non tenere.* Rursus idem Pontifex decidit, quod Papa de civili causa inter Laicos non cognoscat; ait enim (k): *Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus judicare, ne videamur Juri Regis Anglorum detrahere, qui ipsarum judicium ad se pertinere asserit, hinc mandamus &c.* Declarat etiam Innocentius III. quod Pontifex

(h) Causa XXXII. quæst. 2. c. 6.

(i) Cap. 7. de appellat.

(k) c. 7. Qui filii sint legitimi.

tisex solum in Patrimonio Ecclesiæ plenam habeat potestatem temporalem, non item vero in aliis Regionibus (1): *Rex enim superiorem in temporalibus minime recognoscit.* Quinimo quemdam Principem, qui aliis Regibus suberat, seque Pontificis jurisdictioni subdere tentabat, ita alloquitur: *Tu sine ipsorum injuria, nisi hi præstarent nobis assensum, in hoc subdere te nobis non posses &c.* Quis ignorat, quod olim Theodosius Imperator in quodam canone, qui incipit: *Quicunque litem*, summis Pontificibus atque Episcopis etiam profanas causas dijudicandi potestatem concesserit, atque eas æque ac Ecclesiasticas lites ad ipsorum forum pertinere declaraverit: quem autem itidem latet, quod Pontifices atque Antistites hanc legem ipsimet abrogarint, huncque favorem sibimetipsis duntaxat, *per viam correctionis fraternæ & admonitionis de officio suo* indulserint, prout Innocentius III. disertis verbis declaravit (m).

Huc quoque spectant honorifici Tituli, quibus Papæ ac Episcopi Cæsares Regesque decorarunt: Hadrianus Papa per suum Legatum ita alloquebatur Fridericum Imp. *Salutant vos Venerabiles Fratres nostri, Clerici*

(1) Cap. 13. tit. cit.

(m) Cap. *Novit* de Judiciis & cap. *per Venerabilem* Extra. Qui filii sint legitimi. Vide cap. *Nos si*, II. q. 7.

ci autem veſtri univerſi Cardinales tanquam Dominum & Imperatorem Urbis & Orbis. Bonifacius VIII. in publico Patrum Senatu vocabat Albertum I. Imp. *Monarcham omnium Regum, & Principum terrenorum.* Pius vero ſecundus anno 1460. ad Fridericum III. Imperatorem dixit: *Tu nobis primus occurriſti, cui omnes gentes parere & ſubeſſe non dedignantur.* Vocavit quoque Anaſtaſius Papa Anaſtaſium Cæſarem *præſtantiam veſtram, quam velut VICARIUM Deus præſidere juſſit in terris.* Denique ſimilem honoris gradum Gregorius II. in Leone Iſaurico, & Gregorius IX. in Friderico II. venerati ſunt.

Quod hæc autem non modo ſummorum Pontificum vox ſit, ſed univerſalis Eccleſiæ Catholicæ doctrina, manifeſtum fit ex ipſo Romano Catechiſmo ſacri Concilii Tridentini, ac Pii V. juſſu edito. Hic inter Patres, qui ex Juris divini præſcripto honorandi ac timendi ſunt, pariter collocat omnes, quibus aut Imperium aut Magiſtratus aut poteſtas commiſſa eſt, quique Rempublicam gubernant (n). Poſtea ad quæſtionem: *Sitne & Magiſtratibus politicis honor deferendus?* reſpondet (o): *Quod modo de animarum paſtoribus aſſeruimus, idem de Regibus, Principibus, Magiſtratibus, & reliquis, quorum poteſtati ſubjiciuntur, dicendum eſt: quem enim eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur; habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus, quia divinæ*

(n) Part. 3. c. 15. p. 558. (o) Loc. cit. p. 565.

divinæ poteſtatis eſt inſtar: Pariter eadem ſacroſancta Synodus Seſſione 25. cap. 20. in Decret. de Reform. Principes ſæculares præcipue Catholicos agnoſcit, ac veneratur tanquam tales, *quos Deus ſanctæ fidei, Eccleſiæque Protectores eſſe voluit.... Propterea admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, & Principes, ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eo ſanctius, quo Eccleſiaſtici Juris ſunt, tanquam Dei præcepta, ejusque patrocinio tecta venerentur.* Hanc doctrinam de ſuprema Principum poteſtate univerſa Eccleſia Catholica tanquam fidei articulum unanimi conſenſu profitetur, ipſique ſummi Pontifices non ſolum corde & ore, ſed etiam opere profeſſi ſunt; quantas enim expenſas, ac crebra bella geſſerunt contra rebelles, ac ſeditioſos, qui ſuis Principibus obedientiam denegarunt, eosque ſolio ſuo deturbare moliti ſunt? quot Reges, atque utriusque ſexus Principes a ſuis ſubditis præcipue Proteſtantibus Regno expulſi Romæ & alibi liberaliſſime, diuque & non ſine immenſis ferme ſumptibus a ſummis Pontificibus fuerunt ſuſtentati? Igitur ſummi Pontifices adeo non Principum poteſtatem deprimere machinantur, ut etiam nullo negotio ex Hiſtoriæ monumentis demonſtrari poſſet, quod per ipſam Romanorum Pontificum auctoritatem, opem ac præſidium Principes Solii ſui firmitatem obtinuerint, ac tamdiu illibatam conſervarint, quamdiu Sedi Apoſtolicæ ac Romanæ Eccleſiæ addicti permanſerunt,

quo autem unquam tempore frequentiores audiebantur seditiones, tumultus ac bella civilia, quibus Principum auctoritas vehementer est concussa, nisi postquam Lutherus, Calvinus, atque alii ejusdem furfuris homines pernicioſa sua sparserunt dogmata? Omnem itaque securitatem iis, qui summa rerum potiuntur, pollicetur Religio Catholica, imo ipsorum etiam summorum Pontificum plurimum interest, ut brachium sæculare tanquam proprium corporis ecclesiæ membrum protegant elevent, atque honorent; si quid enim patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, nec potest oculus dicere manui: opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarii, ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra 1. ad Cor. c. 12. v. 21. & seq. Hanc ob rem summi Pontifices, quotiescunque fidei veritas ac Religionis integritas, necnon Sedis Apostolicæ auctoritas a domesticis vel exteris hostibus fuit impugnata, semper Principum auxilia summis precibus implorarunt (p). Unice igitur restat, ut depulsis Novatorum calumniis ad Principes Catholicos eadem dirigam verba, quibus Pius II. Carolum VII. Galliarum Regem admonuit: *Unum a te petimus, chariſſime Fili! ut Sedis Apoſtolicæ detractoribus ſemper non credas, multa illorum paſſionibus tribuens.*

CON-

(p) Vid. Pauli III. Bull. Indict. Conc. Trid.

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CXXX.

§. 1. Lutherus Rusticorum seditionis conscius. Pag. 1
§. 2. Scriptum Anabaptistarum in duodecim articulos partitum. 2
§. 3. Lutheri sententia a Sueviæ Rusticis rogata. 4
§. 4. Rusticorum Anabaptistarum bellum. 6
§. 5. Rusticorum devastationes in Franconia', & alibi. 9
§. 6. Rustici agminis clades in Alsatia. 10
§. 7. Friderici Saxoniæ Electoris obitus. 12

§. 8. Ruſtici ad capeſſenda arma in Thuringia a Münzero concitati. ibid.
§. 9. Ruſtici Frankenhuſii prælio devicti. 14
§. 10. Münzerus in latibulo ſuo repertus. 15
§. 11. Münzeri, & Pfeifferi obitus. 17
§. 12. Progreſſus Sectæ Anabaptiſtarum. 18
§. 13. Lutheri ſcripta contra Anabaptiſtas. ibid.
§. 14. Francofordienſes Lutheri hæreſi infecti 20
§. 15. Seditio plebis Moguntinæ, & Colonienſis ob Lutheri hæreſin. 22
§. 16. Cenſura Pariſienſis Facultatis Theologicæ contra Amadæum Mesgret. 24
§. 17. Reſponſum Facultatis Theologicæ ad Abbatem S. Antonii circa libros Wolfgangi Schuch. 29
§. 18. Cenſuræ Propoſitionum Wolfgangi Schuch. 33
§. 19. Ejusdem Auctoris libelli itidem damnati. 35
§. 20. Propoſitiones Petri Caroli proſcriptæ. 37
§. 21. Diſſidia ac Contentiones in cauſſa Caroli. 39
§. 22. Facultatis Cenſura contra Propoſitiones Caroli. 50
§. 23. Cenſura contra Jacobum Pouent, ejusque apologiam. 59
§. 24. Cenſura in propoſitiones decerptas ex Epi-

Epiſtolarum & Evangeliorum libro ad uſum Diœceſis Meldenſis ſcripto. 62

§. 25. Melanchtonis ſententia de Lutheri connubio. 63

§. 26. Lutherus Sacerdotes & Monachos ad ſui imitationem adhortatus. 65

§. 27. Raimundi Vich, & Sigismundi Gonzagæ Cardinalium obitus. 66

§. 28. Lutheri Fpiſtola ad Electorem Moguntinum de ineundo connubio. 68

§. 29. Supremus Ordinis Teutonici Magiſter Lutheri Sectæ addictus, ac Connubio junctus. 69

§. 30. Diſputatio inter Eraſmum & Lutherum de Libero arbitrio. 71

§. 31. Analyſis libri hujus de libero arbitrio. 72

§. 32. Melanchton Lutheri rabiem indignatur. 75

§. 33. Lutheri liber de ſervo arbitrio contra Eraſmum. 76

§. 34. Hyperaſpiſtes Eraſmi contra Lutherum. 77

§. 35. Lutheri Epiſtola ad Georgium Saxoniæ Ducem. 79

§. 36. Epiſtola Lutheri Angliæ Regem ad hæ-

resin in regnum inducendam solicitantis. 81
§. 37. Acerrimum Regis Angliæ responsum. 81
§. 38. Lutheri rabies contra Angliæ Regem. 83
§. 39. Zwinglii opinio de Evchariſtia. 86
§. 40. Ejusdem liber de vera, & falsa Religione. 87
§. 41. Quidam sacræ paginæ textus a quodam Spiritu Zwinglio suggestus. 89
§. 42. Primus Oecolampadii liber de Evchariſtia. 91
§. 43. Lutherus præsentiæ realis vindex contra Sacramentarios. 92
§. 44. Transsubstantiatio a Luthero perperam negata. 95
§. 45. Alii Errores Zwinglii de peccato originali, & Baptismo. 97
§. 46. Badense Colloquium contra Zwinglium. 98
§. 47. Hujus Conventus Decretum pro Catholicis. 100
§. 48. Conditiones pro libertate Galliarum Regis Carolo oblatæ. 101
§. 49. Cæsaris consensus in pacem cum Galliarum Rege. 102

§. 50.

§. 50. Madritenſis pacis Articuli. 103
§. 51. Colloquium Cæſaris cum Galliarum Rege ante ejus diſceſſum. 107
§. 52. Franciſcus I. a captivitate redux, ambo ejus Filii obſidum loco relicti. 108
§. 53. Rex Madritenſe pactum firmare a Lanoyo rogatus. 109
§. 54. Pontificis, Venetorum, ac Mediolanenſis Ducis Legatio ad Regem. 112
§. 55. Societatis Connaci contra Cæſarem initæ articuli. 114
§. 56. Libellus ſupplex ad Regem contra Madritenſe fœdus. 115
§. 57. Reſponſum Regis ad Neapolis Proregem. 117
§. 58. Pontificis, Venetorumque copiæ in aciem eductæ. 119
§. 59. Franciſcus Sfortia ad deditionem Mediolanenſis arcis a Borbonio Duce compulſus. 120
§. 60. Concordia Pontificis cum Columnenſibus. 121
§. 61. Columnenſium perfidia adverſus Papam. 122
§. 62. Papa inducias cum Cæſare paciſcitur, a Moncada compulſus. 123

§. 63. Cæsaris exercitus a Fronsbergio quatuordecim Germanorum peditum millibus auctus. 123
§. 64. Simulatum Pontificis iter in Hispaniam. 125
§. 65. Papa resciſſis concordiæ pactis Columnensium perfidiam ultus. 126
§. 66. Lusitaniæ Regis Filia Cæsari nupta. 128
§. 67. Sponsæ adventus in Hispaniis, ejusque Colloquium cum Cæsare. 129
§. 68. Recens electus Saxoniæ Elector Lutheri Sectam publice profeſſus. 130
§. 69. Philippus Hassiæ Landgravius Lutheri hæresin amplexus. 131
§. 70. Spirensis Conventus initia. ibid.
§. 71. Negotia nomine Cæsaris ibidem proposita. 132
§. 72. Deputatorum responsum. 133
§. 73. Saxoniæ Electoris, necnon Hassiæ Landgravii postulata in Comitiis. 134
§. 74. Duo libelli Lutheri in his Comitiis in populo divulgati. 136
§. 75. Archiducis Consilium de Hungaris adversus Turcas tuendis. 137
§. 76. Decretum Spirensium comitiorum. 139
§. 77. Hungari Mugacienſi prælio cæsi, eorumque Rex occisus. 140

§. 78.

§. 78. Contentio de jure Succeſſionis in Hungariæ Regnum. 142
§. 79. Joannes Zapolus in Hungariæ Regem electus, ac coronatus. 143
§. 80. Ferdinandus Archidux Auſtriæ in aliis Regni Comitiis electus. 144
§. 81. Joannes Zapolus in Poloniam profugus. 145
§. 82. Heroica, licet irrita, Pontificis conſilia adverſus Turcas. 146
§. 83. Cauſſa Berquini continuata. 147
§. 84. Berquini propoſitiones a Facultate Theologica damnatæ. 148
§. 85. Berquini libri ab eadem Facultate proſcripti. 149
§. 86. Eraſmi Colloquia a Facultate Pariſienſi damnata. 151
§. 87. Libellus ſupplex ad ſupremam Curiam contra Eraſmi Colloquia ibid.
§. 88. Propoſitiones ex Colloquiorum libro a Facultate damnatæ. 153
§. 89. Libri a Beda contra Eraſmum ſcripti venditio a Galliarum Rege prohibita. 155
§. 90. Eraſmus a Franciſco Galliarum Rege plurimi habitus. 157

§. 91. Regis promissa ad Erasmum in Gallias accersendum. 158

§. 92. Erasmus a summis Pontificibus semper perbenigne exceptus. 159

§. 93. Censura propositionum Joannis Bernardi ex Ord. S. Augustini. 161

§. 94. Judicium Facultatis de voto cælibatus Sacerdotalis. 162

§. 95. Origo Ordinis Fratrum Capucinorum. 164

§. 96. Matthæus de Bassio coram summo Pontifice. 165

§. 97. Alloquii, ac inducendæ reformationis facultas Matthæo a Pontifice concessa. 167

§. 98. Matthæus jussu Provincialis carceri inclusus. 168

§. 99. Diploma Pontificium a Ludovico Matthæi Socio impetratum. 170

§. 100. Pauli Cortesii obitus. 172

§. 101. Christophori Marcelli mors. 175

LIBER

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LIBER CXXXI.

§. 1. Papa datis literis contra Carolum V. conqueſtus. 179

§. 2. Reſponſum Cæſaris ad querelas Papæ. 181

§. 3. Cæſar datis ad Cardinales literis conqueſtus de Pontifice. 183

§. 4. Papa Venetique a Franciæ & Angliæ Regibus deluſi. 185

§. 5. Pontificis inquietudo ob utriusque Regis tergiverſationem. 187

§. 6. Inducicæ Pontificis cum Prorege Neapolitano pactæ. 188

§. 7. Pontificis copiæ pactis induciis dimiſſæ. 190

§. 8. Borbonii Dux induciis obluctatus. 191

§. 9. Borbonius copiis ſuis Romanæ Urbis deprædationem pollicitus. 192

§. 10. Georgii Fronsbergii Comitis obitus. 193

§. 11. Borbonii Dux Romam aggreſſus. 194

§. 12. Irruptio in urbem facta. 195

§. 13. Borbonius in Urbis invaſione occiſus. 196

§. 14.

§. 14. Romanæ Urbis deprædatio, Papa in arcem S. Angeli profugus. 199

§. 15. Hoſtium ſævitia Romæ. 200

§. 16. Fœdus Gallos inter & Anglos. 206

§. 17. Hujus fœderis articuli poſt Romæ deprædationem mutati. 208

§. 18. Cæſar Romæ deprædationem, & Papæ captivitatem edoctus. 209

§. 19. Cæſaris Conſilium de Papa in Hiſpaniam abducendo. 211

§. 20. Nuntii Apoſtolici ſtudium in ſollicitanda Pontificis libertate. 213

§. 21. Cæſaris deliberatio hac ſuper re cum ſuis Conſiliariis habita. 214

§. 22. Liberationis pacta cum Papa, & Principe Araufico inita. 215

§. 23. Papa ex arce minime liberatus. 217

§. 24. Angliæ Regis poſtulata ad Cæſarem. ibid.

§. 25. Epiſtola Cæſaris ad Volſæum Cardinalem. 218

§. 26. Rex Franciæ Ambiani a Cardinale Volſæo ſalutatus. 220

§. 27. Lautrecus cum exercitu in Italiam miſſus. 222

§. 28.

§. 28. Lautreci progreſſus in Italia. 223
§. 29. Lautreci tergiverſatio in invadendo Neapolis Regno. 225
§. 30. Ferrariæ Dux & Mantuæ Marchio ad Gallorum partes a Lautreco pertracti. 227
§. 31. Cæſaris mandata de liberando Pontifice. 228
§. 32. Caroli Lanoyi Neapolitani Proregis obitus. 229
§. 33. Actum de liberando Pontifice. 230
§. 34. Moronus & Cardinalis Columna Papæ reconciliati. 232
§. 35. Conditiones a Cæſare pro Pontificis liberatione præſcriptæ. 233
§. 36. Papa ſub Mercatoris habitu ex arce S. Angeli fuga elapſus. 234
§. 37. Poſtulata Angliæ Regis ad Cæſarem. 235
§. 38. Optimates a Galliarum Rege hanc in rem congregati. 237
§. 39. Franciſcus I. & Henricus VIII. Ordinum ſuorum inſignibus mutuo decorati. 238
§. 40. Initia hiſtoriæ de divortio Henrici VIII. 239.

§. 41

§. 41. Angliæ Rex ad repudiandam Conjugem ſuam a Volſæo Cardinale ſollicitatus. 241

§. 42. Annæ Bollenæ indoles, moresque a Sandero deſcriptæ. 242

§. 43. Obnitente Rege actum de Bollenæ nuptiis cum Perceyo. 243

§. 44. Rex Bollenæ illecebris captus, eam ſibi jungere ſtatuit. 246

§. 45. Cæſar de Henrici propoſito a Regina ejus Conjuge certior factus. ibid.

§. 46. Rationum momenta contra Julii II. diſpenſationem Romæ alleganda. 248

§. 47. Knigthius in cauſſa divortii Romam ablegatus. 250

§. 48. Papa libertati reſtitutus, ac ab Angliæ legatis ſalutatus. 252

§. 49. Epiſtola Cardinalis Volſæi ad Caſalium Angliæ Legatum Romam miſſa. 254

§. 50. Cardinalis tit. quatuor Coronatorum a Knitghio, & Caſalio ſalutatus. 260

§. 51. Opportuna occaſio negotium protrahendi a Pontifice excogitata. 261

§. 52. Facultatis literæ una cum diplomate diſpenſationis a Papa conceſſæ. 263

§. 53.

§. 53. Diſſidia Lutheranos inter & Zwinglianos. 265
§. 54. Lutheri agitatio ob hæc diſſidia. 267
§. 55. Monſtrum Ubiquitatis a Luthero productum. 268
§. 56. Prætenſæ Reformationis fundamenta mutuis hisce diſſidiis everſa. 270
§. 57. Diſputatio a Bernenſibus inſtituta. 271
§. 58. Articuli in hoc colloquio propoſiti, ac decreti. 273
§. 59. Bernenſes a ceteris Helvetiis de impediendo hoc colloquio datis literis admoniti. 274
§. 60. Religionis mutatio in Suecia. 277
§. 61. Depreſſa Epiſcoporum auctoritas. ibid.
§. 62. Linkopingenſis Epiſcopi conſtantia. 279
§. 63. Supremus Mareſcallus cum ceteris ſeſe ſubmittens. 281
§. 64. Edictum pro Rege ſancitum, moxque effectui dandum. ibid.
§. 65. Varii Cardinales a Clemente VII. creati : Electio prima quinque Cardinalium. 283
§. 66. Altera creatio octo Cardinalium. 284
§. 67. Duo Cardinales in bina promotione creati. 286

§. 68. Cardinalis Jacobatii obitus. 287
§. 69. Scaramutiæ Trivultii Cardinalis mors. 289
§. 70. Ferdinandi Ponzetti Cardinalis extrema. 291
§. 71. Franciſci Armellini fatum. 293
§. 72. Jacobi Hochſtrati obitus. 295
§. 73. Bedæ molimina pro condemnandis omnibus Eraſmi libris. 303
§. 74. Pariſienſis Facultatis cenſura adverſus libros Eraſmi. 304

INDEX.

De Parvulis Baptizatis. 305
De Morte Chriſti. ibid.
De jejunio & delectu ciborum. ibid.
De Juramento. ibid.
De Reparatione injuriæ. ibid.
De Matrimonio. ibid.
De Fide. ibid.
De quibusdam deſideriis ſpectantibus ad Fidem. ibid.
De Lege veteri, ibid.
De Auctoribus librorum novi Teſtamenti. ibid.
De Symbolo Apoſtolorum. ibid.
De Tradctione ſanctarum Scripturarum in linguam vulgarem. ibid.

De his, in quibus a communi usu Ecclesiæ latinæ Paraphrastes recedit in suis Paraphrasibus. 305
De quibusdam propositionibus, quæ positæ videntur ex inadvertentia vel Paraphrastæ, vel Typographorum. ibid.
De quibusdam propositionibus, in quibus non satis officio Paraphrastæ Scriptor Paraphrasis respondet. 306
De Meritis. ibid.
De Fiducia bonorum operum, & meritorum. ib.
De Fiducia corporalium Cæremoniarum & Statutorum Religionis. ibid.
De Oratione vocali. ibid.
De Cœlibatu Sacerdotum. ibid.
De peccato originali. ibid.
De pœna filiorum temporali propter peccatum parentum. ibid.
De Pœna Hæreticorum. ibid.
De defectu vigoris Evangelici. ibid.
De Sabbatho. ibid.
De Ecclesia. ibid.
De Beata Virgine Maria. ibid.
De Angelis. ibid.
De S. Petro. ibid.
De S. Paulo. ibid.

De Dionyſio Areopagita. 306
De Theologia Scholaſtica. ibid.
De Baptiſmo Parvulorum. ibid.
De Morte Chriſti Domini. 308
De jejunio & delectu ciborum. 310
De Juramento. 311
De reparatione injuriæ. 312
De Matrimonio. 313
De Fide. 314
De quibusdam deſideriis ad Fidem ſpectantibus. 316
De Lege veteri. 317
De Auctoribus librorum novi Teſtamenti. 319
De Symbolo Apoſtolorum. 321
De Verſione ſacrarum Scripturarum in linguam vulgarem. 322
De his, quæ in Paraphraſibus Eraſmi mutata fuere. 325
De quibusdam propoſitionibus ex Paraphraſtæ, vel Typographorum inadvertentia depravatis. 326
De Meritis. 327
De Fiducia bonorum operum. 329
De Ceremoniis Eccleſiæ, & Statutis Religionis. 331
De Oratione vocali. 332

De

De Cœlibatu Sacerdotum. 334
De peccato originali. 335
De Pœna filiorum temporali propter peccata parentum. 336
De Pœna Hæreticorum. ibid.
De defectu vigoris Evangelici. 339
De Sabbatho. 340
De Ecclesia. ibid.
D. B. Virgine Maria. 341
De Angelis. 342
D. S. Petro. ibid.
De S. Paulo. ibid.
De S. Dionysio Areopagita. 343
De Theologia Scholastica. 345
§. 75. Aliæ propositiones ex Erasmo damnatæ. 346
§. 76. Erasmus apud Parisiensem Senatum de Beda Syndico questus. 347
§. 77. Apologia contra hanc censuram. 349
§. 78. Erasmus de arctiori cum Hæreticis societate postulatus. 352
§. 79. Dissidia Lutheranos inter & Zwinglianos. 355
§. 80. Bellum ab Hassiæ Landgravio, & Electore Saxoniæ adornatum. 356

§. 81. Pax ingenti pecuniarum ſumma coempta. 358

§. 82. Turpis Landgravii quæſtus a Melanchtone reprobatus, & a Luthero laudatus. 360

§. 83. Diſputatio Bernenſis. 362

§. 84. Initia diſputationis Bernenſis. 363

§. 85. Approbatio decem articulorum. 365

§. 86. Nova Reformatio a Bernenſibus adoptata. 366

§. 87. Lutheri Scripta adverſus Zwinglium & Anabaptiſtas. 368

§. 88. Anabaptiſtarum Supplicium. 371

§. 89. Provinciale Concilium Senonenſe Pariſiis celebratum. 374

§. 90. Epiſtola Synodalis hujus Concilii. 376

§. 91. Particulare hujus Synodi decretum de Fide Eccleſiæ, ejusque infallibilitate. 378

De viſibilitate Eccleſiæ. 379

De Auctoritate S. Conciliorum. 380

De Libris Canonicis. ibid.

De Traditione. 381

De Conſtitutionibus, & Conſuetudinibus Eccleſiaſticis. 382

De

De Jejunio & abstinentia. 383
De Cœlibatu Presbyterorum. 384
De Votis Monasticis. ibid.
De Sacramentis. 385
De Sacrificio Missæ. 386
De Satisfactione, Purgatorio, & Precibus pro defunctis. 387
De Cultu Sanctorum. 388
De Cultu Imaginum. ibid.
De Libero arbitrio. 389
De Fide & operibus. 390
§. 92. Decreta hujus Concilii ad mores, & disciplinam pertinentia. 391

LIBER CXXXII.

§. 1. Concilium Bituricense. 401
§. 2. Decreta hujus Synodi contra Lutheri errores, & pro correctione morum. 403
§. 3. Decreta ejusdem Synodi de Jurisdictione, & Clericorum exemptione. 409
§. 4. Decretum de residentia Parochorum. 412
§. 5. Aliud Decretum de Cœmeteriis. ibid.

§. 6. Seditio in Provincia Ultrajectina ob Lutheri hæresin exorta. 413
§. 7. Imperatoris postulatio de Ultrajectina Provincia Belgio unienda. 414
§. 8. Ultrajectina Provincia sacræ Sedis auctoritate Cæsari asserta. 415
§. 9. De Pace Cæsarem inter & Galliarum Regem irrito successu actum. 417
§. 10. Bellum Cæsari per feciales Angliæ & Franciæ Regum denunciatum. 418
§. 11. Crimina Galliarum Regi a Cæsare objecta. 419
§. 12. Cæsar a Francisco Rege ad singulare certamen provocatus. 421
§. 13. Scheda provocatoria per Fecialem missa. ibid.
§. 14. Franciscus Rex viciſſim a Carolo Cæsare ad duellum provocatus. 423
§. 15. Cæsaris Fecialis a Francisco I. auditus. 426
§. 16. Henricus VIII. bellum Flandris inferendum a Galliarum Rege incitatus. 429
§. 17. Lautreci copiæ relicta Romandiola Neapolis Regno admotæ. 430
§. 18. Apulia a Lautreco ferme subacta, & Melphia urbs capta. 432

§. 19.

§. 19. Totum ferme Neapolis Regnum a Lautreco ſubactum. 434

§. 20. Neapolis a Lautreco invaſa, atque obſeſſa. 435

§. 21. Auria in navali prælio victor, & Neapolis Pro-Rex occiſus. 437

§. 22. Cæſar de clade exercitus ab Auraſiæ Principe certior factus. 439

§. 23. Gallorum exercitus lue confectus. 441

§. 24. Andreas Auria Gallis indignatus. 442

§. 25. Langeius Auriam conciliandi animo a Lautreco ablegatus. 444

§. 26. Barbezillus ad capiendum Auriam, ejusque triremes emiſſus. 446

§. 27. Auria relictis Gallorum ſtudiis Cæſaris fidem profeſſus. 447

§. 28. Gallorum exercitus aſſidua peſtilentia conſumptus. 449

§. 29. Odeti Fuxi Lautreci Toparchæ obitus. 450

§. 30. Galli ſoluta Neapolis obſidione Averſam profugi. 452

§. 31. Petri Navarri obitus. 453

§. 32. Galli Averſam profugi, ibidemque a Cæſareis obſeſſi. 455

§. 33. Excidium Galliei exercitus in Italia. 456

§. 34. Fœderatorum oſcitantia in reſtaurandis Gallorum rebus. 458

§. 35. Genua ab Auria priſtinæ libertati ſuæ reddita.

§. 36. Mediolanenſes atrocibus Antonii Levæ exactionibus oppreſſi. 461

§. 37. Continuatio Hiſtoriæ de divortio Henrici Angliæ Regis. 464

§. 38. Quæſtio, an Papa in Spem obtinendæ diſpenſationis Henrico aliam Conjugem ducere ſuaſerit? 466

§. 39. Staphileyus, Gardinerus, & Fuxius hac in cauſſa Romam ablegati. 468

§. 40. Epiſtola Volſæi Cardinalis ad Papam circa Regis divortium. 470

§. 41. Gardineri & Fuxii poſtulata Papæ propoſita. 471

§. 42. Campegius Cardinalis in cauſſa divortii in Angliam miſſus. 472

§. 43. Moleſtia Volſæo Cardinali in hoc negntio creata. 475

§. 44.

§. 44. Campegius Cardinalis in Angliam delatus. 477

§. 45. Dubia Fides hujus Bullæ a Papa Campegio traditæ. 479

§. 46. Pax Pontificem inter & Cæsarem conciliata. 483

§. 47. Catharina Angliæ Regina apud Cæsarem & Ferdinandum conquesta. 484

§. 48. Catharina ultro se a Rege separare, a Campegio admonita. 486

§. 49. Novum diploma a Regina exhibitum circa ejus connubium. 488

§. 50. Propositiones ab Angliæ Rege summo Pontifici expositæ. 490

§. 51. Aliæ propositiones ab Henrici VIII. legatis factæ. 491

§. 52. Papæ Responsum ad legatos Regis Angliæ. 493

§. 53. Clementis Papæ propensio in Carolum Cæsarem. 494

§. 54. Abolitio plurium Monasteriorum a Volsæo Cardinale pro suo Collegio impetrata. 495

§. 56.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 56. Diſſidia Eraſmum inter & Eppendorfium. 498
§. 57. Sententia contra Eraſmum pro Eppendorfio lata. 501
§. 58. Numalii Cardinalis obitus. 505
§. 59. Jacobi Wimphelingi extrema. 506
§. 60. Wimphelingi opera. 509
§. 61. Comitia Spiræ celebrata. 516
§. 62. Miſſæ Sacrificium ab Argentinenſibus abrogatum. 518
§. 63. Idem Cultus Baſileæ abolitus. 519
§. 64. Edictum Spirenſibus in Comitiis promulgatum. 520
§. 65. Quorumdam Principum oppoſitio contra hoc edictum. 522
§. 66. Horum oppoſitio quatuordecim Imperialium Civitatum acceſſu firmata. 527
§. 67. Lutheri Sectatores, unde Proteſtantes dicti. 529
§. 68. Anabaptiſtarum articuli a Cochlæo confutati. 531
§. 69. Buda in Hungaria a Solimano capta. 533
§. 70. Vienna a Solimano cincta, ſed obſidione liberata. 534
§. 71. Conſilia de pace Cæſarem inter & Franciæ Regem ſtabilienda. 535

§. 72. Proficua pax Pontificem inter & Cæsarem. 537
§. 73. Cæsar ex Hispania Genuam delatus. 539
§. 74. Pax Cæsarem inter & Galliarum Regem Genuæ stabilita. 541
§. 75. Articuli fœderis Cameracensis inter Carolum V. & Franciscum I. initi. 542
§. 76. Florentinorum Deputati minus benigne a Cæsare excepti. 546
§. 77. Medicæus Cardinalis a Papa suo Patruo Genuam decretus. 547
§. 78. Cæsar Placentiam delatus. 549
§. 79. Protestantium Principum Legatio ad Cæsarem. iaid.
§. 80. Cæsaris Responsum ad Deputatorum postulata. 551
§. 81. Deputatorum oppositio contra Cæsaris responsum. 553
§. 82. Dissidia inter Lutheri, & Zwinglii Sectatores. 555
§. 83. Epistola Melanchtonis ad Oecolampadium. 558
§. 84. Colloquium Marpurgense inter Lutheri & Zwinglii assecias. 560
§. 85. Marpurgense colloquium re infecta solutum. 566

§. 87.

§. 86. Nova Landgravii molimina pro componendis litigantium diſſidiis. 567
§. 87. Principes Proteſtantes, Urbiumque Deputati Smalcaldiæ congregati. 569
§. 88. Decretum a Papa Bononiam diſceſſuro editum. 571
§. 89. Carolus V. Bononiæ. 573
§. 90. Cæſar Bononiæ honorifice exceptus. 574
§. 91. Carolus Imperator a Papa exceptus. 575
§. 92. Secreta Cæſaris colloquia cum ſummo Pontifice. 577
§. 93. Franciſcus Sfortia a Cæſare Mediolanenſi Ducatui ſuo reſtitutus. 578
§. 94. De Ferrariæ Ducis negotio. 579
§. 95. Cæſar Papam ad Synodi celebrationem inclinare intentus. 580
§. 96. Rationes a Papa ad declinandum Concilium allatæ. ibid.
§. 97. Cæſar Papæ rationibus ceſſiſſe videtur. 588
§. 98. Cardinales a Clemente VII. Papa creati. 593
§. 99. Paſſerini & Gonzagæ Cardinalium obitus. 594
§. 100. Continuatio Hiſtoriæ de divortio Henrici VIII. 595
§. 101. Angliæ Rex cauſſam ſuam coram Legatis perſequi intentus. 597
§. 102. Epiſtola utriusque Legati ad Angliæ Oratorem. 598

§. 103.

§. 103. Prima fortunæ Volſæo Cardinali adverſæ initia. 603
§. 104. Papæ Legati in Anglia congregati. 604
§. 105. Novi diplomatis veritas a Regina Angliæ demonſtrata. 606
§. 106. Angliæ Rex & Regina coram Legatis comparere juſſi. 608
§. 107. Oratio Reginæ ad Mariti ſui pedes proſtratæ. 610
§. 108. Scrupuli origo ab Angliæ Rege manifeſtata. 612
§. 109. Regina a Rege indigne habita. 613
§. 110. Legati Reginam ad ſuas partes pertrahere intenti, ejusdem reſponſum. 616
§. 111. Regina comparere recuſans, ac contumax declarata. 618
§. 112. Papa pro cauſſa ad tribunal ſuum revocanda impenſe a Cæſare rogatus. 619
§. 113. Divortii cauſſa ad Papæ tribunal translata. 621
§. 114. Literæ de cauſſa ad Romam transferenda in Angliam delatæ. 624
§. 115. Adverſa Volſæi Cardinalis fortuna. 625
§. 116. Campegius Cardinalis Londino Romam reverſus. 627
§. 117. Judicii acta in Volſæum inſtrui cæpta. 629

§. 118.

§. 118. Volfæi cauſſa in Regis Senatu dijudicata. 632
§. 119. Ludovicus Berquinus ad rogum damnatus, atque in foro Pariſienſi combuſtus. 633
§. 120. Cenſura contra quoddam Sueſſionenſe Breviarium. 635
§. 121. Eraſmus relicta Baſileenſi urbe Friburgum delatus. 637
§. 122. Epiſtola Eraſmi ad Stunicam. 638
§. 123. Alia Eraſmi opera adverſus Caranzam & Staudicium. 639
§. 124. Lutheri opera hoc anno edita. 640
§. 125. Hæretici Coloniæ combuſti. 642
§. 126. Status Religionis in Suecia. ibid.

HISTO-



Rusticorum bellum a Luthero et Münzero conflatum.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXX.

CLEMENS VII. PAPA.
CAROLUS V. OCCIDENTIS IMPERATOR.

§. I.

Lutherus Rusticorum seditionis conscius.

Interea Rusticorum rebellio, quam Anabaptistæ suscitaverant, nova indies cepit incrementa: Ut vero illi seditionem suam quodam obtentu honesta- Sæcul. XVI. A.C. 1525.

Sæcul. XVI A.C. 1525.

rent, adversus Principes suos sæculares scriptum quoddam evulgarunt, in duodecim postulata, seu articulos distinctum, quod non sine magna temeritate Principibus æque ac Magistratibus obtulerunt.

§. II.

Scriptum Anabaptistarum in duodecim articulos partitum.

Arnold. Meshov. hist. Anabapt. l. 1. Chytr. Sax. l. 11. Cochl. de act. & script. Luth. an. 1525.

In eo igitur petebant I. *ut sibi facultas esset eligendi Ministros Ecclesiæ*, qui prout jactitabant illi, purum Dei Verbum absque ulla traditione humana edocerent, *ac liberum esset eos officio suo ad libitum exuere:* II. *Decimæ tantum darentur ex frumento, in tres partes dividendæ, scilicet in usum eorumdem Ministrorum, pauperum, & rei publicæ*, ac quotannis a Viris ad hoc deputandis colligerentur. III. *Liberi ita essent, ut solum obtemperarent Principum & Magistratuum mandatis*, quæ ipsimet honesta, & rationi consona censerent, eoquod omnes sanguine Christi in libertatem asserti essent. IV. *Fas omnibus esset venari, & piscari*, nisi Principes demonstrare possint, quod ejusmodi jura a locorum subditis legitimo emptionis titulo sibi vendicaverint. V. Sylvæ & saltus in omnes usus ad depellendum frigus, vel fabri-

Sleid. l. 4. p. 128

fabricandum communes essent, ac cujusque arbitrio relinquerentur. VI. Omnes consuetudines, aut potius corruptelæ, quæ contra eorum libertatem fuerunt introductæ, tollerentur. VII. Pensiones juxta primævam institutionem solverentur, neutiquam vero illæ augerentur. VIII. Omnia prædia, quæ a rusticis beneficiario nomine possidentur, a viris hac in re peritis taxentur, ut pensionum summa diminuatur, si forte immoderata esset, ne alias colonis post solutum dominis suis censum vix quid, unde victum ex labore habeant, amplius superfit. IX. Jus, prout justitia, & æquitas petit, cunctis dicatur, indicta Dominos suos in prædia jure privandi pœna. X. Principum prata ad communia armentorum pascua relinquerentur. XI. Abrogaretur jus, quo Domini bona defuncti subditi confestim occupant, & unius anni reditus exigunt. XII. Denique circa has petitiones ita sibi satisfieri postulabant, ut, nisi illæ concederentur, simul innuerent, non sibi defutura media, per quæ contra omnes Tyrannorum impetus pristinam libertatem suam consequi possent.

Sæcul. XVI. A C. 1525.

Sæcul. XVI
A.C. 1525

§. III.

Lutheri ſententia a Sueviæ ruſticis rogata.

Inter opera Luth. contra cæleſtes prophetas, & fanaticos.

Hoc ſcriptum, quod avide per totam Germaniam paſſim excipiebatur, velut claſſicum belli ruſtici, ac rebellionis fructus erat: Præprimis Sueviæ Ruſtici ad Lutherum provocarunt, atque illum, ut de eorum diſſidiis adverſus Nobiles ſententiam ſuam ediceret, rogarunt, ſpe freti, hunc abs dubio eorum ſeditioni ſuffragaturum, cum illum in ſuo *de Chriſtiana libertate* libro doctrinam haud abſimilem tradidiſſe noſſent. Verum Lutheri reſponſum nec Principibus nec Ruſticis placuit; nam his ſcripſit, ſeditionem a Deo prohiberi, illis vero data epiſtola exprobravit, quod in ſubditos tantam exercerent tyrannidem, quam hi ultra tolerare, nec poſſent, nec vellent, nec deberent; per hanc vero vocem: *deberent* ruſticis ad ſeditionem arma ſubminiſtrabat, quæ alia ex parte illis aufferre ſimulabat. Tertiam denique epiſtolam generatim tam ad Principes quam ad Ruſticos exarrabat, & tam hos, quam illos inique agere aſſerebat, atque ambos hortabatur, ut mutuo conſenſu pacem inirent, interminata etiam divina caſtigatione; paulo poſt

Sæc. XVI. A.C. 1525.

poſt quartam perſcripſit epiſtolam, in qua Principes ſtimulabat, ut ad exterminandos ruſticos arma caperent, ſine miſeratione omnes jugularent, nullisque, niſi ultronee ſe dederent, vitæ veniam concederent, eoquod hi miſeri homines ſalutaria ejus monita neglexiſſent: Cum vero tam crudele judicium ab aliis improbari cerneret, mox data opera alium edidit libellum, in quo oſtendere conabatur, nullam erga ſeditioſos commiſerationem eſſe habendam, imo nequidem illis parcendum, quos etiam invitos tumultuantium multitudo ad ſeditioſos quosdam inſultus abripuiſſet (*).

§. IV.

(*) Ita nempe Lutherus vetſipellis pacis conciliator, & criminum vindex videri voluit, ubi paulo ante verbo, & opere belli incentor extitit, Docuit Lutherus in libro de Captivitate Babylonica: *Neque Papam, neque Epiſcopum neque ullum hominem habere jus unius ſyllabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat ejus conſenſu; hoc eſſe vere hominum ſervos fieri, ſtatutis, & Tyrannicis eorum legibus ſubjici, Chriſtianis nihil ullo jure poſſe imponi legum, niſi quantum volunt: cum ſint liberi ab omnibus &c.* In libro de ſæculari poteſtate apertius Populo Principum vilipenſionem inſtillat ſeditioſis hiſce verbis:

Sæcul. XVI. A C 1525.

§. IV.

Rusticorum Anabaptistarum bellum.

Borland. chron. de Brabant. c. 182.

Ceterum eorum, qui rebellionem conflarunt, nec eadem erat sententia, nec eadem seditiosis accedendi ratio; quippe inter Anabaptistas numerabantur

---

Principes nostri pulchri socii sunt, super quibus bene confidendum est, nempe ut præcipitio collum frangant, terrasque, & homines in clades, & miserias perducant. Ego autem excæcatis hominibus consulerem, ut sibi prospiciant, ab illo psalmi 106. Effundunt contemptum super Principem. *Ego vobis juro per Deum, perditi estis, etiamsi unusquisque vestrum tam potens esset, quam Turca est . . . jam populus communis fit intelligens, & Principum plaga potenter progreditur in plebe, & communi populo, & vereor, ne prohiberi non possint. Non ferrent, non possunt, nec volunt vestram tyrannidem diu perferre.* Hæc spurius ille Evangelii Præco: nihilominus Godefridus Ludvvigen hæc scribere audet: Die papistischen *Scribenten* möchten gern die Schuld dieses Aufstands auf Luther welzen, als wenn er sie durch seine Schriften darzu veranlasset hätte, der doch nicht nur diesen Bauernkrieg, sondern alle Religionskriege abzuwenden

tur nonnulli, qui vana ſpe a Münzero deluſi unice novo ſuo Chriſti Regno inſiſtebant; ex adverſo erant, qui a pietate, omnique Religione averſi, nec legibus nec Magiſtratibus ſubjici volebant. Denique ex iis reperiebantur non pauci, qui nonniſi ab omni tributorum, ac exactionum genere exonerari, ac cum ceteris Magiſtratus quoque aboleri poſtulabant. Ceterum hi omnes ſeditionem ſuam ſpecioſo libertatis Evangelicæ obtentu honeſtare moliebantur. Concurrebant ejusmodi Fanatici homines ex decem Imperii circulis, conflabantque exercitum circiter quadraginta millibus validum, quem in tria agmina dividebant, atque eorum unum Biberacum ad Riſum flumen, alterum in Algoviam Sueviæ Provinciam, tertium denique ad Lacum Bodamicum decernebant. Sæc. XVI. A C. 1525. *Sleidan in comm l. 4. p. 128.*

Hujus rebellionis caput erat Münzerus, qui datis literis ſeditioſos hortabatur, ut pro exterminandis infidelibus, & ſtabiliendo novo Chriſti regno ſtrenue dimicarent; epiſtolam vero ſuam ita ſubſcripſit: *Thomas Münzerus Servus*

---

wenden geſucht hat. Alſo ſchreibt er wider Wiſſen und Gewiſſen in ſeiner Univerſal-Hiſtorie ad ann. 1526. fol. 535.

Sæcul. XVI A.C. 1525.

vus Dei cum gladio Gideonis contra impios. Haud abs re Principes mala, quæ hanc seditionem sequerentur, pertimescebant, quocirca hisce Fanaticis proponi curarunt, se rebellibus vitæ veniam, ac singulis ad sua redeundi libertatem concessuros, dummodo positis armis præcipuos conspirationis Auctores traderent. Nil propius esse videbatur, quam ut rustici oblatas conditiones acceptarent, cum ecce! Münzerus re comperta non modo literas ad eos perscribit, sed ipsus etiam seditiosi agminis Ducem sese constituit, curamque exercitus cum quodam fidei desertore nomine Pfeiffero quondam Ordinis Præmonstratensium Monacho partitur. Hic ad quævis audenda proclivis, se exinstinctu divino ad extirpandos Nobiles arma capessere, jactitabat, atque ambo, ut suis ad prosequendum bellum animos adderent, edicebant, utrumque ex acie absque vulnere recessurum; quinimo Münzerus jactanter effutiebat, *se solum sine damno omnes bombardarum globos in manica sua excepturum.* Falso hoc vaticinio delusi, omnes concordiæ conditiones respuebant, cunctaque igne & cædibus miscebant: Ast, cum rustica hæc turba rei militaris ignara promiscuo ordine irrueret, brevi ingenti clade deleta fuit.

Cochl. in actis & script. Lutheri p. 109. ann. 1525.

§. V.

Sæcul. XVI. A.C. 1525

§. V.

Ruſticorum devaſtationes in Franconia, & alibi.

Primam cladem acceperunt Ruſtici Lippiæ haud procul ab Ulmenſi civitate, ubi fœderatus Suevorum exercitus, a Georgio Truchſeſio Waldurgi Comite, ac Guilielmo Comite de Fürſtenberg, in aciem eductus una omnes, qui Wirtembergenſem & Franconicum Ducatum devaſtabant, trucidabat. Horum rebellium agmen die decima ſexta Aprilis Vinſpergam Franconiæ urbem occupabat, omnesque Nobiles, & præcipue Ludovicum Comitem de Helfenſtein inter haſtarum cupides decurrere compellebat, ac crudelem in modum interficiebat, ſpretis precibus, ac jugibus lacrimis Comitiſſæ, quæ Ludovici uxor, ac ſpuria defuncti Cæſaris Maximiliani filia Mariti ſui vitam incaſſum exorabat. Tanta igitur illorum ſævitia concitatus Truchſeſius adverſus eos exercitum duxit, debitasque crudelitatis pœnas dare coegit: Cum vero aliud ſeditioſorum agmen Herbipolin obſeſſa arce occuparet, idem Truchſeſius magnis itineribus eo contendit, nec ſegnius Ruſtici Angelopolin ſeu Engelſtadium procurunt, ubi acre ac pertinax *Sleidan. in comm. l. 4. p. 130.*

Sæcul. XVI. A.C. 1525. utrinque committitur prælium, fors hæreticis quoque secundum, nisi Palatinus Elector opportuno auxilio accurrisset; eo quippe adventante rebelles fusi fugatique: victores vero Herbipolin gloriose reversi sunt, desideratis horum amentium trecentis, qui in locis, in quibus latebant, fame perierunt.

§. VI.

Rustici agminis clades in Alsatia.

Petrus Gnodalin. hist. tumult. rust. in Germ. l. 2. Aliud horum rebellium agmen numero copiosissimum in Alsatiam prædatum ibat, inde vero Lotharingiam expilare, ac demum facta in Campaniam, & Burgundiam irruptione utriusque Provinciæ incolas aliunde Principibus suis infensos sibi aggregare moliebatur. Verum Lotharingiæ Dux horum adventum edoctus, quasdam contraxit copias, quibus, ut & suas jungeret, Fratrem suum Guisiæ Comitem rogavit. Hic quantocius unacum Val-
Bellejoïeuse demontio & Belliocensi Comitibus accurrit, ac inito copiarum numero, nonnisi sex armatorum millia recensuit, inter quæ duo Italorum peditum millia numerabantur, quæ Belliocensis adduxerat. Exiguus adeo militum manipulus pluribus quam triginta rusticorum millibus opponitur. Nihilominus eorum

rum Belliduces, licet hosti numero impares essent, Asatiam ingrediuntur, ac Sabrinam usque procedunt, ubi potissima rebellium pars confluxerat, in quorum auxilium aliud agmen sex omnino millium, qua peditum qua equitum accurrebat; comperto horum itinere mox Guisiæ Comes die decima octava Maji illis obviam ibat, præpediturus, ne se sociis suis conjungerent. Hi vero quantocius Lufflteinium sese recipiunt, illudque oppidum aggeribus, fossisque cingunt; nihilominus Comes illos aggreditur, superat, & ferme omnes aut gladio jugulat, aut in eorum ædibus igne delet. Promiscuæ hujus cædis fama in vicina quoque Sabriensium castra terrorem extendit, unde & illi biduo post deditionem fecerunt, pacta ea duntaxat conditione, ut vitæ gratiam obtinerent: Cum vero inermes per Lotharingicas Gallicasque copias Rhenum trajecturi pertransirent, ac in milites quædam probra conjicerent, hi indignatione inde concepta toto impetu in rusticos irruerunt, atque unaomnes tanta cædis aviditate trucidarunt, ut in utraque hac pugna plusquam viginti rusticorum millia cæsa fuissent. Plures alii Peterheimii prope Wormatiam ab Electore Palatino interfecti sunt.

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

Sleid. l. cit. p. 131.

§. VII.

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. VII.

Friderici Saxoniæ Electoris obitus.

Sleid l 5. p. 135.

Fervente hoc tumultu Fridericus Saxoniæ Elector, ac insignis Lutheri fautor vivis ereptus est die quinta Maji hoc anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto. Aspexerat is primam lucem die decima septima Januarii Anno supra millesimum quadringentesimo sexagesimo tertio.

§. VIII.

Rustici ad capessenda arma in Thuringia a Münzero concitati.

Meshov. in hist Anab. Pallav. l. 2. c. 12.

Interea rustici ubique aut cæsi, aut arma ponere, in Germania compulsi sunt, exceptis iis, qui Thuringiam, ubi Münzerus Mülhusii sedem suam fixerat, incolebant, nam hi Germanorum clade adeo non ad subjectionem permovebantur, ut etiam insolentiores fierent, amplisque Münzeri promissis seducti summa arrogantia novas pacis conditiones, oblatamque præteritarum injuriarum oblivionem rejicerent; quocirca Mansfeldius Comes, cujus ditiones paulo ante devastabant rustici, copias contra eos eduxit,

eduxit, ac rebelles clade non adeo ma- Sæcul. XVI.
gna affecit; quippe non nisi ducenti A.C. 1525.
eorum cæsi sunt, reliquis Frankusium
fugere compulsis. Mox vero Comiti
suppetias venerunt Fœderatorum Prin-
cipum exercitus, Georgius Saxoniæ
Dux, Joannes ejusdem Ducatus Elector
Friderici Successor, & Hassiæ Princeps
præter Brunsvicensem Ducem. Eo
tempore seditiosorum exercitus in quo-
dam colle prope Frankhusium castra
metabatur, curribus ac plaustris tam
scite munita, ut ea aggredi magni mo-
liminis res esset; id tamen Principi-
bus saluti fuit, quod rustici admodum
exiguo tormentorum apparatu instructi
ac potissimi eorum inermes, ac milita-
ris disciplinæ ignari essent. Nihilomi-
nus Münzerus a misera hac turba de-
relinqui veritus, sermonem habuit, in
quo occasione ex iride, quæ tum forte
apparuit, desumpta, victoriam adversus *Sleid. l. 5.*
hostes suos reportandam ementito Dei *p.* 138.
afflatu pollicitus est, „Deus stat pro no-
„ bis, inquiebat, ecce signum, ac cle-
„ mentiæ suæ testimonium! vestros o-
„ culos attollite, conspicite iridem,
„ quam cum & nos vexillis nostris
„ insertam habeamus, haud luculentio-
„ ri signo Deus nobis posset declarare,
„ quod, ipse prælium nostrum secunda-
„ re, ac excidium Tyrannis commina-

ri

Sæcul. XVI A. C. 1525.

„ ri velit; ſtrenue igitur in hoſtes irrui-
„ te, certi eſtote, Deum vobis præſto
„ futurum, ac Dei voluntatem eſſe, ut
„ pacem cum impiis reſpuatis. „

§. IX.

Ruſtici Frankenhuſii prælio devicti.

Florim. Raym. de l'orig. de l'hereſie l. 2. c. 1 & ſuivant. Cochl. ad ann. 1525. p. 110.

Præterea Münzerus, ut ſuos acrius ad pugnam accenderet, illis omnem cum Principibus concordiæ ſpem præcidebat, hancque in rem Nobilem adoleſcentem, qui eos ad acceptandam pacem a Principibus oblatam hortaturus mittebatur, trucidari jubebat. Verum ipſa Münzeri crudelitas tantopere exulcerabat Principum animos, ut quantocius in ruſticos irruere decernerent. Nec ſecundus conſilio deerat eventus; quippe mox ſuperatis rebellium aggeribus, totus exercitus ingenti clade profligatus eſt, aliis gladio jugulatis, aliis Frankhuſium fugientibus. Tertium agmen in montis cacumine ſeſe collegerat, ſed prima exploſione facta pedem retulit, cumque Fœderatorum equites promiſcue cum fugitivis in oppidum penetrarent, capta urbe ruſticos unaomnes captos abſtraxerunt. In hoc prælio cæſa ſunt ſeptem millia, & quingenti rebelles, captique omnes, qui Frank-

Frankhusium sese receperunt. Parta est hæc victoria die decima quinta Maji Anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo quinto. Sæc. XVI. A.C. 1525.

§. X.

Münzerus in latibulo suo repertus.

Münzerus ad urbem profugus in quadam domo prope civitatis portam delituit: cum vero ibidem quidam Nobilis diversaretur, ejus famulus quemdam Virum lecto decumbentem in quodam cubiculo reperit. Hic, quamvis unius hominis occursu minime terreri debuisset, nihilominus sollicite ex eo scisciabatur, quis esset? num & ipse ex seditiosorum numero foret, ac ex prælio fuga sese abstulisset? Ad hæc Münzerus reposuit, se in hac æde diuturna admodum febri oppressum detineri. Casu autem accidit, ut famulus supra lectum ementiti hujus infirmi marsupium cerneret, quod ille mox arripiens aperuit, ibique literas reperit, quas olim Albertus Mansfeldius Comes Münzero scripserat, eum hortatus, ut ipsius ditionem deprædari, subditosque ad seditionem concitare desisteret. Perspecta hac epistola Famulus ad Münzerum inquit, tune es ille, cui hæ literæ *Sleid. l. cit. p. 140.*

Sæcul. XVI. A C. 1525

ræ sunt inscriptæ? ille autem respondit; non ad me directæ sunt. Verum cum Famulus Münzerum perplexum hærere, factique veritatem mendacio eludere probe cognosceret, illum mox carceri dandum in cubiculo includere statuit. Münzerus, cum sibi omnem elabendi spem præcisam cognosceret, nomen suum famulo manifestavit, ne tamen proderetur, summis precibus institit, quas tamen famulus flocci habuit; quocirca Münzerus nulla mora comprehensus, ad Georgium Saxoniæ Ducem, necnon ad Hassiæ Landgravium abducitur, qui eum imprimis interrogabant, quam ob caussam tot homines adeo nequiter seduxerit? ad hæc respondit Münzerus, „ quæ partium mea„ rum erant, executus sum; ita enim „ reprimendi sunt Magistratus, qui Ev„ angelii doctrinæ adversantur. „ Hoc dicto ad munitissimam Mansfeldii Comitis arcem *Hilderung* dictam abducitur, ubi tormentorum vi ad prodendos seditionis socios compellebatur. Tandem vero Mulhusium ductus unacum Pfeiffero capite plexus est, pari supplicio mulctatis præcipuis Rebellionis auctoribus, qui in prælio victorum gladios evaserant.

§. XI.

Sæcul XVI.
A.C 1525.

§. XI.

Münzeri, & Pfeifferi obitus.

Fistulator seu alio nomine Pfeifferus hæresi suæ nullo edito doloris aut pœnitentiæ signo immortuus est. Ex adverso autem referunt Scriptorum nonnulli, quod Münzerus facti pœnitens, revocatis erroribus suis, noxisque coram Sacerdote expiatis ad sinum Ecclesiæ redierint, sacramque Eucharistiam sub unica specie ritu Christiano sumpserit: non desunt tamen, qui illum nonnisi Lutheranæ fidei formulam, suggerente illam Brunsvicensium Duce, recitasse enarrant. Ceterum ut ut res se habeat, id certum est, Münzerum, ubi ferale pegma conscendit, crimen suum, quo infelices rusticos ad seditionem commovit, fuisse detestatum, simulque Principes, ut majori clementia erga miseros colonos uterentur, admonuisse, hancque in rem illis suasisse, ut libros Regum Judæ, & Salomonis diligenter evolverent, in quibus exempla reperturi essent, quæ imitari deberent. Ceterum Münzeri caput hastæ infixum mediis in castris palam expositum fuit.

Sleid. l. 5. p. 141. Cochl. in act. Luth. p. 110.

§. XII.

Sæcul. XVI. A.C 1525.

§. XII.

Progressus Sectæ Anabaptistarum.

Hist. des Anab. imprimée a Amsterd. 1700.

Nihilominus Anabaptistarum Secta extremo Ducum suorum supplicio nondum extincta fuerat, quamvis illorum seditio dissipata esset; nam iidem Hubmeyero auctore Tigurinos, Basileenses, San-Gallenses, Scaphusanos, pluresque alios suis erroribus involvebant: Tandem vero Principes ac Magistratus horum Fanaticorum jugum singulari sua vigilantia, animique fortitudine excusserunt; cum horum quamplurimi ob metum supplicii ex Helvetiorum Pagis excederent, & potissimi eorum in Germaniam inferiorem, ac præcipue in Westphaliam, Frisiam, Hollandiam, aliasque Provincias circumvicinas sese diffunderent.

§. XIII.

Lutheri scripta contra Anabaptistas.

Cochl. l. cit. p. 111.

Lutherus, qui paulo ante Anabaptistarum rebellionem suadebat, nunc illam condemnans, scriptum eorum libellum confutare aggressus est, ac præprimis Principibus æque ac Magistratibus obtemperandi necessitatem exposuit,

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

fuit, demum ad nonnullos præfati libelli articulos reſpondit, & quidem ad primum afferuit, Miniſtros a populo eſſe eligendos, ſuum tamen & in hoc ordinem eſſe ſervandum; ſi enim bona ad Miniſtrorum ſuſtentationem deſtinata a Magiſtratibus proveniant, eorum nominationem itidem penes Magiſtratus eſſe, illis vero id recuſantibus, eligendi Miniſtros, eisque providendi jus ad populum devolvi. Si autem Magiſtratus quemdam a populo nominatum admittere renueret, hunc obſtringi, ut protinus diſcedat, illisque, a quibus fuerat electus, liberum relinquat, an eum velint ſequi. Alterum articulum de decimis omnino iniquum eſſe pronunciat, nec minus tertium reprobat, ceterosque omnes ad Juris peritorum judicium remittit. Sub idem ferme tempus Lutherus adhortationem ad Principes evulgavit, in qua de hiſce duodecim articulis moderatius, quam in alio quodam libello loquitur, ſimulque Principes ac populum ad pacem adhortatur, & tam his, quam illis mala, quæ ex civilibus bellis ſequuntur, ob oculos ponit. Tandem cum ſua monita contemni cerneret, palam ſeditioſis adverſari conſtituit, atque acerbiori Münzerum convitandi ſtudio abreptus, librum compoſuit, cui titulum præfixit: *Terribile factum*

Sæc. XVI. A.C.1525.

ctum, & judicium Dei in Thomam Münzerum. Huic libello protinus respondit Joannes Cochlæus, atque omnia in ipsum Lutherum retorquens, ex propriis ejusdem libris, quæcunque ipse rusticis imputavit, eos hausisse, atque cuncta, quæ rebelles injuste attentarunt, ex illius doctrina didicisse demonstravit.

§. XIV.

Francofordienses Lutheri hæresi infecti.

Ex his Germaniæ tumultibus innumeræ oriebantur seditiones in variis urbibus, quarum cives Lutheri sectam introducere moliebantur. Jamjam Saxoniæ Elector recens electus, Hassiæ Landgravius, & Brunsvicensium Dux palam Lutheri hæresin profitebantur, nec minus Senatus Argentinensis aperte adversus Episcopum Ecclesiasticorum connubiis & Lutheranæ doctrinæ Præconibus favebat. Ast majores longe turbas impia hujus Hæresiarchæ dogmata Francofordiæ ad Mœnum suscitarunt: Plebs enim a duobus seditiosorum ductoribus, quorum unus erat Sartor, alter Sutor, ad rebellionem concitata in feriis Paschalibus magno impetu insurrexit, ac undique ad arma con-

concurrens, Fridericum Martoffium, Sæc. XVI.
& Joannem Cochlæum, quorum prior A.C. 1525.
ad S. Bartholomæum, alter vero ad
B. Virginem Decanus erat, urbe expulit, non aliam ob cauſſam, quam quod Fridericus in Parochiali Eccleſia novos Lutheranorum ritus non admitteret; Cochlæus vero in Lutherum quædam ſcripſiſſet. Poſtmodum ſeditioſi urbis regimen ſibi arrogantes, Senatum veterem abrogarunt, novamque Curiam conſtituerunt, in qua viginti quatuor ex plebe delecti, omne civitatis jus ſibi uſurpabant. Hi itaque novi Senatores quadraginta ſeptem conſcripſerunt articulos, quos pro legibus haberi voluerunt, datisque literis utrumque Decanum urbe expulſum jubebant, ut eo intra menſem redirent, ſuoque conſenſu attentata firmarent, alias ſua amiſſuri beneficia. His minis territus Martoffius ceſſit: Joannes vero Cochlæus reſcripſit, quod conſentire non poſſit absque Superiorum conſilio & voluntate: Petebat igitur longiores inducias, non quod conſentire unquam intenderet, ſed ut iratæ plebis animos a vi retineret. Hoc quoque ipſum paulo poſt factum eſt.

Sæcul. XVI.
A. C. 1525.

§. XV.

Seditio plebis Moguntinæ, & Colonienſis ob Lutheri hæreſin.

Poſtquam Seditioſi Francofordienſes deſcriptos ſuos quadraginta ſeptem articulos ad Moguntinos & Colonienſes populos transmiſerant, hi quoque illorum exemplum ſequi ſtatuebant, ſumma arrogantia palam hæc decernentes. *Cochl. l. cit. pag. 126.* I. De cetero poteſtas eligendi Paſtores, & Miniſtros, qui verbum Dei prædicarent, penes populum ſit. II. Omnes Clerici cunctis ſubjiciantur oneribus civilibus, vigiliis, cuſtodiis, vectigalibus, atque exactionibus. III. Nulli Monachi, ac Religioſi Mendicantes amplius permittantur prædicare, aut confeſſiones excipere. IV. Impoſterum neque Monachus, neque Monialis ulla in eorum Monaſteria recipiatur. V. Omnes, *qui jam in illis eſſent, exire poſſent, quandocunque vellent.* VI. Omnes cenſus, de quibus non extant certæ literæ, & ſigilla, aboleantur, & poſſeſſoris nomine nemo amplius obſtrictus ſit. VII. Eccleſiaſtica Beneficia non exteris, aut Aulicis, ſed ſolis Civium Filiis conferantur. VIII. Omnes ex Teſtamentis donationes, pia legata, aliæque eleemoſinæ, necnon & cenſus ac decimæ in communem ciſtam

ſtam pro ſuſtentandis pauperibus repo- Sæcul. XVI.
nantur, abolitis omnibus omnino Anni- A C 1525.
verſariis, Fraternitatibus, & mortuo-
rum exequiis. Ejusmodi ergo articulos,
ut firmarent, ac eorum obſervationem
urgerent, ſeditioſi Moguntini in Clerum
concitarunt plebem, quæ in die S. Mar-
ci peracta ſolemni ſupplicatione, portas
urbis clauſit, ex carceribus tres Luthe-
ranos Presbyteros vi eripuit, ac extre-
ma quæque Clericis comminata eſt, ni-
ſi hosce articulos acceptarent: Cum er-
go toto triduo portæ urbis eſſent occlu-
ſæ, ac rebellis populus ubique armatus
tumultuaretur, Laurentius Truchſeſius
Decanus per ſummam ignaviam nomi-
ne Cleri pacem iniquiſſimis conditioni-
bus, quas ſeditioſa plebs præſcripſerat,
acceptavit. Aſt paulopoſt omnes hæ
pactiones ut invalidæ fuerunt declara-
tæ, ipſique ſeditioſi urbe ejecti, ac per-
petuo proſcripti.

Non multo poſt tempore in feriis
Pentecoſtes Colonienſes quoque opifices
inſurgebant, ſumptisque armis per ſoli-
dos quatuordecim dies tumultuabantur,
donec tandem Archiepiſcopus S. R. I.
Elector per ſuos a conſiliis Miniſtros qui-
dem ſeditioſos componeret, non tamen
ſine gravi totius Cleri diſpendio, cui
multæ immunitates ac privilegia in ſex

Sæcul. XVI A.C. 1525

annos per ejusmodi pacem fuerunt adempta. Ceterum ex seditiosorum Ducibus paulo post a Senatu comprehensi tres, ac capite plexi publice ceteris in exemplum pœnas dederunt. Nec unquam Lutherani ullis artibus impetrare poterant, ut ibidem novum suum Evangelium publice prædicare eis liceret: In plerisque tamen aliis civitatibus longe minor erat fidei constantia, exceptis tamen Augustissimæ Domus Austriacæ hæreditariis ditionibus, in quibus semper antiqua Religio illibata conservabatur.

§. XVI.

Censura Parisiensis Facultatis Theologicæ contra Amadæum Mesgret.

Cum interea Lutheranæ hæresis venenum longe lateque sese in Germania diffunderet, Parisina Facultas Theologica aliæque universitates nihil non agebant, ut omnem erroris scintillam vix de periculis admonitæ protinus extinquerent: Tum enim Amadæus Mesgret ex Ordine Fratrum Prædicatorum Theologiæ Doctor, cum Lugduni ac Gratianopoli ad populum diceret, plures divulgabat errores. Hac re comperta Lugdunensis Archiepiscopus reum comprehendi, atque in eum judicii acta instrui

instrui jussit. Vocabatur sæpius Mes- Sæcul. XVI.
gretus ad quæstionem, cum vero Regi- A.C. 1525.
na, Regni Administratrix, necnon Pra-
tus Cancellarius hanc caussam ad se e-
vocarent, reus Parisios ducebatur, om-
nesque propositiones erroneæ, quæ ex
ejus sermonibus decerpebantur, una-
cum responsis ab eo in judicio datis ad
Judices pro hac caussa deputatis trans-
mittebantur. Commissarii, quorum duo
erant supremæ Curiæ consiliarii, ac alii
duo Doctores, has propositiones Facul-
tati examinandas commisere; hæc au-
tem sequentes quatuordecim assertiones
hoc anno Christi millesimo quingente-
simo vigesimo quinto Mense Martio cen-
sura perstrinxit.

Propositio I. *Confessio fieri non debet, sicut fit; nam sapit quamdam Hypocrisim, sed sufficit eam facere in genere: Deus enim non curat de præteritis, sed tantum de futuris, & non est necessarium confiteri, & discutere circumstantias peccatorum.* *Argentr. in collect. judic. de nov error. tom. 2. p. 12. & seq. Dupin. Bibl. Script. Eccl. tom. 13. pag. 215 & 216.*

„ Hæc propositio est Venerabili Sa-
„ cramento confessionis aperte injurio-
„ sa, a Sententia Sanctorum Doctorum
„ aliena, & a debita confessione pec-
„ catores inique retrahens, & quan-
„ tum ad id, quod asserit, Deum non
„ curare præterita, sed tantum futura,
„ est hæretica. „ II. *Sacerdotes non te-
nentur dicere horas canonicas, nisi super hoc*

Sæcul. XVI. A.C.1525

ſibi fa iant conſcientiam & ſcrupulum, vel niſi in choro ſint. „ Secunda hæc propoſitio „ falſa eſt. „ III. *Abſtinentia a carnibus tempore quadrageſimali & diebus Sabbati non eſt de præcepto.*

„ Prima pars hujus propoſitionis, „ quæ eſt de quadrageſima eſt falſa, „ ſcandaloſa, contraria bonis moribus, „ & derogat conſuetudini Eccleſiæ Uni- „ verſalis ex traditione Apoſtolorum, „ Ignatio & Hieronymo teſtibus ema- „ nanti. Secunda Pars eſt falſa. „

IV. *Canones & Decretales ſunt traditiones hominum, & non ſunt curandæ.*

„ Hæc propoſitio falſa eſt, erronea „ & ſchiſmatica, perverſæ Wiclefi & „ Lutheri doctrinæ conſentiens. „

V. *Iniiciens manus violentas in Clericum non eſt excommunicatus ipſo jure.*

„ Hæc propoſitio eſt falſa, & Ec- „ cleſiaſticorum libertati perperam de- „ trahit.

VI. *Pro debito, ſiquis non velit ſatisfacere ſuo Creditori, non debet, nec poteſt excommunicari.*

VII. *Pro malefactis occultis non poteſt Eccleſia excommunicare occultum malefactorem, declarando illud Evangelii: ſi peccaverit in te frater tuus &c.*

„ Utraque harum propoſitionum er- „ ronee, & ſchismatice populo præ- „ dicatur. „

VIII.

VIII. *maledicit, & est detractor, qui dicit: quod Lutherus sit nequam.* Sæcul. XVI. A.C. 1525.

„ Hæc propositio palam Luthera-
„ næ perfidiæ favens, auctorem suum
„ eodem fermento esse corruptum de-
„ monstrat. „

IX. *Paganus, qui rationis ductum sequi intendit, salvatur, quamvis nunquam baptizatus esset.*

„ Hæc Propositio sic indistincte po-
„ sita, scandalosa est, & in contemptum
„ Baptismi inducit. „

X. *Votum Religionis non obligat perpetuo, sed ad tempus, ita quisquis post Decennium est deobligatus.* Postea Auctor subjunxit: *Si ex me scisciteris, quis tibi veniam dedit, quis tecum dispensavit, ut ab obedientia tua exemptus sis? respondeo, Deus, Papa, mundus, & diabolus.*

„ Hæc Propositio a Votorum essen-
„ tialium sacræ Religionis observantia
„ temere avertens, impia est, scanda-
„ losa, sanæ Scripturæ intelligentiæ
„ adversa, & Wiclefi, & Lutheri hæ-
„ reticorum conformis erroribus. Se-
„ cunda pars maligno Spiritu suadente,
„ impudenti levitate prolata est. „

XI. *Ecclesia non potest facere præcepta, sic nec illis præceptis contraveniens peccat.*

„ Hæc propositio est falsa & hæ-
„ retica. „

XII.

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

XII. *Super illo dicto Evangelii: quodcunque ligaveris super terram &c. non intelligi debet de pœnitentiis injungendis, & in crimine quantumcunque enormi nihil reservatur Episcopis, neque Romano Pontifici quoad absolutionem & remissionem peccati, & quilibet simplex Sacerdos potest a quocunque peccato absolvere, & in primitiva Ecclesia ubi fiebant publicæ pœnitentiæ reservatio fiebat quoad ipsas pœnitentias; nunc vero non fiunt tales pœnitentiæ.* Exinde intulit Auctor, *nulli casus reservantur, atque ejusmodi reservatio nonnisi abusus est.*

„ Hæc propositio simplices ab exhibenda suis Præfatis obedientia seditiose cum hæretico Joanne Huss retrahit; & quantum ad id, quod asserit, quod nulli casus reservantur & quod abusus est reservatio casuum, ordinem confundens Hierarchicum manifestum continet errorem. „

XIII. *Exposuit illud Apostoli: tradidi hominem sathanæ, idem est, ac tradidi hominem adversariis, scilicet pœnis afflictivis, & corporalibus, quæ infliguntur pro peccato, & non debet intelligi, quod tradidit hominem possessioni diabolicæ, videlicet excommunicationi.*

„ Hæc propositio contra communem Sententiam Doctorum temerarie asserta est. „

XIV.

XIV. *Asseruit de tribus Magdalenis & quod Maria Soror Marthæ non fuit peccatrix, tenens per expressum contra determinationem Theologicæ Facultatis Parisiensis.* Sæcul. XVI. A. C. 1525.

„ Asserens tres esse Magdalenas, „ & quod Maria Soror Marthæ non fuit „ peccatrix, a Ritu Ecclesiæ universalis „ unicam in suo officio Magdalenam ad- „ struentis perverse discrepat, nec non „ a Determinatione expressa Facul- „ tatis Theologicæ Parisiensis, cui obe- „ dire per juramentum tenebatur. „

Idem Mesgretus in die S. Marci præsente supremo Senatu Gratianopoli habuit sermonem, latine impressum, ex quo itidem decem aliæ extrahebantur propositiones, quæ rursum respiciunt confessionem, horas Canonicas, Clericorum exemptionem, & abstinentiam a carnibus in Sabbato, excommunicationem, censuras, casus reservatos, aliosque errores continebant, qui ferme prioribus mox recensitis haud absimiles eadem quoque censura notati fuere.

§. XVII.

Responsum Facultatis Theologicæ ad Abbatem S. Antonii circa libros Wolfgangi Schuch.

Eodem tempore S. Antonii Abbas, qui a summo Pontifice in Lotharingiæ

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

giæ Ducatu ſupremus hæreticæ pravitatis Inquiſitor ſpecialiter erat conſtitutus, de Wolfgangi Schuch propoſitionibus, & libris tanquam de Lutheri hæreſi plurimum ſuſpectis ſententiam Pariſienſis Facultatis Theologicæ rogabat: Hæc igitur præfato Abbati Menſe Martio die vigeſima ſeptima datis literis reſpondit, ſimulque eodem die aliam ad Lotharingiæ Ducem adjunxit epiſtolam; harum vero propoſitionum ac librorum examen ſex Doctoribus commiſit, qui ſententiam ſuam ad Facultatem retulerunt, qua mature diſcuſſa Decanus, totaque Facultas unam, & triginta propoſitiones ab hoc Auctore traditas condemnarunt.

Argentr. loc. cit. p. 17. Dup. ut ſupr. t. 13. p. 217.

Harum prima eſt: *Chriſtum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri a Presbyteris offerri pro peccatis vivorum & mortuorum, eſt falſum.* II. *Chriſtus in Miſſa non eſt Oblatio ſeu Sacrificium.* III. *Qui ſimplici exemplo Chriſti innititur accipiendo Panem & Calicem & Benedicendo, absque pompa, relictis omnibus ab hominibus inventis hæreticus non eſt, niſi Chriſtus hæreticus ipſe ſit.* IV. *Canon Miſſæ deprecans, ut Deus acceptam habeat oblationem & Sacrificium, eſt Blaſphemus.* V. *Hodiernus Miſſæ uſus, quo Sacerdos frangit, manducat, & bibit, non congruit Evangelio, in quo nulla fit mentio,*

mentio, quod Christus ederit, vel biberit, sed quod fregerit, & dederit. VI. *In Missa debet panis in multa frangi frusta & dividi aliis. Si autem aliter fit, contra Ordinationem Christi fit.* VII. *Qui hoc Sacramentum populis publice ministrant, aut infirmis deferunt, melius omnibus, Christum imitantur; sunt enim aliorum ministri sicut Christus.* VIII. *Fatua est illa trifaria divisio Hostiæ, qua datur una particula Vivis, una animabus in purgatorio existentibus, alia beatis.* IX. *Nemo potest pro alio missare.* X. *Impium est fideles altera specie privare.* XI. *Contritio, prout Ecclesia Romana contritionem intelligit, non est necessaria, sicut nec auricularis confessio, quæ non cadit sub præcepto, sed est arbitraria; neque alia est satisfactio, quam sit satisfactio Christi.* XII. *Accessuri ad Sacramentum Corporis & Sanguinis propter peccatorum magnitudinem non debent recedere.* XIII. *In primi parentis nondum vitiati manu stabat vita & mors, nunc autem non amplius in nostra: nam omnes posteri Adæ nihil boni possunt.* XIV. *Omnia hominum opera, omnes hominum conatus peccata sunt.* XV. *Omnes homines per naturæ vires semper peccatores sunt, & peccant.* XVI. *Populus novi Testamenti habet perpetuum Sabbatum, ut videlicet neglecto & contempto suo studio, arbitrio, providentia, justitia, Sapientia, abneget semetipsum, in nulla creatura fidat, sinat*

Sæcul. XVI. A. C. 1525.

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

sinat Deum operari, sibi providere, se sanctificare. XVII. *Sabbatum verum violant, qui liberum arbitrium prædicant, justitiam operum & humanas Sanctiones.* XVIII. *Sola fides justificat, & amicos Dei constituit sine operibus, sine meritis.* XIX. *Non stabunt ulla opera coram Deo judice.* XX. *Omnia hominum quantumvis laudabilia opera plane sunt vitiosa & morte digna.* XXI. *Fidem & Dei Verbum persequitur, qui Rosariis Mariam honorat, & Salve Regina legit, aut decantat.* XXII. *Pœnitentia illa, ad quam invitamur, nihil est, nisi mortificatio nostri, quæ in Baptismo incipit, & morte perficitur.* XXIII. *Scandalum inferunt mundo, qui matrimonium prohibent Sacerdotibus.* XXIV. *Nemo excipitur a potestate sæculari, sed debet quilibet Christianus obedire sæculari potestati.* XXV. *Nemo habet potestatem in anima, nisi Deus, & ideo præscribere illis præceptum non debet, nisi Deus, & qui id tentat Regnum Dei invadit, animas seducit, & perdit.* XXVI. *Cæremoniæ in Missa ab Ecclesia observatæ, sunt extra institutum Christi nec necessariæ.* XXVII. *Arbitrarium est confiteri Laico vel Sacerdoti.* XXVIII. *Papa, aut generale Concilium non potuit Clericis in sacris constitutis interdicere matrimonium.* XXIX. *Aqua benedicta non est utilis, aut proficiens Christi fidelibus.* XXX. *Sacra Unctio, qua inunguntur ordinandi ad Sacer-*

Sacerdotium & illa, quæ datur infirmis, non sunt de necessitate salutis. XXXI. *Liberi sumus ab externis humanis observationibus, Ceremoniis, aut si tales sunt, ut a nobis velut necessariæ exigantur ad salutem, omnino rejiciendæ, ut sunt Papisticæ Leges, & humanæ doctrinæ in Verbo Dei non fundatæ, ut interdictum ciborum, Vota, articularis confessio, oblatio, Indulgentiæ, Satisfactiones, Doctrinæ de invocatione Sanctorum, Purgatorio, Idolis, templorum ornatibus, missis emptis, vigiliis, quibus frustra colitur Deus, & abominationes sunt Deo.* Sæcul. XVI. A. C. 1525.

§. XVIII.

Censuræ Propositionum Wolfgangi Schuch.

Varia erat harum propositionum censura; quippe nonnullæ atque inter illas prima & secunda declarabantur hæreticæ, ac sacris literis adversæ. Tertia dicitur *falsa, errori Wicleſi in Concilio Constantiensi damnato consentanea.* Quarta, *in Spiritum sanctum blasphema.* Quinta, sexta, & septima proscribuntur ut *falsæ, atque ex ignorantia veri sensus Scripturæ temerarie, atque erronee assertæ.* Octava declaratur, *ex impiis damnatisque Wicleſi, & Lutheri erroribus deducta.* Nona pronunciatur *legitimo Ecclesiæ ritui contumeliosa & hæretica.* De-

Sæcul. XVI. A. C. 1525.

cimam *esse damnatum Bohemorum & Lutheri errorem, adstruunt.* Undecima perstringitur velut *hæretica, & ex perversa Lutheri doctrina deprompta.* Duodecima dicitur *hæretica, ac D. Pauli doctrinæ contraria.* Decima tertia *vera quantum ad primam partem, in ceteris vero sacri Codicis intelligentiæ adversa.* Decima quarta, & decima quinta, configuntur ut *falsæ, atque errori Manichæorum vicinæ.* Decimam sextam, & decimam septimam esse *Manichæorum errorem a Lutheo renovatum* declarant. Decima octava notatur *a sententia D. Jacobi aliena, ac Lutheri hæresi consona.* Decima nona, & vigesima nominantur *erroneæ, & hæreticæ.* Vigesima prima damnatur ut *falsa, schismatica, Sacratissimæ Matri injuriosa & hæresi favens Valdensium.* Vigesima secunda vocatur *erronea, & mortificationis prætextu Christianos a vera pœnitentia abducens.* Vigesima tertia asseritur *Epicuri sectæ, & Vigilantii errori conformis.* Vigesima quarta rejicitur tanquam *falsa seditiosa, & Cleri libertatem contra sanum Scripturæ intellectum injuste gravans.* Vigesima quinta, *bonis moribus contraria, & hæretica dicitur.* Vigesima sexta, *expressum Wicleſi errorem continens declarabatur.* Vigesima septima condemnabatur tanquam impia, *innuens claves Ecclesiæ omnibus Christianis esse com-*

communes. Vigesima octava repudiabatur veluti *manifeste potestati Ecclesiæ detrahens, schismatica, & hæretica.* Vigesima nona, *erronea, temeraria, & pio Ecclesiæ ritui dissona appellatur.* Trigesima, *in fide erronea, & hæretica declaratur.* Trigesima prima nuncupatur, *ab omni observantia Ecclesiastica fideles retrahens, impia, schismatica, & hæretica, atque in eo, quod supponere videtur, hujusmodi Ecclesiæ ritus fundamentum non habere in S. Scriptura, manifeste erronea, cum plerosque horum rituum de Jure divino esse exploratum sit.* Sæcul XVI. A.C 1525.

§. XIX.

Ejusdem Auctoris libelli itidem damnati.

Præter hasce propositiones insuper ad Facultatem deferebantur ejusdem Wolfgangi Schuch quatuor libri, qui pariter examinati, damnatique fuerunt. Horum primus erat Paraphrasis in S. Joannem, & in primam D. Petri Epistolam. In eo, inquit Argentreus, *Fidelium orationes ad Sanctos, eorumque imagines veluti idololatriam damnabat, liberum ab homine arbitrium, & ab Ecclesia ordinem sacerdotalem auferebat, neque discrimen aliquod ponebat inter Clericos & Laicos, necnon Christianæ libertatis prætextu* *Argentr. loc. cit. p. 21.*

Sæcul. XVI. A C 1525

diabolicam ſtatuebat libertatem, & ſacra ab Eccleſia inſtituta jejunia reſpuebat. Alter ejusdem Scriptoris libellus erat *dilucidatio Epiſtolæ ad Galatas*, qui liber, proſequitur Argentreus, *non alio tendebat, quam ad evertenda Eccleſiæ præcepta & leges, merita, & bona opera, & doctrinam ſanam de auriculari confeſſione, ſatisfactione, delectu ciborum, ceterisque ſimilibus. Probare etiam nitebatur circumciſionem, ceteraque legalia hac tempeſtate licere obſervare, decalogum eſſe abrogatum, & ſola Chriſti lege manente cetera omnia neque præcepta eſſe, neque prohibita.* Tertium opuſculum continebat ſermones, in quibus Author præter propoſitiones ſupra relatas, *alia etiam virulenta aſſerebat: I. Quod idem ſit Sacerdos ac Chriſtianus baptizatus: II. Dicebat, quod Martha peccaverit ſollicitudine in receptione Chriſti, & idololatræ ſint, qui ſacram Euchariſtiam offerunt: III. Inquiebat, quod aqua benedicta aboleri debeat, & abuſus ſit, ante Crucem genua flectere:* Præter hæc alia erronea protulit dogmata: In ultimo autem libello, qui varios complectitur tractatus: *I. Miſſa negatur eſſe Sacrificium: II. Ad Euchariſtiam ſuſcipiendam præparatio tantum ponitur fides ſeu fiducia in promiſſis Chriſti. III. Omnis jurisdictio aſſeritur eſſe ſæcularis, & nulla ſpiritualis ex Chriſti inſtituto: IV. Pſalmorum Cantus in Eccleſia reprobatur: V. Rejicitur*

jicitur Purgatorium: VI. Probatarum Religionum Vota refelluntur. Sæcul. XVI. A.C. 1525.

Lata est hæc censura die vigesima septima Martii.

§. XX.

Propositiones Petri Caroli proscriptæ.

Paulo post eadem Facultas alias damnavit propositiones, decerptas ex quibusdam sermonibus, quos Petrus Caroli Parisiis in Ecclesia S. Pauli ad populum dixit, cujus caussam magis ab origine repetere necesse est. *Argen. p. 21. Dupin t. 13. p. 217.*

Jam Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quarto plures ejusdem Caroli propositiones Facultati denunciabantur, atque illius Syndicus postulabat, ut ipse Caroli per quemdam Academiæ Ministrum, quem Bidellum vocant, in quodam dictæ Facultatis conventu comparere juberetur, responsurus illis, quæ eidem objicerentur. Comparuit accusatus, cum vero primus Bidellus adversa premeretur valetudine, petiit Syndicus a Capello Facultatis Decano, ut ex Deputatis unus eligeretur, qui responsiones a præfato Caroli datas in scripturam redigeret. Electus ergo est hunc in finem Claudius Charreti, & facto hoc quæstiones insti-

Sæcul. XVI. A. C. 1525.

tuebantur, atque accusatus secedere jubebatur, ut deputati, quid in præsenti negotio agendum, deliberarent, decretumque, quod revocaretur ipse Caroli, eique omnia rursum prælegerentur, ut sciretur, an in responsis persisteret. Id & factum est, ac die decima octava Augusti hæ responsiones in quodam conventu relectæ, atque ex illis propositiones nonnullæ fuerunt decerptæ, quæ postea singulis Doctoribus tradebantur, ut judicium suum desuper pronuntiarent in alio consessu vigesima septima Augusti die celebrando, quem etiam accessit Caroli, comitantibus eum duobus Notariis: ipse vero legit scripturam, in qua appellatio a Facultatis sententia ad illum, ad quem jure pertinet, continebatur. Audito scripti tenore petiit Syndicus, ut prædictæ appellationis exemplar sibi traderetur; cum vero idem Caroli die præcedenti Bedam Syndicum coram Officiali Parisiensi ad injuriam sibi reparandam citari feciſſet, ideo Facultas præcepit, ut duo Doctores præmitterentur, qui eundem Officialem de negotii serie certiorem redderent, jussit insuper, ut alii duo Syndicum unacum Bidello ad Officialis Curiam comitarentur, atque ab Officiali peterent, ut is totum negotium ad Facultatem remitteret. Verum hi repulsam tulerunt.

§. XXI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1525.

§. XXI.

Diſſidia ac contentiones in cauſſa Caroli.

Die trigeſima ejusdem Menſis Auguſti rurſum Facultas conventum habuit, ut ad propoſitionum examen ac judicium procederet. Comparuit itidem Caroli unacum duobus Notariis Apoſtolicis, & poſtea legit ſcripturam, quæ continebat *Apoſtolorum*, ut vocant, petitionem, necnon factam tanquam ab uſurpata jurisdictione appellationem ad ſupremum Senatum, ſi forte facultas vellet ulterius procedere. Poſt hæc Caroli egredi jubetur, ut Doctores hac in re deliberare poſſent, qui unanimi conſenſu ſtatuerunt, a Notariis requirendum eſſe exemplar eorum, quæ per dictum Caroli lecta fuiſſent: huic autem præcipiendum, ut prima die Septembris, ſi vellet ſibi reſponſionem dari, in conventu compareret, interea vero, eoquod ejus appellatio graves excitaret difficultates, & ipſe Officialis cauſſam ad Facultatem remittere renueret, a Syndico appellandum eſſe tanquam ab abuſu, totumque negotium ad ſupremum Conſiliariorum Senatum eſſe remittendum. Id etiam eadem adhuc die ſumpto prandio effectui datum eſt, præ-

Argentr. loc. cit. p. 23. 24. & ſeq.

Sæcul. XVI. A C. 1525.

præsentibus Deputatis ad hoc nominatis, vocatisque Desmaresio, & Prevosto, qui ex Promotoribus Episcopi Parisiensis unus erat.

Præstituta die prima Septembris Petrus Caroli in conventu non comparuit, quocirca Facultas supplicem libellum supremæ Curiæ obtulit, petens, ut ad alloquium admitteretur, quo impetrato die sexta ejusdem Mensis tam partium, quam Regis, ac Episcopi Parisiensis Advocati diu multumque perorarunt, nec tamen litem diremerunt, unde Curia statuit, ut decisio ad posteram diem differretur, & Petrus Caroli unacum Syndico ad Facultatem remitteretur. Præterea tres nominabantur Consiliarii, in quorum præsentia per Decanum præfatus Caroli interrogaretur de propositionibus ipsi imputatis, simulque, si forte factum negare vellet, Curia mox certior fieret.

Hanc ob caussam die decima quarta Septembris rursum conventus indicebatur, in quo tres Consiliarii responsa Caroli exciperent. Hic ergo eadem die comparens dixit, in edicto disertis verbis exprimi, quod rejectis Doctoribus, quos vel suspectos haberet, vel admittere recusaret, caussa tractaretur. Jubetur igitur ejusmodi Doctores nomina-

re,

re, ac excluſionis cauſſas adducere: verum id facere renuit, ſe tamen ſcripto reſponſurum promiſit, cum autem ad id temporis moram ſibi indulgeri peteret, dilatio usque ad alteram diem conceſſa eſt, quo termino contentus receſſit, aſt comparere neglexit, quocirca ſæpius vocatus tandem die vigeſima ſecunda Septembris ſcripto exhibuit cauſſas, & nomina eorum, quos admittere recuſabat. Legebantur rationes ab eo allatæ, quibus perceptis Syndicus oppoſuit, quod cauſſæ per Petrum Caroli adductæ nullius momenti eſſent, ac nullus, niſi in fide ſuſpectus a ferendo judicio excludi poſſet, id vero ab accuſato allegatum haud fuiſſet. Præterea ſubjunxit Syndicus, non de ejus perſona, ſed de fide quæſtionem agitari, proin neminem repellendum. His auditis cenſuit Facultas, quod excluſi craſtina die audirentur. Hos inter Senior ceterorum nomine verba fecit, dicens: *Quamvis rationes Caroli vanæ ſint, nobis tamen placet omnium interrogationes & reſponſiones nobis abſentibus fieri.* Gratias egit Facultas, eorumque moderationem acceptam habuit. Cum vero Commiſſarii a Parlamento nominati Seſſionibus intereſſe haud ultra poſſent, Curiæ ſupplicatum, ut alios ſubrogaret. Deputabantur itaque Jacobus de la Barde Inquiſi- Sæcul XVI. A C 1525.

Sæcul. XVI. A C 1525

tionum Præses, & Ludovicus Segnier. Postea Facultas die vigesima quinta Septembris consessum habuit, in quo præsente utroque Commissario responsiones Caroli juxta legum præscripta, ac edicti in rei præsentia perlecti tenorem audirentur: Cum vero negotium matutino tempore absolvi non posset, post meridiem, ut rursum congregarentur, Syndicus rogabat, quod & ipsi datum. Legebantur ibi Caroli propositiones & responsa, ille vero postulabat, ut ad diluendas accusationes scriptum edere sibi liceret, cui tamen responsum, edictum effectui prius dandum, postea ejus petitionem esse discutiendam: Congregata autem rursus Facultate die Sabbati prima Octobris quidam Doctores Petrum Caroli deferebant, quod non sine magna populi offensione sermones dicere pergeret, ac pluribus Magistris & Baccalaureis indiscr te detraheret; propter quæ omnino expedire videretur, ut Facultas eidem prædicandi munus interdiceret, donec objecta ei crimina purgasset. Ast remittebatur hoc negotium ad octavam ejusdem Mensis diem, qua definitum, ne ulterius prædicaret, præsertim in Diœcesi Parisiensi, cum ibi prædicationis officio ultro sese immiscuisset, quamvis nullum sibi creditum gregem, aut Parochialis Ecclesiæ curam

curam haberet. Si vero parere renueret, Facultas contra eum procederet, prout jus peteret. Hæc Petro per Bidellum significabantur, qui eum in Ecclesia S. Gervasii invenit, ubi panegyrin suam nona Octobris die S. Dionysio sacra paulo ante finierat; postquam vero Facultatis sententiam legerat, statim ad Collegium Bajocense accessit, ubi Deputatos unacum Decano alias ob causſas congregari noverat; verum iterato illi Facultatis decretum tradebatur, eique Decanus exposuit, se Facultatis consilio suum quoque additurum, ac quid esset agendum, solerter prospecturum, quo dicto abiit. Sæcul. XVI. A. C. 1525.

Die undecima Octobris Facultas denuo conventum habuit, in quo excipiebantur querelæ, quas de sermone, quem idem Carolus in Festo S. Dionysi habuit, nonnulli Doctores deferebant. Hos inter Seniorum unus quosdam illius errores speciatim recensebat. Vocatur igitur ipse Caroli, ut querelas contra se allatas audiret, ac desuper responderet. Is fatebatur se ad populum dixisse talia, quæ suspecta videri possent, tandem tertio monitus, ut a prædicando abstineret, respondebat, quod velit hac super re conferre cum suo Consilio, interim tamen ipsi animus foret, proximo

Sæcul. XVI A.C. 1525.

ximo adventus tempore in S. Gervaſii Eccleſia populum concionibus erudiendi. Poſtea egredi jubebatur, ut deſuper Doctores deliberare poſſent; non vero revocatus eſt, eique injunctum, ne in Pariſienſi Diœceſi prædicaret, eoquod in illa nullum regimen animarum haberet, id vero tamdiu ſervare tenebatur, donec aliter eſſet determinatum. Aſt ab hac ſententia provocavit Caroli, ſed amicorum hortatu permotus, appellationem revocare ſpopondit, promiſitque, ſe a prædicationibus ceſſaturum, uſque ad litis ſuæ finem, dummodo id ſibi non præciperetur, ſed ultro ac libere hoc agere permitteretur. Hæc promiſit, ſed effectui minime dedit, quapropter Facultas congregatione die decimo quarto habita rurſum cauſſas, ob quas nonnullos Doctores ſuſpectos habebat, diſcuſſit, ſtatuitque, quod ejusmodi rationes haud ſubſiſterent, proin Doctores excluſi omnino revocandi eſſent, ut vero huic decreto majus robur accederet, ambo deputati Dorigny & Segnier rogabantur, ut conventui die vigeſima ejusdem Menſis celebrando intereſſent, in quo majori cum ſolemnitate Facultatis judicium pronunciaretur.

Hunc conventum acceſſit Caroli; cum vero probe cognoſceret, quod recuſa-

cusationis causſas a se allatas prorsus nullius momenti esse, declarare Facultas animo jam constituisset, hinc desuper interrogatus respondit: *Tantum confido de probitate singulorum Doctorum, ut jam nullum recusem, sed consentio, omnesque rogo, ut velint interesse examini, & judicio omnium propositionum.* Cum autem pro absolvendo examine jamjam tempus præteriisset, fuit ei significatum, ut die vigesima secunda Octobris Dorignii domum accederet, ibique præsentibus octo Doctoribus ad id deputatis, ad reliquas propositiones in festo S. Dionysii prolatas, de quibus accusatus fuisset, responderet. Denique Syndicus eum urgebat, quatenus sibi in Parisiensi urbe domicilium seligeret, ut cuncta, quæ circa illius causſam pronuntianda forent, eo certius ipsi significari possent. Hunc in finem eidem Alexandri Savari Parisiensis Ecclesiæ ad B. Virginem Canonici ædes Syndicus nominavit. Posthæc idem postulabat, ut ad præcavendam populi offensionem Petro Caroli prædicandi munus interdiceretur. Verum mox ille reposuit: *Ejusmodi prohibitiones militant contra bonos mores, & charitatem, quæ eleemosynam spiritualem præcipit dari petentibus.* Ast deputati de eo, quod Syndicus petebat, deliberantes respondebant, sibi

Sæcul XVI. A.C. 1525.

Sæcul. XVI A.C. 1525.

a Curia haud esse datam quemdam a prædicatione arcendi potestatem, nihilominus se hac de re Parlamentum edocturos; istud autem septima Novembris die omnibus auditis præfati Syndici petitum ad Parisiensem Episcopum remisit, ut ipse omnibus in hac caussa actis, quæ ei indicarentur, solerter discussis, quod æquitas suaderet, decerneret.

Die vigesima quinta Octobris Facultas præsentibus Commissariis conventum habuit, in quo responsa Caroli scripto data perlegebantur; quibus perceptis iidem Commissarii declarabant, quod cuncta, quæ in edicto continerentur, accurate adimplessent, nec opus esset, ut ulterius ad Facultatem hac in caussa venirent. His vero subjunxit Syndicus: *Audistis Petrum Caroli omnia sibi proposita eo modo, quo fuere objecta, negasse, ideo mihi incumbit probatio, & testes adducere coram vobis.* Hoc dicto Universitatis Cancellarius Petrum allocutus ajebat: *Moneo te, ut Facultati Matri tuæ te omnino subjicias*, moxque a sacco suo quandam submissionis formulam extraxit, quam ut Petrus legeret, eidem injunxit. Paruit Caroli, sed formula perlecta Syndicus, eam captiosis terminis conceptam, minusque sufficientem esse, pluribus argumentis ostendere

dere nitebatur: quapropter Syndico, & Petro, ut discederent, præceptum, ac desuper deliberatum; tandem vero post maturum rei examen decisum, quod submissionis formula, quam Caroli prælegisset, haud sufficeret, nec acceptanda esset: Cum autem Facultati nunciaretur, quod accusatus, spreto interdicto, ac violata promissi sui fide, ad populum dicere pergeret, quin imo ipsa die SS. Simoni & Judæ sacra sermonem habuisset, Doctores postera die vigesima nona Octobris conventu habito decreverunt, quod denuo Petrus Caroli prædicare prohiberetur, si vero parere recusaret, omnibus favoribus, juribus, privilegiis, ipsoque Doctoratus honore privaretur, ab ipsa etiam Facultate exclusus, ac cunctis emolumentis, & prærogativis exutus permaneret, donec ad ejusdem Facultatis arbitrium de omnibus satisfaceret. Sæcul. XVI. A.C 1525.

Hæc sententia Petro Caroli denunciabatur per primum Bidellum, a qua tamen post aliquot dies tanquam ab abusu ad Curiam provocavit. Interea Parisiensis Officialis cæpit procedere contra eundem Caroli, qui coram eodem Officiali asserebat, quod omnia contra eum gesta fierent a solo Syndico, nec id probaret Facultas; quapropter Beda Syn-

Sæcul. XVI. A.C. 1525. Syndicus undecima Januarii die Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto petiit, ut declararet Facultas, utrum libellum ſupplicem de predicandi interdicto Pariſienſis Epiſcopi Curiæ porrectum approbaret. His perpenſis Facultas definivit, quod rata haberet omnia contra prædictum Caroli acta, ſive hæc coram Parlamento, ſive coram Officiali fuiſſent facta: inſuper eundem Syndicum adhortata eſt, ut hanc fidei cauſſam ſtrenue proſequeretur. Nec is ſuis partibus defuit, ſed rem ita urgebat, ut vigeſima quarta ejusdem Menſis Januarii ipſe Officialis juxta Syndici petitionem per ſuam ſententiam Petro Caroli ſub anathematis pœna prædicationem prohiberet: Mox tamen Petrus regias ſibi procuravit literas, quibus tanquam ab uſurpata jurisdictione appellavit. Harum exemplum Syndicus die vigeſima octava Januarii Facultati porrexit, quæ negotium ad Commiſſarios remittendum cenſuit: cum vero referente Syndico, aliisque viris novæ querelæ ad Facultatem delatæ fuiſſent, ac Petrus Caroli accuſatus, quod publice, cum prædicare prohiberetur, in Cameracenſi Collegio Davidis Pſalmos exponeret, ſuosque errores palam ſpargeret, ideo Facultas eidem decima tertia Januarii die ſub graviſſi-

vissimis pœnis prohibuit, ne suas lectio- Sæcul. XVI.
nes prosequeretur. A.C. 1525.

Respondit equidem Caroli, quod jussis morem gerere velit, supplicabat tamen, ut Psalmum vigesimum primum, quem inchoavérat, absolvere permitteretur: verum Facultas collectis singulorum suffragiis decrevit, duntaxat ei concedendum, ut nonnisi post meridiem legeret, ac suis Auditoribus valediceret; præterea Facultas eum hortata est, ne verbis parum modestis quempiam offenderet. Acceptavit Petrus conditionem, ac ne quidem post prandium scholam accessit, sed solum valvis, & nonnullis locis Cameracensi Collegio vicinis affigi fecit chartam, quæ hæc verba majoribus literis, ut a quovis facile perlegi possent, scripta continebat: *Petrus Caroli volens parere monitis sacratissimæ Facultatis, cessat legere, denuo lecturus, quando Deus voluerit, & inchoaturus, ubi desiit in illis verbis: foderunt manus meas, & pedes meos.* Cum vero Officialis ad decisivam sententiam non procederet, Syndicus Facultati proposuit, supplicem libellum porrigendum esse Parlamento, ut Officialis ex Curiæ mandato omnia judicii acta, unacum iteratis testium interrogationibus, ac testimoniis reum convincentibus Dorig-

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

nio, & Seguiero Commissariis traderet, ut tandem Facultas de propositionibus Caroli plene edocta judicium suum ferre possit: Annuit Curia, hancque in rem edictum edidit, cui & ipse Officialis subscripsit, quo facto Facultas hoc anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto die septima Septembris sequentes propositiones censura notavit.

§. XXII.

Facultatis Censura contra Propositiones Caroli.

Argent. l. c. p. 26. & seq.

I. *Si Fideles omnem Religionis cultum soli Deo impenderent, rectius agerent, nec indigne hoc ferrent Virgo Maria, & alii Sancti.*

„Hæc propositio falsa est, impia, & „ Schismatica, Vigilantii, Valdensium, „ Bohemorum, & aliorum hæreticorum circa cultum Sanctorum errantium hæresi consentiens. „

II. *Sacra Scriptura hodie melius quam olim intelligitur, nec præteritis sæculis bene fuit explicata.*

„ Hæc propositio schismatice, & „ cum Ecclesiæ & Sanctorum Doctorum injuria asserta est; & quantum „ ad id, quod prætendit ipsam Ecclesiam catholicam hactenus veram non „ ha-

„ habuisse sanctarum Scripturarum in- Sæcul. XVI.
„ telligentiam, aut interpretationem, A.C.1525.
„ manifeste hæretica existit. „

III. *De Filio Dei loquendo sæpe dixit Caroli* Christus, *quin addat: Christus Jesus.*

„ Sic in Ecclesia Gallicana populo præ-
„ dicare, ut in hac propositione conti-
„ netur, nulla adjecta præfatione ad
„ Vocabulum *Christus*, insolitam novi-
„ tatem piarum aurium offensivam in-
„ ducit. „

IV. *Nescio, an Ecclesia per suas Constitutiones possit fideles sub pœna peccati mortalis obligare.* V. *Si possit Ecclesia, vel non, est inter Doctores Problema, id est, utraque pars est probabilis.*

„ Utraque pars harum propositio-
„ num temere in dubium revocatur;
„ est Arrianorum, Valdensium, Wi-
„ clefistarum & Lutheranorum hære-
„ ticorum. „

VI. *Nescio, an teneamur ad jejunia quadragesimæ, & ad alias abstinentias: v. g. Diebus Veneris ad non esum carnium, sub pœna peccati mortalis, præsertim secluso scandalo.*

„ Hæc propositio falsa est, & præ-
„ dictorum hæreticorum impietati suf-
„ fragatur. „

VII. *Leges humanæ nihil prosunt, vel juvant ad merendam salutem, id est, vitam æternam.*

 „ Hæc

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

„ Hæc propositio erronee, falso, & „ seditiose prolata adversatur S. literis.„

VIII. *Evangelium fuit sopitum, sed nunc est excitatum, & populus commotus est, quia inducitur ad solum amorem Christi, quem si amaverit, destruentur idola Ægypti, & nullius alterius rei erit cura.*

„ Hæc propositio Eunomii, Vigi- „ lantii, & Lutheri erroribus consen- „ tanea est. „

IX. *Præstat pauperi, quam Sacerdoti pro Missa dare sex solidos.*

„ Hæc propositio universaliter in- „ tellecta, falsa est, maligno in Sacer- „ dotes Spiritu concepta. „

X. *Nullum datur discrimen inter prædicationem, & lectionem, nisi apud illos, qui sermones non intelligunt.*

„ Hæc propositio asserens nullum „ inter prædicationem & lectionem di- „ scrimen reperiri accipiendo terminos, „ juxta usum communem, falsa est. „

Sequentes sex propositiones agunt de prædicatione Evangelii, & de sacræ Scripturæ sensu, ubi inter alia Petrus Caroli asserere non dubitavit, *simplicem fœminam quandoque perfectius intelligere scriptum Dei Verbum, quam Doctores, & Theologos.*

Idem Auctor in responsione ad præcedentes propositiones hanc asseruit: *Mulieres possunt prædicare domi filiis suis*

&

& filiabus, Viri uxoribus, ac mulieres possunt legere Sacram Scripturam filiis suis, & simplices possunt habere Evangelium, & epistolas D. Pauli in gallico idiomate, eisque studere, atque illas explicare, & videtur bonum, si sic faciant. II. Dicit, *quod omnes tam Magistri quam non Magistri possint prædicare;* III, Asserit, *quod Deus citius illuminabit simplicem mulierem, ad intelligendam Scripturam, quam Doctorem.* Sæc. XVI. A.C. 1525.

Omnes hæ propositiones, inquit Facultas, *e sentina Waldensium, Bohemorum, & Lutheranorum emanant, Ordinem hierarchicum seditiose pervertunt, aperiuntque viam erroribus, simplices viros ac mulieres ad contemptum prædicationum, & superbam præsumptionem inducunt.*

Ceteræ censuræ varias respiciunt interpretationes, quas Petrus Caroli nonnullis Sacræ Paginæ textibus affingebat, sic ad illa Geneseos verba cap. 3. ℣. 5. *Ipsa conteret caput tuum* docebat, juxta textum Hebraicum esse legendum, *ipsum semen mulieris, id est Christus.* Verum hanc interpretationem Facultas hac sequenti censura perstringit, *hæc propositio honori B. Virginis derogat, & a communi usu Ecclesiæ dissentit.*

II. Ad Pauli textum in epistola ad Romanos cap. 1. ℣. 4. *Ex resurrectione mortuorum JEsu Christi Domini nostri,*

 inquit

Sæc. XVI. A. C. 1525.

inquit Caroli, quod in Græco idiomate legeretur *Jesu Christo Domino nostro*, in ablativo, hancque explicationem ipsus etiam adoptaret: Ast observant Facultatis Doctores, quod *hæc propositio in injuriam antiqui Interpretis, & Sanctorum Ecclesiæ Doctorum cedat, qui hujusmodi probaverunt lectionem.*

III. Idem Author explicans hunc D. Pauli textum: *Justitia enim Dei in eo reveletur ex fide in fidem. Rom. cap.* 1. *V.* 17. ex eo concludit, quod omne meritum attribuatur fidei, *custodi* inquit, *cuncta legis mandata, dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, dilige proximum tuum, Verbo, adimple omnia præcepta Dei, nesdum tamen habes Dei gratiam; quid ergo tibi deest? credere debes; virtus enim Dei est in salutem credenti, non dixit hæc illi, qui jejunabit, sed ei, qui credet: Verbo dicam: Deus non respicit opera, & merita hominum, sed solum suam bonitatem, quæ infinita est. Hæc propositio,* inquit Facultas *quantum ad primam partem perniciosa fideles a mandatorum Dei impletione in charitate avertit, & Scripturæ Sacræ adversatur. Quantum vero ad ea,* Deus non respicit &c. *aperte est hæretica.*

Hisce propositionibus ita proscriptis, notabantur responsiones, quas Caroli coram Deputatis in Facultate dederat.

rat. Ex his prima erat sequens *Præ-* Sæc. XVI.
cepta, Evangelium, meritum fidei, hæc omnia A.C. 1525.
nobis a Deo data veniunt ex fide, quia fides cum confidentia facit nos Deo gratos, nec potest intelligi, quod fides infusa possit esse sine charitate, quia virtutes sunt inter se connexæ.

Hæc propositio, inquiunt Doctores, *quantum ad hoc, quod fides cum confidentia faciat nos Deo gratos, modus est loquendi Lutheranorum improbandus: quod vero Autor dicat, quod fides infusa non possit esse sine charitate, ex affectata, & damnabili juris divini ignorantia procedit, & ratio de connexione virtutum loquendo de virtutibus Theologicis doctrinæ Apostolicæ contraria est.*

Præterea idem Auctor hunc S. Pauli textum ad Rom. cap. 1. v. 17. *Justus ex fide vivit*, explicans, inquit, *utinam D. Paulus nobis quoque sensum hujus textus significasset, certus sum, quod & illum comprehenderetis; nihilominus elevate mentes vestras, & ad textus hujus intellectum hanc percipite distinctionem fidei. Datur fides, quæ dicitur historica, veluti si credimus, quod Filius Dei factus sit Homo, crucifixus, & resuscitatus, quod ascenderit ad cœlos & sic de reliquis Mysteriis. Hæc fides non justificat, nec vivificat hominem. Alia est, fides cum confidentia, quando Sacræ Scri-*

Sæc. XVI. A.C. 1525.

pturæ res credimus, ſimulque in promiſſis a Deo factis confidimus; idque D. Paulus inſinuat, dicens: juſtus meus ex fide vivit, id eſt, qui cum fiducia & ſpe in Deum credit, viviſicatus eſt. Prima vero fides non ſufficit. Facultas hanc diſtinctionem fidei in hiſtoricam, & fidem cum confidentia velut Orthodoxis Doctoribus haud cognitam damnat, eamque a Lutheri & Melanchtonis erroribus deſumptam cenſet.

Aliam inſuper expoſitionem Petrus Caroli attribuit illis D. Pauli verbis: *Revelabitur ira Dei de cælo. Rom. cap.* 1. *v.* 18. nam hæc verba ſic expoſuit: *non eſt ira Dei, quando in hoc ſæculo tribulationes, & calamitates immittit, veluti paupertatem, famem, bella, & peſtem, ſed potius eſt ſignum amoris; Deus enim caſtigat, quem amat. Nec etiam eſt ira Dei in inferno per hoc, quod damnati per omnem æternitatem viſione Dei priventur, aut pœnis ſenſibilibus crucientur, ſed ira Dei in eum cadit, qui in peecato verſatur, & quem Deus in hoc ſtatu relinquit. Hæc propoſitio quantum ad primam partem,* inquit Facultas, *univerſaliter intellecta Sacris Scripturis diſſona eſt, altera vero, quæ de inferno mentionem facit, eſt manifeſte hæretica.*

Sequentes duæ propoſitiones reſpiciunt Sanctorum, atque Latriæ cultum qui

qui ultimus Deo exhibetur. Doctores hanc ferunt censuram, *Prima propositio, qua innuitur, fideles Sanctis, eorumque imaginibus cultum latriæ exhibere, erronea est, & Auctor de fidelibus perperam sentire se monstrat. Hæc autem, qua dicitur, illum, qui aliquem præter Deum honorat & glorificat, non glorificare Deum ut Deum, aperte doctrinæ D. Pauli adversatur, ac ideo hæretica est.* Sæc. XVI. A C 1525.

Postquam Doctores hasce propositiones proscripserant, alias quoque damnarunt, quas idem Caroli ad S. Dionysii festum in S. Gervasii Ecclesia ad populum dixerat. Has inter prima erat de templis & Ecclesiis, quas velut superfluas rejicit, asseverans, *illas ex consecratione nihil sacri recipere, omnemque locum sub cælo, quod verum est Dei tabernaculum, esse aptiorem ad Deum exorandum, eique sacrificandum, imo etiam consecrandum, quam templa hominum manu facta;* idque demonstrare nititur ex D. Pauli textu, ubi ad Hebræos cap. 9. scribit: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factum &c.*

Hæc propositio, inquiunt Doctores, *impius est error Waldensium, & Wicleffi Discipulorum.*

Sæc. XVI. A.C.1525.

II. *Non augetur honor Dei accensis cereis, oblationibus & sacrificiis.* „ Hæc „ propositio rursus tanquam Vigilan- „ tii, Wiclefi, & Lutheri error dam- „ natur. „

III. *Sacrificium laudis nil aliud est, quam laudare Deum in omnibus operibus suis, Sacrificium vero Altaris idem est ac commemoratio Redemptionis.* „ Hæc propo- „ sitio Sacræ Paginæ manifeste diffentit, „ & hæretica est. „

IV. Author exponens illud Psalmi 49. v. 15. *Redde altissimo Deo vota tua,* dixit, *votum nihil aliud est, quam desiderium, votum ac pia ad Deum affectio.* „ Hæc pro- „ positio adeo indistincte prolata, falsa „ est, & perniciosa. „

V. *Nos non sentimus, sed Deus sentit in nobis: orationes, & omnia vivunt in Deo, nec tamen Deus cognitionem habet sensitivam.* Hæc propositio hæresis est, & blasphemia.

VI. Ubi Caroli explicabat hæc Verba ex actis Apostolorum cap. 17. v. 28. *In ipso vivimus, movemur, & sumus* asseruit, *nos sumus in Deo, non autem Deus est in nobis.* Hæc propositio hæretica est, cum de fide certum sit, Deum esse ubique.

VII. *Cum adeo nobilem habeamus animam, ut ipsius Dei genus simus, nonne turpe est,*

est, & nos adeo demittimus, ut honorem idolo exhibeamus, veluti aureæ, argenteæ, lapideæ, vel ligneæ imagini? Hæc propositio in septima Synodo jam damnata fuit. Sæc. XVI. A.C. 1525.

VIII. *Depingere Trinitatem nefas est, & impium.* Hæc assertio falsa est, schismatica, probato Ecclesiæ ritui contumelioſa, ac Wiclefi error.

§. XXIII.

Censura contra Jacobum Pouent, ejusque apologiam.

Eadem Facultas plures propositiones damnavit, quas Jacobus Pouent in Meldensi Diœcesi enunciaverat; simulque alias proscripsit propositiones, quas ex libro, cui titulus: *Defensio seu Apologia propositionum Jacobi Pouent per Matthæum Saunier compositа*, extraxerat. Lata est hæc censura die nona Decembris Anno Christi milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, postquam Parlamentum hunc librum ad Facultatem transmiserat. Erant autem sequentes Jacobi propositiones. *Argentre l. cit. fol. 30.*

Prima negat Purgatorium. II. Est contra librum secundum Macchabæorum, III. asserit, quod Ecclesia Græca non sit hæretica, etsi Purgatorium non admittat. IV. Purgatorium per Sacerdotum

Sæc. XVI. A.C. 1525.

dotum avaritiam fuisse introductum adstruit. V. Affirmat, Judam Machabæum non adeo fuisse Sanctum, quin errare potuerit *mittendo Hierosolymam duodecim millia drachmas argenti.* VI. Tenet, quod *Deus nullum habeat Vicarium.* VII. Negat *præceptum Ecclesiæ de confessione peccatorum semel in anno.* VIII. Affirmat, *non esse nimium credendum Doctoribus Ecclesiæ.* IX. Reprobat hanc B. Virginis salutationem: *Salve Regina.* X. Asserit, *non esse offerendas candelas cuidam Sancto aut Sanctæ.* XI. Tradit *Missas nihil juvare in remissionem peccatorum.* XII. Docet, quod *sufficiat audire Verbum Dei, parum autem sit audire Missam.* XIII. *Bullas & Indulgentias Pontificis* nominat *impostoras diaboli.* XIV. Asserit, quod *Baptismus parum sit, nempe signum quoddam; aqua quoque benedicta nihil sit.* Omnes hæ propositiones varia censura fuerunt notatæ; nam aliæ tanquam falsæ & impiæ, aliæ velut potestati Ecclesiæ, ac Sedi Apostolicæ injuriosæ, Sacris literis contrariæ, scandalosæ, & hæreticæ &c. fuerunt proscriptæ.

Propositiones vero, quæ ex Apologia Matthæi Saunieri fuerunt decerptæ, ferme eosdem continent errores, eoquod in illis cunctæ fere Jacobi propositiones propugnentur: earum autem præcipuæ sunt. *I. Sacræ paginæ non affirmant,*

mant dari purgatorium. II. Deus cum sit ubique, non indiget Vicario seu Locumtenente. III. Nunquam Antiphona Salve Regina a Spiritu Dei concinnata fuit. IV. Imagines Sanctorum juxta S. Augustinum, & duo Concilia nil aliud sunt, quam Idiotarum chartæ. V. Præstat evertere imagines, quam si simplex populus illis abutitur. VI. Sacræ Paginæ non præcipiunt orationes ad Sanctos, preces nostræ sunt dirigendæ ad Deum. VII. Christus Dominus præcepit Sacrificium Missæ pro vivis, & non pro mortuis. VIII. Melius est audire bonum Sermonem, quam centum Missas. IX. Nullum provenit emolumentum Missam audientibus, quia verba in Missa decantata non intelligunt. X. Optimum foret, si Missa in idiomate gallico cantaretur. XI. Deus solus dimittit peccata, quapropter Christus Dominus hanc potestatem non dedit Petro per hæc verba: quodcunque ligaveritis &c. XII. Papa nullam haberet potestatem dimittendi peccata, nisi Spiritum Sanctum secum haberet. XIII. Tria vota sunt instituta ex affectu carnis, & diaboli. XIV. Ablutio aquæ in Baptismo parum est, fides enim sufficit. Omnes has propositiones, quæ potissima ex parte a Waldensibus, Wiclefistis, & Bohemis mutuatæ fuerunt, die nona Septembris Facultas Theologica censuris perstrinxit, declaravitque, librum Saunieri esse igne comburen- Sæcul. XVI. A.C. 1525.

Sæc. XVI. A.C. 1525

burendum, Jacobum vero Pouent ad publicam palinodiam compellendum.

§. XXIV.

Censura in propositiones decerptas ex Epistolarum & Evangeliorum libro ad usum Diœcesis Meldensis scripto.

Argentre p. 35. & tom. 1. p. 5.

Mense priori, nimirum sexta Novembris die eadem Facultas quadraginta octo damnavit propositiones, ex libro Gallico decerptas, cui titulus: *Epistolæ & Evangelia ad usum Diœcesis Meldensis unacum exhortationibus, singulis epistolis, atque Evangeliis adjectis.* Propositiones autem erant sequentes: *I. Omnia nobis sunt data & remissa in Christo, dummodo in eum credamus. II. Nihil est prædicandum præter Verbum Dei. III. Deus, & Christus, non autem Angeli, aut alia creatura est invocanda. IV. Credendum est Verbo Dei juxta intelligentiam sui, non nostri Spiritus. V. Quicquid habemus provenit a bonitate Dei, non autem a nostris meritis. VI. Dona gratiæ, quæ sunt in nobis, non veniunt a nostris meritis, sed duntaxat a liberalitate, & infinita Christi Domini bonitate. VII. Salus non est in nostra potestate, sed in sola bonitate divina. VIII. Omnes populi, si credunt in Chri-*

Christum, eum videbunt, & salvabuntur. Sæcul. XVI.
IX. Fides, spes, & charitas in hoc mundo A.C. 1525.
ab invicem non separantur. X. Fides, quæ absque charitate est, fides non est. XI. Solum Dei Verbum est nutrimentum animæ. XII. Pater in Trinitate potest dici major Filio, secundum divinitatem, quia illius Pater est. XIII. Non possumus Christo Domino gratias agere, nisi quatenus in eum credimus. XIV. Quia Christus mortuus est pro nostris peccatis, pro eorum expiatione nos nihil ultra facere debemus. XV. Ut hæredes simus Regni Dei, sola fides sufficit. XVI. Doctrinæ hominum non possunt pascere animas nostras, sed potius eas occidere.

§. XXV.

Melanchtonis sententia de Lutheri connubio.

Cum interea Franciæ Regnum ab erroribus, quibus Germania inficiebatur, eximio Facultatis Theologicæ zelo præmuniretur, Lutherus apud Germanos numero ac Sectatorum potentia indies crescebat; quocirca omne nefas impune attentare integrum sibi esse ratus, publice incæstis utrinque nuptiis sibi copulavit Catharinam de Borre, quæ ante biennium unacum aliis octo e Nimicensi monasterio noctu auffugerat. *Sleidan. in comm. l. 4. p. 159.*

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

rat. Perfidus hic fidei defertor quamdiu Fridericus Saxoniæ Elector superstes erat, nunquam de sacrilego ejusmodi connubio cogitare ausus es, cum eum tales nuptias abominari nosset, eo autem fatis functo mox libidini suæ satisfacere constituit. Igitur Nuptiarum solemnia exeunte Mense Junio, cujus undecima die ejus scortum vigesimum sextum ætatis annum agebat, celebravit, pluresque personas illis interesse rogavit. Eo tempore hæresiarcha quadraginta quinque annos natus erat, cujus factum vehementer obstupescebant omnes, eoquod Vir ille, Sacerdos & Monachus, quem ipsius Sectatores velut purioris Evangelii restauratorem universo Orbi deprædicabant, jam publico, & quidem sacrilego fœminæ Deo sacratæ connubio sese jungeret; tam turpe facinus Lutherum non modo inimicis, sed ipsis etiam amicis suis invisum reddidit, ejusque clientes, alioquin ipsi omnium addictissimi in summam admirationem rapiebantur, quinimo ipsi Luthero postea flagitii recordatio verecundiæ fuit; percipiamus enim, quæ hanc in rem Melanchton in quadam Epistola ad Camerarium Græce perscripsit, *Lutherus*, inquit Melanchton, *dum nil minus cogitaretur, nemine amicorum consulto, sub vesperum ad cænam præsentibus*

Melchior Adam in vita Lutheri.

bus Pomerano Paſtore, advocato, & pictore quodam Catharinam ſibi matrimonio junxit; omnes obſtupeſcere cœperant, Lutherum temporibus iniquiſſimis tantum non habuiſſe animi, ut patriæ ſuæ malis compateretur; imo parum illum ſollicitum videri de impendentibus malis, ſuaque auctoritate, hoc tempore tantopere neceſſaria. Recenſet poſtea Melanchton amico ſuo hujus matrimonii cauſſas, *ſcio equidem,* ſcribit ille, *Lutherum non eſſe humanitatis inimicum, naturali forte neceſſitate huc deductum, hoc vitæ genus eſſe quidem commune, ſed tamen ſanctum, de cetero calumnia eſt, ſiquid aliud Luthero objiceretur.* (*) Sæcul. XVI. A. C. 1525.

Nihil in hac actione, proſequitur Melanchton *improbare poſſum quam temporis importunitatem, datamque inimicis calumniandi occaſionem, de cetero omnia ago pro conſolando Luthero, qui propter hanc ſtatus mutationem maxime turbatus eſt.*

§. XXVI.

Lutherus Sacerdotes & Monachos ad ſui imitationem adhortatus.

Mæſtitiam e Lutheri animo eliminare

(*) Nimirum tunc communis erat fama, Catharinam, antequam publicas cum Luthero nuptias inierat, jam ex eo fuiſſe gravidam.

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

re Melanchtoni perfacile fuiſſe videtur; quippe Lutherus perfrictæ frontis homo, cum præ pudore in extremis mundi angulis ſe abſcondere debuiſſet, flagitium ſuum non modo tueri præſumebat, ſed ceteros quoque Sacerdotes ac Monachos ad ſui ipſius imitationem adhortabatur. Aſt Ejusmodi connubia calamo ſuo exagitans Eraſmus, qui æquior, quam novi hi Reformatores, purioris Evangelii æſtimator fuit, in quadam ſua epiſtola hæc ſcripſit. „ O præ-
„ claros Eccleſiæ Reformatores! vo-
„ cant ſe Apoſtolos, & tamen ſolemnem
„ cælibatus poſſeſſionem abjiciunt, ut
„ uxoribus jungantur, cum tamen veri
„ Apoſtoli Domini noſtri Jeſu Chriſti
„ juxta omnium Sanctorum Patrum
„ traditionem relictis uxoribus Cæli-
„ batum amplexati fuerint, ut unice in
„ Deo atque Evangelio occupati eſſe
„ valerent. „

Ep. Eraſm. lib. 18. ep. 13. l. 19. ep. 41.

§. XXVII.

Raimundi Vich, & Sigismundi Gonzagæ Cardinalium obitus.

Hoc anno die vigeſima quinta Julii Raimundus Vich Cardinalis Verulis in monaſterio Ordinis Ciſtercienſis extremum diem clauſit, ejusque Corpus Romam delatum in Eccleſia Sanctæ Crucis in Hieruſalem conditum eſt.

Is

Is erat Valentiæ in Hiſpania natus, & poſtquam in Curia Romana longo admodum tempore Protonotarii Apoſtolici munere functus erat, tandem Cephaledenſis Epiſcopatus in Sicilia Adminiſtrator eſt conſtitutus, cujus tamen Eccleſiæ regimen conſentientibus Papa, & Ferdinando Arragonum Rege abdicavit Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, ſed paulo poſt Barcinonenſi Epiſcopatu donatus eſt, Anno autem Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo eundem Leo X. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Marcelli adſcripſit. Sæc. XVI. A.C. 1526.

Itidem hoc anno Menſe Octobri Sigismundus Gonzaga Mantuæ vivis ereptus eſt, quem Julius II. anno ſalutis milleſimo quingenteſimo quinto Cardinalem nominavit. Is primo quidem ſæculari militiæ nomen dederat, ſibique maximam nominis ſui laudem conciliaverat, cum vero Clericalem militiam profiteretur, meritorum ſuorum amplitudine haud minorem ſibi famam comparavit.

Anno ſequenti milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto Oecolampadius Lutheri exemplum ſecutus, itidem ſacrilegis nuptiis ſe polluit, ac juvenis cujusdam adoleſcentis forma faſcinatus eandem ſibi thori ſociam ſele-

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

git. Ob hoc connubium Eraſmus ſat jocoſe Oecolampadium luſit his verbis: *Nuper Oecolampadius duxit uxorem, puellam non inelegantem. Vult opinor affligere carnem ſuam. Quidam appellant Lutheranam tragœdiam, mihi videtur eſſe comœdia; ſemper enim in nuptias exeunt tumultus.*

§. XXVIII.

Lutheri epiſtola ad Electorem Moguntinum de ineundo connubio.

Cochl. hoc an. p. 129. & 131

Cum Lutherus quosdam dementiæ ſuæ ſocios habere lætaretur, ac quemdam inſuper magni nominis Prælatum ad ſequendum ipſius exemplum pertrahere cuperet, literas perſcripſit ad Albertum Brandeburgicum Moguntiæ, & Magdeburgi Archiepiſcopum, eundemque ad relinquendum celibem ſtatum, nec non ad utrumque Archiepiſcopatum in profanos Principatus commutandum ſollicitavit, *longe maximum*, ſcripſit Lutherus, *exemplum erit Illuſtriſſima Dominatio veſtra, quæ in medio Germaniæ ex maximis capitibus unum quoque exiſtit, hic multos homines tranquillos redderet, atque lucraretur, aliosque Epiſcopos ad abjiciendum falſum nomen Eccleſiaſtici ſtatus, & amplectendum Matrimonium ſubſe-*

subsequenter alliceret. Tunc & Deus se videndum præberet in gloria, igitur eripiat se ex scelesto, & impio statu, in beatum divinumque statum Matrimonii, ubi Deus propitium se facit inveniri. Ut vero hanc sacrilegam propositionem quodammodo comprobaret, addidit, *opus ac voluntatem Dei esse, ut vir habeat mulierem Gen. 1. Non est bonum (inquit Deus) virum esse solum, faciam ei adjutricem, quæ circa eum sit: Ubi ergo Deus non facit miraculum, Angelum ex homine faciens, non possum videre, quomodo vir queat absque ira, & indignatione Dei solus ac sine muliere permanere.* Attamen Archiepiscopus, cum sapientia ac prudentia clarus esset, improbam hæretici levitatem, audaciamque contempsit, ac nequidem ad ejusmodi literas respondit. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. XXIX.

Supremus Ordinis Teutonici Magister Lutheri Sectæ addictus, ac connubio junctus.

Attamen Lutheri suggestionibus magis faciles aures præbebat alius quidam Albertus, Moguntino Electori sanguine junctus, necnon magnus Ordinis Teutonici Magister. Hic ordo, postquam se ab Ecclesiæ gremio segregaverat, ac per centum quinquaginta & amplius

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

plius annos cum Polonis bellum gesserat, simul supremi dominii jus amisit; illius enim caput Albertus Brandeburgicus, cum Cæsarem Italorum æque ac Gallorum armis valde implicitum in Hispaniis hærere nosset, se tam acriter a Polonis vexatum mentiebatur, ut nisi prompto juvaretur auxilio, proximus ruinæ esset. Quocirca Cæsaris opem implorabat, cum autem suppetiæ tardius adventarent, cuncta Ordinis sui privilegia evertit, potissimam ærarii partem suos in usus impendit, Prussiam cum Polonis divisit, seque eorum præsidio commisit, ac mediam, quæ ei adhuc supererat Provinciam, illis vectigalem reddidit, ea tamen lege, ut imposterum illam velut Ducatum sibi proprium possidere, atque beneficiario nomine ad hæredes suos transmittere permitteretur. Ast genuinam tam subitæ mutationis caussam vix integro Mense dissimulare poterat; quamvis enim jam sexagesimum nonum ætatis suæ annum emensus esset, nihilominus summa hæc senectus nondum in eo extinxerat effrænatam nubendi libidinem: Quapropter Dorotheam Holsteinii Principem sibi copulavit, peractoque connubio adhuc triginta ferme annos vita superstes vixit; improbo hujus consilio Lutherus flagitium suum honestare, prom-

promptamque illius executionem exemplo a se prius dato adscribere haud dubitabat. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. XXX.

Disputatio inter Erasmum & Lutherum de libero arbitrio.

Exeunte hoc anno Lutherus arrepto calamo libellum edidit *de servo arbitrio;* jam antea Erasmus alium scripserat librum, cui titulus: *Diatriba de libero arbitrio contra Lutherum*, in cujus operis præfatione asserit, hanc quæstionem omni ævo acriter fuisse agitatam, atque arbitrii libertatem a nemine vehementius impugnatam, quam a Martino Luthero, hancque ob caussam se hujus Doctoris dogma suppresso ejus nomine evertens aggredi. Postea dicit, negari haud posse, quod efficax virtus libero arbitrio insit, cum sacræ Paginæ nos hortentur, ut si peccatis obnoxii simus, a malo recedamus, viamque pœnitentiæ amplectamur, si vero per salutis semitam incedimus, ad majorem perfectionem tendamus: Post hæc affirmat, quod nos mali caussa simus, omne autem bouum a Dei bonitate procedat, cui omne, quod sumus, debemus. His ita expositis ad ipsam quæstionem transit, atque ex Sacro Codice *Cochl. l. c. p. 140. Sleidan. l. 4. p. 123. l. 9. p. 273. & 274*

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

oſtendit, hominem cum libertate eſſe creatum, ejus vero intellectum, voluntatem atque naturam Adami peccato fuiſſe læſam, proin ut a peccato redimatur, gratiæ divinæ adjutorio indigere, ceterum illius libertatem quamvis primi Parentis noxa ingens accepiſſet vulnus, nullatenus tamen penitus eſſe deſtructam.

§. XXXI.

Analyſis libri hujus de libero arbitrio.

Poſt hæc hæreſin Pelagii recenſet, qui hominem ſolis liberi arbitrii ſui viribus ſalutem conſequi poſſe aſſerebat. Oſtendit inter Theologos, quorum diverſas refert opiniones, haud alios magis extollere liberum arbitrium, quam Scotiſtas, cum hi docerent, quod homo ante gratiam actiones *moraliter* bonas elicere poſſet. Eorum vero ſententiam nimis rigidam exiſtimat, qui omnes actiones, quantumvis *moraliter* bonæ videantur, a Deo rejici tenent, ſimulque affirmant, quod Pagani quadam naturali Dei cognitione illuſtrati quosdam actus *moraliter* bonos exercere potuerint. Profitetur Sancti Auguſtini ſententiam plurimum favere gratiæ, cum doceat, quod homo peccato obnoxius non poſſit

sit se convertere, nec salutis opera exercere, nisi per gratiam mere gratuitam, quam S. Doctor *operantem* appellat, sit excitatus, adeo, ut quamvis actio bona simul per liberum arbitrium & per gratiam fiat, nihilominus gratia voluntatem præveniat. Postea duo gratiarum genera distinquit, hanc generalem, quæ nonnisi gratia naturæ est, alteram particularem, quæ ad pœnitentiam excitat peccatorem, qui nihil promeritus est, priusquam recepit gratiam, quæ peccatum delet, & hominem reddit Deo acceptum. Prima hæc gratia, inquit Erasmus, cuilibet datur, & a nostro libero arbitrio dependet. Ceterum Erasmo nimium dura nec toleranda videtur eorum sententia, seu potius error, qui liberum arbitrium non nisi ad malum vires habere contendunt, illudque nequidem unacum gratia bonum operari affirmant, sed solam gratiam in homine bonum operari, arbitrium vero mere *passive* se habere tradunt. Denique eorum opinionem tanquam nullatenus admittendam rejicit, qui liberum arbitrium nonnisi nudum nomen esse, nec unquam vel in Angelis, vel in Adamo aut aliis hominibus nec ante nec post gratiam vim ullam habuisse propugnant, tenentque, quod solus Deus in nobis & bonum & malum operetur,

Sæcul. XVI. A. C. 1526.

Sæcul. XVI. A. C. 1526.

tur, cuncta vero, quæ homo facit, ex necessitate faciat. Hunc æque ac priorem errorem Erasmus impugnat.

Demum argumenta a Luthero adversus liberum arbitrium allata confutat, ostenditque, quod omnes Sacræ Paginæ textus, in quibus de gratia homini ad bonum operandum necessaria mentio fit, eoipso libertatem operantis comprobent, eoquod supponant, quod gratia succurrat, adjuvet, assistat, & operetur cum homine, proin quod etiam hominis voluntas agat. Tortas postmodum rejicit Hyperboles eorum, qui asserunt, quod homo adeo nihil promereri valeat, ut omnia ejus opera bona sint peccata; aut quod nostra voluntas non plus agat, quam vas in manu figuli, & cuncta, qnæ facimus, necessario agamus. Ejusmodi falsas opiniones, atque errores confutat, eoquod Dei justitiam æque ac misericordiam evertant, iisque omnibus repugnent, quæ scriptum Dei Verbum de præmiis atque pœnis tradit, simulque inanes efficiunt minas, atque hortationes, & monita, quæ nobis idem suggerit. Observat Sanctum Augustinum, habita disputatione cum Pelagio, minus quam antea libero arbitrio tribuisse. Denique totum Erasmi opus eo collimat, ut ostendat, primum impulsum ad bonum unice

unice gratiæ esse attribuendum, consen- Sæcul. XVI.
sum vero, operisque progressum volun- A. C 1526.
tati simul & gratiæ, perfectionem autem gratiæ esse adscribendam; ita tamen, ut gratia & voluntas, simul ambo ad eandem actionem concurrant, quamvis gratia principalis illius causa existat. Hac ratione, prosequitur Erasmus, homo bonas producit actiones, sed imperfectas, de quibus gloriari nequit; earum enim meritum Deo in acceptis referre debet; eoquod libertatem quidem habeat, ea tamen absque gratia bonum operari non possit.

§. XXXII.

Melanchton Lutheri rabiem indignatur.

Hunc Erasmi libellum Lutherus vili- *Epist. Melancht. l. 4. ep. 28. lib. 18. ep. 11. & 22.*
pendere videbatur, eoquod latino sermone conscriptus, nec a plebe, nec a Principibus hujus idiomatis ignaris intelligi posset. Cum vero ab Emsero & Cochlæo in Germanicam quoque linguam versus esset, Lutherus illum confutare nitebatur, verbis tamen adeo asperis, styloque adeo vehementi, ut ipse Melanchton haud ultra se cohiberet, quin hæc in verba prorumperet: *Utinam sileret Lutherus, sperabam illum crescentibus annis mitigandum, verum quotidie fit*

Sæcul. XVI. A. C. 1526.

fit ferocior. Horrende me hoc torquet: infelix erit disputatio, nisi finem Deus imponat.

§. XXXIII.

Lutheri liber de servo arbitrio *contra Erasmum.*

Inter opera Luth. de servo arbit. to. 2. fol. 426. 429. 431. 435 ibid. fol. 444.

Verum non modo haud toleranda erant convitia ac contumeliæ, quas in Erasmum evomuit, sed vel maxime horrenda fuit libri sui doctrina; tradidit enim, non solum post lapsum hominis liberum arbitrium penitus extinctum esse, (qui error novæ, spuriæque reformationis sectatoribus communis erat) sed insuper docuit, quod nemo alius præter Deum liber esse possit, ac præscientia & Dei providentia id efficiat, ut cuncta fiant ex immutabili, æterna, & ineluctabili Dei voluntate, quæ diruit, atque evertit totum liberum hominis arbitrium, præterea affirmavit, quod libertas, seu liberum arbitrium nil nisi nudum nomen sit, solique Deo competat, nequaquam vero homini vel Angelo, vel cuicunque alteri creaturæ convenire possit.

Ex tam blasphemo dogmate compellebatur Lutherus, ut Deum omnium scelerum auctorem constitueret, ac ne id quidem dissimulanter, sed disertis omnino

mnino verbis effutiebat, affirmans, „ liberum arbitrium nil nisi inane nomen „ esse, Deum in nobis malum æque „ ac bonum operari, magnam fidei perfectionem in eo consistere, si credamus, Deum justum esse, quamvis „ per suam voluntatem necessario damnabiles efficiat, adeo, ut damnatorum suppliciis delectari videatur. „ Præterea in hæc verba prorupit Lutherus: „ Placeat nobis Deus, quando indignos coronat, nec nobis displiceat, „ quando innocentes damnat; tandem „ ita concludit: Hæc dico, non inquirendo, sed ea sic definiendo, nec ea „ alterius cujusque judicio subjicere „ volo, sed omnibus & singulis consulo, ut meæ sententiæ sese submittant. „ Sæcul. XVI. A.C. 1526. *ibid. p.* 465.

§. XXXIV.

Hyperaspistes Erasmi contra Lutherum.

Erasmus, cum se a Luthero tam indigno modo haberi cerneret, ejus libro duos alios opposuit, quos Hyperaspisten appellavit, id est, *defensorem Diatribæ*; Concinnabat hoc opus tanta celeritate, ut in hoc labore nonnisi decem aut duodecim dies impenderet. In eo Lutherum his verbis redarguit: *Quam multa* *Cochl. ann.* 1526. *p.* 144.

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

multa sunt in tuo libro prorsus aprosdionysa, supervacanea, quot in locis communibus moræ, quantum convitiorum, quam multa manifestæ vanitatis, quantum stropharum, quantum figurati morsus, quam multa parum pudenter detorta ac depravata. Primum vero demiror, cum mea Diatriba nihil habeat, nisi moderatam de re disputationem, cumque e propinquo allatret Emserus, e longinquo Cochlæus objurget, ex Anglia præter Roseum & alios Episcopus Roffensis justis voluminibus te lacessat, ex Gallia Clichtoveus Lutherum oppugnet Antiluthero, ex Italia Longolius elaboratam orationem in te torserit. Denique cum hic habeas ex tuæ sodalitatis Coriphæis, qui tibi sedulo facessant negotium, quorum Zwinglius dogma tuum de Eucharistia oppugnat; cum idem fecerit Capito, & Oecolompadius. Hæc inquam, cum ita sint, demiror, quo consilio ad omnes obmutescens, nostræ Diatribæ respondendum putaris. Postea Luthero suam animi levitatem exprobrat, dicitque: *Quis unquam sapuit, qui vel latum, ut ajunt digitum dissensit a tuis dogmatibus?* Postremo calumnias, quas Lutherus impudenti calamo in eum effudit, a se amolitur. His absolvitur prima hujus libri pars. In altera Erasmus confutat responsa, quibus Lutherus textus allegatos, necnon argumenta contra suam opinionem allata enervare nite-

nitebatur. Hoc Eraſmi opus juſtum volumen efficit, ac potiſſima illius pars potius perſonam Lutheri, quam doctrinæ ſummam tangit, nec novum quid hac in re exhibet; nihilominus Lutherus neutram hyperaſpiſtis partem confutare eſt auſus. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. XXXV.

Lutheri epiſtola ad Georgium Saxoniæ Ducem.

Sub idem tempus Lutherus datis literis Georgium Saxoniæ Ducem inducere conabatur, ut ementitum Evangelium in ſua ditione prædicari permitteret, *quamvis*, ſcripſit Lutherus, *Illuſtriſſima Clementia veſtra non velit credere doctrinam meam eſſe verbum Dei, nihilominus neque veſtra Clementia, nec ullus hominum doctrinam meam extinquet, aut impediet: oportet eam progredi, ſicut & hactenus fecit. Id unum doleo, quod videre debeam, quomodo illuſtriſſima Clementia veſtra tam horrende impingat in lapidem angularem Chriſtum: cum Deus alioquin tibi multas bonas virtutes, & proprietates aliis in rebus dederit. Oro & ſubjicio me, ac gratiam quæro, ubicunque Clementiam veſtram offendi ſive ſcriptis, ſive verbis . . . Remitto item ex corde omnia, quæcunque Ill. Clementia veſtra contra me egit, ſolummodo* *Cochl. l. cit. p. 126. & p. 127.*

Sæcul. XVI. A. C. 1526.

modo emoliri se sinat in hoc uno articulo, ut verbum Christi, quod per me in lucem venit, liberum sit, de quo abs dubio gaudebunt omnes Angeli in cælo. Ad hæc Georgius Luthero respondit, in hæc verba: *Affirmare tibi possumus, nobis Evangelium tuum curæ parum esse, cum sit a Capitibus Christianitatis pro reprobo judicatum. Id unum curavimus, ut, ne a nostris acceptaretur, pro viribus præcaveremus. . . . Tu nos admones mortis, cujus certi sumus, quid autem fieret, si tuum amplexi Evangelium moreremur? Nonne Deus dicere posset: Unde hic, qui novum Evangelium cum tot fructibus malis secum affert? nonne dixi tibi, ut arborem ex fructibus cognoscas, noti sunt mali fructus inde producti. Ex tua doctrina hæreses renovantur, omnis Dei cultus aboletur. Quando plura facta sunt sacrilegia, rebelliones, deprædationes sacrarum domuum, rapinæ ac furta, apostasiæ, & adulteria, nisi post productum Evangelium tuum? Serva tu Luthere Evangelium tuum, nos permanebimus apud Evangelium Christi, sicut recipit illa Ecclesia Catholica, & servat; id quod Deus nos adjuvet. . . . Tibi suspecti sumus tanquam adulationibus circumdati, tu adultores quærito iis in locis, ubi te vocant Prophetam, Apostolum Germanorum, & Evangelistam; hic certe adulatorem non reperies.* „ Tu „ vero ad saniora redi consilia, & quan-

„ tum

„ tum in te est, extrema, quæ Eccle- Sæcul XVI.
„ siæ intulisti, ac singulis diebus eidem A C. 1526.
„ infers, mala reparare satage. „

§. XXXVI.

Epistola Lutheri Angliæ Regem ad hæresin in regnum inducendam solicitantis.

Nec prospero magis successu Angliæ Regem ad sua studia pertrahere nitebatur Lutherus. Non deerant, qui eidem spem facerent, fore, ut iratum Regem facile placare, imo ad suam quoque sectam allicere posset; quocirca epistolam ad eundem perscripsit, submissione atque adulatione plenam. Inter alia sic Regem interpellavit; *his literis prosterno me pedibus Majestatis tuæ, & quantum possum humillime per Crucem Christi veniam rogo, in quibuscunque Majestatem tuam læsi. Dein si Majestati tuæ non videbitur contemnendum, ut alio libello publico Palinodiam cantem, faciam illud libentissime.*

Inter oper. Luth. ep ad Reg. Angliæ tom. 2 fol. 92. Cochl. l. c. p. 132. 135.

§. XXXVII.

Accerrimum Regis Angliæ responsum.

Regis Angliæ responsum ad Lutherum expectatione sua longe acerbius e- *Cochl. l. c. 136 & 137.*

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

rat; Henricus enim eidem objectabat animi sui levitatem, doctrinæ suæ errores, cunctaque abominanda scelera, quæ contra Deum, Ecclesiasticos & sæculares Principes, necnon adversus omnia sanctissima quæque per solidos octo vel novem annos commisit. Acrius vero eidem exprobravit incæstas æque ac sacrilegas nuptias: *Miror*, inquit, *quod te non pudeat serio levare palpebras, dum diabolo instigante in eam ingenii levitatem cecidisti, ut ob carnis ineptias, & obscænas libidines, cum frater Augustinianus sis, Monacham Deo dicatam scelerato compressu violares. Quale flagitium si designasses olim apud Romanos Ethnicos, & Monacha terram viva subiisset, & tu ad mortem usque verberibus esses multatus. Verum etiam, quod nimio est execrabilius, eam publice pro uxore nuptiis incæstissimis traduxisti, atque ita palam summo per totum mundum opprobrio, summo cum totius mundi stupore, summaque cum sanctissimorum votorum contumelia per nefas abuteris in quotidianum prostibulum. Denique, quod omnium maxime est detestandum, cum te deberet tam execrandi facinoris pudor, & dolor obruere, pœnitentiæ loco præ te fers miser impudentem gloriam, tam longe fugiens imprecationem veniæ, ut etiam in tui sceleris exemplum passim per pseudoreligiosos literis ac libris alios provoces.* Reliqua totius hujus epistolæ

Inter opera Episcopi Roffensis unacum lib. de Sacrament. Sleid. comm. l. 6. p. 165.

pistolæ æque gravi stylo concepta erant; præprimis vero vehementer invehebatur in Lutherum, quod ejus librum de Sacramentis *nonnisi Henrici a subdolis Sophistis subornati partum* dicere, ac Volsæum Eboracensem Cardinalem convitiis proscindere ausus fuisset; quocirca Rex eidem Luthero hæc declarabat, *librum hunc & meum esse multi majori fide digni, quam sunt tui testes, cognoscunt. Et ego, quanto tibi minus placet, tanto magis libenter agnosco.* Sæcul. XVI. A C. 1526.

§. XXXVIII.

Lutheri rabies contra Angliæ Regem.

Pœnituit brevi Lutherum, quod mitius Angliæ Regi perscripsisset; cum enim quandoque rabiem suam eo duntaxat fine temperaret, ut illi, quos offendit, pro venia supplices ad pedes ejus procumberent, ita totam bilem suam in eos effundebat, qui ejusmodi submissionem exhibere cunctabantur. Luculentum hujus arrogantiæ specimen præbuit in suo libello, quem inscripsit, *Responsum ad maledicum, & calumnioſum Regis Angliæ scriptum.* In eo Regem his verbis alloquebatur: „ Vehementer „ doleo, quod te adeo moderate ha- „ buerim, id amicorum precibus victus *Sleidan. l. c. p.* 166.

Sæcul. XVI A.C. 1526.

Ad maled. Regem resp. tom. 2. f. 493.

„ feci, ſpe facta, hanc modeſtiam tibi „ proficuam fore, eademque ratione „ permotus pari humanitate Cajetano „ Legato, Georgio Saxoniæ Duci nec„ non Eraſmo perſcripſi: ſed ſpe mea „ fruſtratus, impoſterum haud ultra in „ ejusmodi imbecillitatem prolapſurus „ ſum. „ Porro quamvis hic Hæreticus totus hisce ſcurrilitatibus eſſet abſorptus, ſuam tamen lenitatem hisce verbis extollere præſumebat: *Verum eſt pro firmitate doctrinæ meæ*, ajebat in ſuo reſponſo ad Regem, *in ſuperbia nec Imperatori nec Principi nec Sathanæ cedo, paratus tamen ſum, ſi Rex depoſita Majeſtate ſua mecum congredi vellet, agerem cum illo, ita ut ab hominum humillimo & modeſtiſſimo plus requiri non poſſit. Vere enim ovis ſum, & ovis maneo, in ſimplicitate mea mali nihil de aliis credo.*

Nihilominus, quamvis Henricus Rex ſpurio Evangelio ſtrenue obſiſteret, Lutherus tamen in Anglia plures recenſebat fautores, ac clam hæreſes ſuas ſermonibus ad populum dictis per ſuos Sectatores ſpargere moliebatur. Cum vero inde nonniſi lento pede venenum ſerperet, Lutherus in aſtu conſilium quæſivit, cui ſi ſecundus adſpiraſſet ſucceſſus, brevi ingenti progreſſu hæreſis ſeſe diffudiſſet: Moliebatur novi Teſtamen-

stamenti in Anglicum idioma translati editionem, quæ a se olim vulgatæ consona, multis in locis depravata erat, ut ex ipsius sacri Codicis testimonio errores suos comprobare videretur. Rei gerendæ negotium in se susceperunt duo Angli Christianæ fidei desertores, qui hanc versionem Colonienſibus literis excudi curarunt. Jam prælum longius processerat, cum impium hoc consilium tandem hac ratione detegeretur. Venerat eo tempore Coloniam Joannes Cochlæus, ut ibidem Ruperti Abbatis opera prælo subjiceret; cum igitur novum Testamentum a Lutheranis corruptum edi comperiret, rupta omni mora hac de re urbis Magistratum certiorem reddidit, qui tamen omni solertia nequicquam adhibita nullum ex hisce exemplaribus conquirere poterat, eoquod Lutheri asseclæ, accepto secreti proditi nuncio, jam omnia distraxissent, atque ambo Angli quaterniones jam impressas Wormatiam transtuliſſent, ut ibidem cæptum opus perficeretur. Ubi vero Cochlæus Henricum Regem, Volsæum Cardinalem, & Joannem Fischerum Roffensem Episcopum de his admonuerat, confestim, ne merx hæc perniciosissima in Angliam inveheretur, tam severe prohibebatur, tantaque diligentia huic malo ubique præcavebatur, ut Lutheri fau-

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

Sæcul XVI. A.C.1526. tores tùnc novi ſui Teſtamenti exemplaria in regnum invehere minime auderent.

§. XXXIX.

Zwinglii opinio de Euchariſtia.

Sleid. l. 3. p. 160. Interea Zwinglius ſe Lutheri Diſcipulum appellari indignatus, ipſus novæ ſectæ auctor eſſe conſtituit; cumque jam antea Orthodoxæ fidei dogma de Tranſubſtantiatione in Euchariſtia impugnaſſet, nunc quoque realem præſentiam, quam Lutherus admittebat, aggredi, & explicationem, quam Carolſtadius ad negandum hoc myſterium adhibebat, eludere moliebatur; Carolſtadius enim ad figuras recurrit, docuitque, hoc verbum *Eſt*, quo Chriſtus in verbis Sacramenti uſus eſt, idem eſſe, ac *ſignificat*. Zwinglius vero & Oecolampadius diverſo paululum modo rem explicabant, de cetero inter ſe conſpirabant, hæc verba: *Hoc eſt corpus meum* eſſe figurata. Zwinglius enim aſſerebat, quod hæc particula *Eſt* accipiatur pro *ſignificat*, Oecolampadius autem tenebat, in verbo *Corpus* hunc eſſe ſenſum; *hoc eſt figura corporis mei*. Huic ſententiæ acceſſerunt Argentinenſes, ac Bucerus & Capito eorum Duces pro aris & focis figurati ſenſus errorem tuebantur. Ab eo tempore ſpuriæ reformationis ſectatores

tores in diversas scindebantur factiones ac sectas, unde illi, qui novæ huic doctrinæ adhærebant, appellabantur *Sacramentarii* seu Zwingliani, eoquod Zwinglius omnium primus figurato sensui a Carolstadio excogitato suffragatus, ceteris auctoritate valeret. In hac Zwinglii sententia nec miraculum, nec aliud quicquam, quod naturali lumine comprehendi non posset, in Evchariſtia intervenit, panis fractus, inquiebat, nobis repræsentat corpus Christi immolatum, vinum vero sanguinem effusum; Christus instituendo hæc signa rei nomen illis dedit; nec tamen propterea omnino nuda esse signa ajebat, eoquod recordatio & fides Corporis immolati, & sanguinis effusi nostram animam corroboret, & Spiritus sanctus in cordibus nostris remissionem peccatorum confirmet. En! ad quas tandem nugas totum hoc Mysterium restringant Zwinglii Sectatores.

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. XL.

Zwinglii liber de vera, & falsa Religione.

Anno Christi milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto Menſe Martio Zwinglius tractatum edidit *de vera, & falsa Religione*, quem Franciſco I. Galliarum Regi nuncupavit. In eo ſententiam ſuam

Sæcul XVI. A C 1526.

de Evchariſtia prolixo admodum ſermone expoſuit, ſequenti autem Menſe Auguſto alium vulgavit libellum, cui titulus: *de ſubſidio Evchariſtiæ*, in quo itidem fuſius de eodem argumento diſſerit. Adverſabatur ſat luculenter ejus opinioni ſacer Codex; equidem hisce verbis: *Hoc eſt corpus meum*, opponebat illa: *Ego ſum vitis, ego ſum oſtium, Petra erat Chriſtus &c.* aſt ejusmodi exempla non erant prioribus æqualia; nam Chriſtus Dominus hæc verba: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, non eo ſenſu pronunciaverat, ut vel parabolam proponeret, vel allegoriam explicaret: Hæc inſuper verba de ſe ipſis a reliquo etiam ſermone avulſa perfectum præferebant ſenſum; agebatur enim de nova inſtitutione, quam verbis omnino perſpicuis fieri oportebat, nec unquam in ſacris paginis hucusque vel ullum reperiebatur teſtimonium, ubi inſtitutionis ſignum eo momento, quo inſtituebatur, absque præparatione prævia ipſius rei nomine inſignitum fuiſſet. Hoc argumento Zwinglius diu noctuque agitabatur, illudque eludere ſatagebat. Interea tamen, ſpreta Tigurini Tabularii oppoſitione, Miſſæ Sacrificium jubente Senatu fuit abolitum.

Ludov. Lavaterus in Controverſia Sacram. fol. 2. 3. & ſeq.

Zwing. ſubſid de Evchariſt. p. 247.

§. XLI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1526.

§. XLI.

Quidam ſacræ paginæ textus a quodam Spiritu Zwinglio ſuggeſtus.

Duodecimo poſt die Zwinglius ſomnium habuit, quod ipſus in præfato libro refert, & ſi verbis ejus fides adhibenda, exiſtimabat ſe cum Tigurinæ Urbis Tabulario in arenam deſcendiſſe, hunc vero Miſſæ abrogationi vehementer obſtitiſſe, atque in maximas Zwinglium redegiſſe anguſtias, eoquod ex verbis Chriſti Domini: *Hoc eſt corpus meum*, invicte probari contenderet, quod panis transmutetur in Chriſti corpus; „ In arcto prehenſus, pergit Zwinglius, inopinato Phantaſma vidi (*atrum an album fuerit* ſe non meminiſſe profitetur) quod his verbis me alloquebatur: Ignave, quare non objicis ea, quæ in Exodo leguntur: „ *Eſt Phaſe, hoc eſt tranſi-* „ *tus Domini*, en quomodo res ſignifica- „ ta, id eſt, *tranſitus* tribuatur ſigno, „ nempe *Agno*. Agnus dicitur eſſe Pha- „ ſe, ideo, quia illius ſignum eſt. „ Hoc ſomnium, quamvis omnino frivolum eſſet, nihilominus a Zwinglio cœleſtis inſtar admonitionis habebatur, ipſusque hanc imaginationis illuſionem ſerio referebat, indeque falſam, quam claris adeo Chriſti verbis: *Hoc eſt corpus meum*

Hoſpinian. 2. part p. 25. & 26. *Zwingl. in ſubſid. de Euchariſt.*

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

attribuit, explicationem confirmabat, hujus tamen Hæresiarchæ Sectatores contendunt, quod Zwinglius asserens se ignorare, an Spiritus, quem in somnio vidit, *ater non albus esset*, duntaxat insinuare voluerit, hunc Spiritum dignosci, haud potuisse. *Ast*, inquit Bossuetus, *hoc ipso, quod Spiritus ipse latere voluerit, characterem spiritus maligni præsefert. Verum & hic nullum Zwinglius subsidium habet:* hæc enim verba: *Agnus est Phase, seu transitus Domini*, nullatenus significant, quod Agnus sit figura transitus; id enim hebraico sermoni sat familiare est, quod verbum *Sacrificium* subintelligatur; sic *peccatum* simpliciter idem est ac *Sacrificium* pro peccato, & transitus seu Pascha simpliciter sumptum est Sacrificium transitus seu Paschatis, hoc idem quoque sacer Codex paulo inferius ipsemet explicat, dum fusiori sermone affirmat, agnum non esse Phase seu transitum, sed transitus victimam. Cum igitur ceteræ factiones novæ, atque existimatæ hujus reformationis minus credulæ essent, quam Zwinglius, non deerant quamplurimi, qui ejus explicationem omnino rejiciebant; unde Lutherani circa hunc articulum in varias rursum sectas scindebantur. Lutherus enim hæc verba: *Hoc est corpus meum*, juxta literalem eorum sensum intellexit,

lexit, admisitque, quod Christus Domi- Sæc XVI.
nus in Evchariſtia præſens ſit, quamvis A.C 1526.
ſimul cum ſacratiſſimo ejus corpore panis adeſſet, ex quo tamen inepta reſultat conjunctio. Ex adverſo Oecolampadius contendebat, hoc verbum *Corpus* accipiendum eſſe pro figura corporis: Carolſtadius vero metonymiam collocavit in verbo *hoc*, ac Zwinglius in verbo *eſt*.

§. XLII.

Primus Oecolampadii liber de Evchariſtia.

Ut autem Oecolampadius ſuam tueretur ſententiam, ſpeciale conſcripſit opuſculum, cui titulus: *Vera expoſitio verborum Chriſti Domini: Hoc eſt corpus meum;* & hic ipſe liber primus eſt, qui circa hoc argumentum in lucem prodiit. Mox autem quatuordecim Lutheranæ Sectæ Miniſtri conventu Hallæ habito adverſus Oecolampadium librum conſcripſerunt, cui titulus *Syngramma* ſeu Scriptum commune. Adſcribebatur hæc lucubratio Joanni Brentio, qui poſtmodum ubiquiſtarum caput evaſit. Verum huic Oecolampadius aliud oppoſuit opus, quod *Antiſyngramma de Cœna Domini* inſcripſit. Brentii librum Joannes Agricola Germanice reddidit, Lutherus vero approbavit, adjecta præfatione, in qua hæc aſſeruit: *Tot capita, tot ſenſus*

Sæcul. XVI. A.C 1526.

sus hæc unica Sacramentariorum secta habet, Carolstadius ex his vocabulis pronomen Hoc *misere detorquet in visibile Christi corpus. Zwinglius autem verbum* Est, *ad ly* significat, *macerat. Oecolampadius nomen* Corpus *torturæ subjicit: alii totum textum excarnificant, alii invertunt vocabulum* Hoc *ex primo in postremum locum. Alii brevi ex ovo excludentur, qui verba consecrationis obtruncabunt; præter hos alii accedunt, ut septenarius numerus compleatur, qui dicunt, non esse de his contendendum.*

§. XLIII.

Lutherus præsentiæ realis vindex contra Sacramentarios.

Lutherus, quamvis integras novæ reformationis turmas sectasque contra se insurgere ægerrime ferret, nihilominus earum opinionibus accedere inconsultum judicabat, sed constanter, validisque rationibus præsentiæ realis fidem contra Sacramentarios tuebatur; nec inani prorsus conatu; quippe ejus sententiæ sacer Codex & traditio suffragabantur, ex quibus demonstrabat, si verba Christi Domini adeo clara, & plana ad figuras detorquere liceret, & quidem sub obtentu, quod in sacris literis passim figuratæ reperiantur locutiones, inde sat amplam parari viam, ut

Serm. de Corp. & Sang Christi defens. verbi Cœnæ, quod verba adhuc stant. tom 7. f. 277. & 381.

ut quivis totum ſacrum Codicem, cunctaque ſalutis noſtræ myſteria ad figuras detorquere poſſet, hoc itaque myſterium eadem ſubmiſſione, qua cetera, recipiendum eſſe affirmavit, nec de ratione nec de natura nos ſollicitos eſſe voluit, unice tamen Chriſto Domino, ejusque verbo inſiſtendum tradidit: „ Chriſtus Dominus, ait Lutherus, in „ inſtitutione non loquebatur nec de fi- „ de, nec de Spiritu ſancto, dum di- „ xit: *Hoc eſt corpus meum;* non enim „ inquiebat, fides te participem reddet: „ corporis mei manducatio, de qua lo- „ quitur Chriſtus, non eſt manducatio „ myſtica, ſed oris manducatio; unio „ fidei etiam extra Sacramentum con- „ ſummatur, nec credi poteſt, quod „ Chriſtus Dominus verbis adeo diſer- „ tis nobis nihil ſpeciale, ac reale de- „ derit. „ Poſtea efficacius inſiſtebat Lutherus verbis D. Pauli, ubi Apoſtolus relatis hisce verbis: *Hoc eſt corpus meum*, adeo ſevere condemnat eos, qui non *dijudicant Corpus Domini*, *ſed ſe reos faciunt Corporis & Sanguinis Domini*. Subjungit denique, quod D. Paulus ubique de vero, non autem figurato corpore loqui voluerit, atque ex ipſis illius verbis manifeſte eluceat, quod ejusmodi impios condemnet, non ſolum ideo, quia Chriſto Domino injuriam intule- Sæcul XVI. A.C.1526.

runt

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

runt in ejus donis, sed quia propriam illius personam contumeliis affecerunt.

Postmodum totus in eo erat, ut quæ contra hasce veritates opponerentur, dissolveret; cum igitur nonnulli hæc Christi Domini verba Joan. 6. *Caro non prodest quicquam*, objectarent, hinc ex illis scisitabatur, qua fronte Christi carnem nihil prodesse, afferere auderent, atque illi divinæ carni, quæ tamen vitam tribuit, ea verba adscribere præsumerent, quæ tamen Christus mere de sensu naturali edixit, aut saltem de carne eo modo accepta, quo illam Capharnaitæ intelligebant, aut perversi Christiani eam recipiunt, illique fidem non associant, nec simul spiritum & vitam, qua repleta est, accipiunt. Dum vero alii Luthero humanas rationes opponebant, atque inter ceteras dicebant, qua ratione corpus in tot locis simul, atque integrum in tam exiguis particulis esse valeat? Ipse ab eis quæsivit, quo pacto Deus unitatem suam in Trinitate Personarum conservet; quomodo ex nihilo creaverit cœlum & terram, & Filium suum carne humana induerit, qua ratione efficere potuerit, ut divinum Verbum ex Virgine nasceretur; denique cum Sacramentarii dicerent, quod hæc controversia res levis esset, ob quam chari-

charitas, & pax non esset dissolvenda, his ipse respondit: Quis ergo Carolstadium, ut litem ordiretur, compulit, quis Oecolampadium & Zwinglium ad scribendum adegit: *Maledicta sit in omnem æternitatem illa concordia, ex qua misere Ecclesia dilaceratur*, & quæ concluditur *in præjudicium veritatis.* Ejusmodi argumentis Lutherus non raro Zwinglii Sectatoribus os obturabat. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. XLIV.

Transubstantiatio a Luthero perperam negata.

Lutherus, quod proprium ac literalem Verborum Christi sensum tanta efficacia propugnasset, adeo vehementer lætabatur, ut haud continere se posset, quin jactabundus exclamaret: *Papistæ ipsi mihi concedere debent, me melius ipsis propugnasse sensum literalem, certus sum, si omnes in unam massam funderentur, non tam fortiter hanc veritatem defenderent.* Ast brevi in novum prolapsus errorem, transubstantiationem negavit; idque illi Zwinglius, omnesque Figurati sensus defensores luculentis omnino argumentis exprobrabant; observabant enim, Christum non dixisse: *Corpus meum est hic*, vel *Corpus meum est sub hoc, & cum hoc*, aut, *hoc continet meum corpus*, sed simpli-

Sæcul. XVI. A.C. 1526

simpliciter *hoc est corpus meum*, illud igitur, inferebant isti, quod fidelibus dari voluit, non est substantia, quæ corpus suum continet, vel comitatur, sed solum ejus corpus, absque alia extera quavis substantia; nec etiam dixit Christus: *Hic panis est corpus meum* (quæ alia erat Lutheri explicatio) sed indefinite pronunciavit: *Hoc est corpus meum*, ut aperte demonstraret, substantiam, quam nobis præbet, haud amplius esse panem, sed corpus suum. Equidem Lutherus hæc verba ad hunc sensum detorquebat: *Hic panis est Corpus realiter & absque figura*, nihilominus præter intentionem per hoc propriam suam ipsius evertebat doctrinam; recte enim cum Ecclesia affirmari valet, quod panis fiat corpus, eo nimirum sensu, quo S. Joannes cap. 2. v. 9. asseruit: *Aquam vinum factum ad nuptias in Cana Galileæ*, id est, per transmutationem unius in alterum. Pariter asseri potest id, quod specietenus panis est, re ipsa esse Corpus Christi. Ast quod ex vero pane adhuc remanente simul eodemque tempore fuerit verum corpus Christi, ut contendit Lutherus, nullum omnino sensum facit, unde sensus figurati Defensores necnon ipsi Catholici propugnant, quod Lutherus, vel cum illis simplicem mutationem moralem, vel cum Papistis (ut appellitant Catholicos

licos) transubstantiationem admittere compellatur. Sæcul XVI. A C 1526

§. XLV.

Alii errores Zwinglii de peccato originali, & Baptismo.

Præterquam quod Zwinglius realem Christi præsentiam negaret, accusabatur etiam, quod peccatum, ut vocant, originale non admitteret, simulque assereret, *ipsum hoc peccatum, prout est in filiis Adæ, non proprie peccatum esse, sed morbum, vitium, & miseram conditionem, nilque magis absonum, magisque sacris literis adversari, quam asserere, quod peccatum originale non solum morbus, sed etiam crimen sit.* Ejusmodi principiis insistens Zwinglius, definit, homines nasci quidem ex proprio amore ad peccandum proclives, non autem peccatores, nisi forte ita dicantur in sensu improprio, quatenus pœna peccati pro ipso peccato accipitur; de cetero hanc inclinationem ad peccatum, quæ peccatum esse nequit, omne originis nostræ malum operari asserit Zwinglius; cum vero idem malum æqualiter a singulis hominibus per mortem Christi haud dependenter a Baptismo aufferri contenderet, inde etiam inferebat: *Quod Baptismi lavacro nullum prorsus peccatum tollatur,*

Sæcul. XVI. A.C.1526.

imo nequidem Paganorum liberi ob originale peccatum æternæ damnationi alligentur. Ubi autem Zwinglio centena ſacræ Paginæ teſtimonia opponebantur, in quibus diſertis verbis adſtruitur, nos Baptismo ſalvari, noſtraque peccata ablui, jam nodum diſſolviſſe arbitratur, dum reſpondet, in hisce locis Baptismum accipi pro ſanguine Chriſti, cujus ſignum eſt, adeo, ut per Baptismum ex ſe nullum peccatum tollatur, nec gratia conferatur: „Sanguis Chriſti, in„quit, remittit peccata, non ergo Ba„ptismus.„ Ægre poſt Julianum Pelagianus, qui Zwinglio deterior ſit, pejusque ſentiat, reperire poterit; hi enim ſaltem admittebant, Baptismum adultis conferre gratiam, atque peccatorum remiſſionem: Zwinglius vero utrumque negat.

§. XLVI.

Badenſe Colloquium contra Zwinglium.

Cum Helveticæ Tribus nondum hisce erroribus infectæ majus a Zwinglianis, quam a Lutheranis periculum ſubirent, nihil non agebant, ut urbes ſuas a nova hac ſecta præmunirent. Inſuper jam dudum Joannes Eckius præſentibus Helvetiorum Magiſtratibus cum Zwinglio in arenam deſcendere peroptabat, ut

ut perversa ejusdem consilia, quæ apud Tigurinos exequebatur, penitus everteret. Enimvero hujus Pagi Magistratus Eckio securitatis literas offerebat, quibus munitus Tigurum accederet; cum vero ille probe intelligeret, quod ipsi molestia crearetur, nec ullo pacto ibidem tutus esse posset, hinc urbem, in qua Religio Catholica floreret, designari postulavit; sed repulsam tulit. Postmodum reliquæ Tribus hoc anno ad mensem Majum in Baden Ergoviæ oppido disputationem indicebant, ad quam utriusque partis celebriores Theologi venire rogabantur, sponsione facta, cuicunque plenam agendi dicendique libertatem esse concedendam. Adfuerunt ex Catholicis Joannes Faber, Joannes Eckius, & Thomas Murnerus, unacum Oratoribus, quos Constantiensis, Basileensis, Lausanensis & Curiensis Episcopi, ad quorum Diœceses Helvetiorum Pagi pertinebant, eo ablegarunt. Ex Sacramentariis, seu Zwinglianis interfuere Joannes Oecolampadius, a Zwinglio missus, eoquod ipse nulla fide publica adduci potuisset, ut veniret, variis obtentibus absentiam suam excusans. Præterea advenerant Jacobus Imelius, Bertholdus Hallerus, & Henricus Studerius. Itaque cum his disputatum est ab Eckio

Sæcul. XVI. A. C. 1526.

Cochl. l. cit. pag. 151. Spond. hoc ann. n. 16. Surius in comm.

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

multis omnino diebus, præcipue de Evchariſtiæ Sacramento.

Celeber iſte Doctor ſuam diſputationem ad ſeptem revocavit propoſitiones, quæ erant ſequentes:

I. Verum Chriſti Corpus, ejusque ſanguis præſentia ſunt in Sacramento Altaris.

II. Eadem & vere offeruntur in Sacrificio Miſſæ pro vivis, & defunctis.

III. Virgo Maria, aliique Sancti Cœlicolæ invocandi ſunt tanquam interceſſores.

IV. Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejusque Sanctorum imagines delendæ non ſunt.

V. Poſt hanc vitam purgatorius eſt ignis.

VI. Pueruli etiam Chriſtianorum in peccato originali naſcuntur.

VII. Baptismus Chriſti, non Joannis, tollit originale peccatum.

§. XLVII.

Hujus Conventus Decretum pro Catholicis.

Harum propoſitionum veritatem Eckius ſolidis adeo argumentis comprobabat, ut congregati adverſus Lutheri, & Zwinglii doctrinam decretum ederent, quo interdictum, ne ulla fieret immutatio in Sacrificio Altaris, Sacramentorum

Cochl. l. cit. pag. 153.

rum administratione, cæremoniis, aliisque Ecclesiæ ritibus: Insuper fuit sancitum, in quovis Pago nonnullos esse constituendos, qui unacum Magistratibus, publicisque Curiæ Ministris cum omni cura & sollicitudine invigilent, ut quævis immutatio impediretur, transgressores vero denunciarentur, ac punirentur. Nihilominus contra septem illas Eckii propositiones Zwinglius, qui disputationi interesse non audebat, libellum vulgavit; ex adverso autem Joannes Faber ingentem edidit numerum antilogiarum, quas ex Zwinglii ac Lutheri doctrina deprompserat; pari etiam Religionis studio Murnerus utriusque hæresiarchæ crimina, ac sacrilegia detexit. Idem quoque Faber Oecolampadii libros castigavit, atque ex illis plusquam centum quinquaginta recensuit mendacia. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. XLVIII.

Conditiones pro libertate Galliarum Regis Carolo oblatæ.

Interea Joannes Selva primus Parisiensis Senatus Præses, & Montmorentius Dux nomine Galliarum Regis cum Cattinnario & Antonio de Palmos Cæsaris Oratoribus assidua Madriti habebant colloquia, in quibus de libertate *Memoir. historiq & politiq. de la Maison d' autriche tom. 1. p. 226.*

Sæcul. XVI. A.C. 1526

Franciſci I. ultro citroque agebant. Tandem vero poſt crebras utrinque contentiones de ſequentibus conventum eſt conditionibus. I. Franciſcus Rex omnia ſua jura, titulosque in Mediolanenſem ditionem non minus, quam in Neapolis & Siciliæ Regnum miſſos faciet. II. Borbonio omnes ditiones, & prædia reſtituet, ac damna eidem a tempore ſui e Galliis diſceſſus illata reſarciet. III. Angliæ Regi debitam pecuniarum ſummam ſolvet. IV. Lytrum Cæſari ab ejus Deputatis præſcribendum pro libertate recuperanda pendet. V. Imperatorem cum exercitu terreſtri, ac maritimo ad ſuam coronationem euntem comitabitur.

§. XLIX.

Cæſaris conſenſus in pacem cum Galliarum Rege.

Verum Cæſar hisce conditionibus necdum contentus erat; unde Franciſcus Galliarum Rex diuturnæ captivitatis tædio adactus Selvam Præſidem, ac Montmorencium Ducem die ſecunda Januarii Anno Salutis milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto adeſſe juſſit, dato utrique negotio, ut quovis demum pacto Regis ſui libertatem procurarent, hancque in rem quæcunque peterentur, omni-

omnino concederent. Tanta promittendi facilitas brevi pacis consilia promovit; moxque die decima quarta Februarii celebres illæ pactionis tabulæ, quæ vulgo *Madritensis Tractatus* nuncupantur, utrinque firmatæ fuerunt. Percipiamus præcipuos illius articulos. Sæcul XVI. A.C. 1526.

§. L.

Madritensis pacis Articuli.

I. Perpetua Cæsarem inter & Franciscum erit pax, atque amicitia. II. Eleonora Cæsaris Soror, ac Lusitani Regis vidua Galliarum Regi desponsabitur; ea vero dotis nomine a Cæsare ducenta aureorum millia recipiet, unacum gemmis, totoque mundo muliebri, prout Imperatoris Sororem decet; eidemque pro se, suisque hæredibus duntaxat masculis, qui ex hoc connubio suscipientur, Maconensis, & Antissiodorensis Comitatus præter Barium ad Sequanam adjicientur. III. Educetur Rex e custodia saltem decimo die Mensis Martii, quo idem prope Fontarabiam ad Regnum suum deferetur, eodemque die ac hora, qua Gallias intrabit, ambo Regis Filii in Hispaniam venient, qui Cæsari in obsides dabuntur, vel saltem in locum Henrici Aurelianensis Ducis, qui natu minor erat, duodecim ex

Guicc. l. 16. Bellof. l. 6. cap. 36. Spond ad an. 1526. n. 1.

Sæcul. XVI. A.C.1526.

potentissimis Regni Principibus tradentur, qui ad Cæsaris arbitrium seligendi tamdiu in Hispania obsides hærebunt, donec pacis articuli a Regni ordinibus approbati, atque effectui dati fuerint. IV. Sexta hebdomada post Regis liberationem, ejusque reditum in Gallias, Franciscus Cæsari Burgundiæ Ducatum cedet unacum omnibus, quæ eidem adjacent, vel ab eo dependent, pariter Rex Aussonensem Vicecomitatum & S. Laurentii oppidum, quod superioris Burgundiæ Comitatus pars est, unacum supremo jure, nequidem reservato homagio, Cæsari tradet. V. Rex ob Flandriam & Artheſiam sibi clientelare obsequium a Cæsare præstari haud ultra petet. VI. Cedet omnibus juribus in Neapolin, Mediolanum, Genuam, Astensem comitatum, Tornacum, Sancti Amandi oppidum, Insulas, Duacum, Orchesin, & Hedenam. VII. Procurabit, ut Henricus Albretus Navarræ Regnum Cæsari cedat, si id autem ille recusaverit, Gallus Imperatori totis viribus præsto erit. VIII. Borbonio Duci Franciscus intra quadraginta dies omnia ejus bona ac ditiones plene restituet, idemque præstabit cunctis, qui illius partes secuti fuerunt, concessa insuper omnium injuriarum oblivione, adeo, ut sub quocunque obtentu ob hanc defectio-

fectionem haud amplius inquiri possit, sed illis liberum sit, in Regno vel alibi, prout eis placuerit, quinimo in ipsis etiam Caroli Cæsaris castris permanere. IX. Cæsar ex adverso cedet juribus suis in Pontivensem, Bononiensem, & Guinensem Comitatus, præter Peronnanam, & Montdidierensem urbes, aliosque Picardiæ Principatus. X. Insuper Rex Philiberto Cabillonensi, & Arausico Principi necnon Michaeli Antonio Salutiarum Duci suos cuique Principatus reddet, nullasque suppetias Geldriæ Duci feret, eo autem defuncto nil intentatum relinquet, ut illius ditiones ad Cæsarem devolvantur. XI. Delphinus Mariam Lusitaniæ Principem, Emanuelis Regis ac Eleonoræ filiam ducet, quamprimum ambo ad legitimam ætatem pervenerint. XII. Rex Angliæ Regi quingenta aureorum millia, quæ ei Cæsar debet, persolvet. XIII. Cæsari ad capessendam Imperii coronam in Italiam profecturo Franciscus duodecim triremium, & quatuor majorum navium classem mutuo dabit, & loco terrestris exercitus, quem Rex promisit, ducenta nummum aureorum millia pendet. XIV. Curabit Gallus, ut Delphinus ejus filius hujus fœderis capita rata habeat, quamprimum decimum quartum ætatis annum attigerit. YV. Lytri nomine

Sæcul XVI. A.C.1526.

Sæcul. XVI. A. C. 1526. Franciscus Cæsari vigesies centena millia aureorum numerabit. XVI. Cæsar æque ac Galliarum Rex juncta opera Papam sollicitabunt, ut bellum sacrum adversus Infideles & hæreticos decernat, ad quod ambo Principes terra marique valida suppeditabunt auxilia. XVII. Rex reparabit damna, quæ Margarita Austriaca Belgii Gubernatrix ex eo perpessa est, quod Carolesii Comitatu, aliisque ditionibus, ac juribus frui, eorumque reditus percipere prohibita fuisset.

Quamvis Imperator ingenti polleret prudentia, ac insuper Galliarum Regis captivitatem in rem suam vertendi desiderio flagraret, nihilominus non sine magna totius Europæ admiratione in eadem occasione parum propriæ suæ utilitati prospexit; si enim præprimis primus hujus fœderis articulus de libertate Regi reddenda effectui daretur, qua ratione ceterorum executionem sperare poterat? Hanc ob rem Cattinarius Cæsaris Cancellarius hæc pacta omnino rejecit, nec ullatenus suo chirographo firmare voluit, Carolo significans, hoc pactum nec honestum nec utile esse, eoquod Galliarum Rex libertatem suam pretio emere compelleretur, & ad persolvendam pactorum fidem nulla idonea cautio fuisset adhibita. Cum igitur Impera-

perator Cattinarii repugnantiam indignaretur, ille Cæsari sigilla Imperii restituit, asserens, quod ipsus, si sibi bene visum fuerit, pacis tabulas firmaret. Cæsar accepto sigillo fœderi subscripsit, ipsumque Cattinarium jussit, ut denuo sigilla reciperet, cui tamen mandato ipse nonnisi ægerrime aquievit. Sæcul. XVI. A.C.1526.

§. LI.

Colloquium Cæsaris cum Galliarum Rege ante ejus discessum.

Altera post firmatum fœdus die Neapolis Prorex nonnisi obsoletam vestem induit, ac Francisci Regis cubile ingressus dixit, se nomine Cæsaris adesse; sibi enim Procuratoris munus esse demandatum, ut sponsalia Regem inter & Eleonoram Lusitani Regis viduam celebraret. Annuit Franciscus, licet ægerrime ferret, quod per Procuratorem hæc solemnia peragere cogeretur, cum tamen Eleonora Madrito nonnisi quartam aut forte quintam leucam distaret. Nihilominus decima septima ejusdem mensis ipse Imperator Regem ad futuram Sponsam suam conduxit, eumque Alarconi Præfecto tradidit, ut illum rursus ad Madritensem arcem reduceret; quo facto Rex vigesima prima ejusdem mensis inde abiit. Ipsa discessus sui die Cæsar *Ant. de Vera hist de Charl. V. pag. 121. Guicc. l. 16. Belcar. l. 18.*

Sæcul XVI. A.C. 1526

sar Regem paululum Madritum versus comitabatur, ac demum valere jussum sic alloquebatur: „ Non me latent in„gentia mala, quæ per nostra dissidia „Christianæ Religioni, nostrisque Reg„nis intulimus, minus vero ignoro, „quantum nobis interfit pacem redinte„grare, quocirca te rogo, libere enun„ties, an datam promissi fidem violare „mediteris; ego enim fidem meam tibi „obstringo, atque juro, me constituisse „animo, quod tibi cum propriæ etiam „utilitatis meæ dispendio libertatem „reddere paratus sim. „ Ad hæc reposuit Rex: „ Firmum fixumque mihi est, „me Cæsareæ Majestatis tuæ amicum, „fratremque fore, atque integra fide „conventa adimpleturum. „ His dictis simul crucem, quæ in colloquii loco reposita erat, veiut sinceræ fidei suæ testem arripuit. Quo facto respondit Cæsar: „ Dictis tuis equidem assentior, si „tamen pacta violare præsumpseris, uni„verso orbi manifestum faciam, te per „summum nefas dolose egisse. „ His ita conventis ambo colloquium solverunt.

§. LII.

Franciscus I. a captivitate redux, ambo ejus Filii obsidum loco relicti.

Mem. du Bellai l. 3.

Postquam Galliarum Rex ad Regni sui fines pervenerat, ibidem ambos filios

lios suos habuit obvios, qui eodem, quo Pater libertati redditus est, tempore Hispanis traditi fuere.

Sæcul. XVI. A C 1526.

Belcar. l. 18. Belleforest. l. 6. c. 36. Spon. ad an. 1526. n. 2.

§. LIII.

Rex Madritense pactum firmare a Lanoyo rogatus.

Vix Franciscus Regni sui limina attigerat, cum illico Turcico vectus equo ad Luisium urbem tanta festinatione contenderet, ut altera jam die Bajonam intraret, ubi Regina obviam facta redeuntem cum tota Curia præstolabatur. Postea Regem Bajonam delatum Lanoyus Cæsaris legatus, atque itineris socius sollicitabat, ut juxta promissi fidem Madritense pactum firmaret; verum reposuit Rex, se hoc fœdus ineundo rem attentasse, quæ Galliarum Regis potestatem excederet: cessisse quidem Cæsari Burgundiæ Ducatum, sed hujus articuli executionem sine strepitu esse urgendam, ac præprimis Burgundionum consensum, ac ceterorum subditorum approbationem omni studio impetrandam; se quidem animo constituisse, conventa exequi, ad id vero brevem temporis moram sibi fore necessariam.

Mem. du Bellai l. 3.

Lano-

Sæc. XVI. A. C. 156.

Lanoyus post aliquot dierum inducias rursus Regem ad liberandam fidem incitabat, qui tamen eidem denuo respondit, Burgundiam cedere in ejus potestate repositum haud fuisse; Franciæ enim Regibus, non nisi jus ditionibus suis utendi fruendique concedi, proin quamdam illarum partem alienare sibi haud integrum fuisse; id enim in ipsa inauguratione se solemni juramento spopondisse, atque ideo jusjurandum, quo Madriti fidem suam obstrinxisset, nullum esse. Ast Lanoyus Regi hæc verba reposuit: „Equidem nullam di-„ tionum tuarum partem alienare te „ posse asseris, verum id minime intel-„ ligas de injuste partis, scilicet de Bur-„ gundiæ Ducatu, nec ullatenus vim „ tibi illatam fuisse conqueri potes; liberum enim tibi fuit in Hispaniis, quo te adversa belli fortuna deduxit, permanere, cum vero inde pactis conditionibus excessisti, haud amplius in tuo arbitrio positum est, aut datam fidem frangere, aut exsolvere, denique juramentum, quod in tua inauguratione præstitisti, haud ignorare poteras, qua igitur ratione te datæ fidei minime defuturum, Madriti jurato spondere potuisti? nonne certo certius primum jusjurandum alteri haud contrarium fore ipsus censuisti? Attamen Galliarum Rex,

Rex, cum promissa eludere constitutum haberet, cunctis hisce rationibus parum movebatur (*). Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. LIV.

(*) Utrum Franciscus I. Galliarum Rex fidem datam, ac sæpius solemni etiam juramento firmatam violaverit, varia est Historicorum sententia, hos inter Heuterus lib. IX. c. V. Franciscus Zypaeus quidem *in Hiatu Jacobo Cassano obstructo*, malam ideo Francisci fidem oppugnat. Ast, bonam ipsius fidem defendere conatur David Blondellus in præfatione Apologetica, putans Franciscum hæc inter vincula promisisse, nihil autem consensui tam contrarium esse, quam vim & metum, maxime cum Franciscus in Captivitate de conditionum iniquitate sæpius fuisset conquestus. Defendit eum etiam Franciscus Belcarius rer. Gall. lib. XVIII. p. 573. Rationes vero Regis conjunxit Guicciardinus *lib.* XVII. *p.* 622. dicens: *Propterea quod & primo cum in Picigithonis arce esset, & post in Hispania in Madritiensi arce, sæpius Cæsari ipsius petitionum iniquitate perspecta, se, si necessitate impulsus, legibus aut iniquis aut quas servare in potestate sua non esset, sederet, non modo eas non servaturum, verum etiam quod iniqua & quæ præstare non posset, promissa a se extorsisset, sibi in eo injuriam factam ducens, si quando occasio daretur eam ulturum, esset attestatus: neque etiam id*

sæpius

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. LIV.

Pontificis, Venetorum, ac Mediolanensis Ducis Legatio ad Regem.

Guicc. l. 17. His peractis Franciscus Bajonna profectus, Burdigalam venit, ingenti pompa receptus; inde vero Conacum natale

---

sæpius reticuisse: quod ipsi per se scire poterant, & quod aliis quoque regnis commune esse censebat, nempe minime in Galliæ regis potestate esse, absque regni communium consensu se ad quidquam ex iis, quæ ad regni corpus spectarent, alienandum obligare: Christianorum vero leges, ut is, qui in bello captus esset, in sempiternis vinculis custodiaque detineretur; non permittere: quod ea ad nefariorum hominum pœnas, non autem ad eorum, qui fortunæ acerbitate afflicti essent supplicium, esset inventa: quæ vi a captivis promittcrentur, nullam vim habere omnibus notum esse: cumque compositio irrita esset, nec fidem suam, quæ ad eam confirmandam accersisset, obstrictam esse. Jusjurandum Remis, quum Reges tanta cum ceremonia & cœlesti oleo consecrantur datum, quo se regni patrimonium non minuturos spondent, antiquius esse: has ob causas se ad Cæsaris insolentiam cohibendam, non minus liberum quam para-

natale ſolum contendit, ubi Pontificis, Venetorum, Ducisque Mediolanenſis Legatos, qui libertatem recuperatam gratulatum advenerat, excepit, atque cum eis adverſus Cæſarem die vigeſima ſecunda Maji armorum ſocietatem iniit. Promulgabatur Fœdus Connaci die undecima

Sæc. XVI. A.C. 1526.

paratum eſſe. Sic etiam in Goldaſti *Polit. Imper.* reperiuntur *pag.* 863. Acta pro & contra conventionem Madritanam & in Stat. ac Reſcriptis Imp. *Tom.* I. *pag.* 104. Hottomannus *quæſt. illuſtr.* VII. Strauch *Diſſ. Exot.* I. §. XI. Adde Jo. Chriſtian Schellen *diſſert. de Franciſco I. Gallorum Rege pacta cum Carolo V. Imper. ob redimendam captivitatem inita adſpernante, Lipſiæ* 1697. & potiſſimum Gundlingium *de efficientia metus cap. II. §. XXIV.* L. B. de Danckelmann *de Pactis & Mandatis Principis captivi §. XXXIII.* qui Franciſcum omnino fidem fregiſſe, demonſtrat, atque dum promiſſa adimplere ipſi non licuiſſet, ad redeundum in Hiſpaniam fuiſſe obligatum, declarat. Sequitur Joan. Chriſtophorus Roehring, qui ex natura pactorum demonſtrat, Franciſcum I. Galliarum Regem ob jusjurandum Carolo V. Imper. haud ſervatum, perjurum cenſeri debere, qui etiam ad argumenta contrariorum reſpondet, *Wittebergæ* 1726.

Sæc. XVI. A.C. 1526.

decima Junii, ejusque finis erat, ut Franciscus Sfortia in Mediolanensem Ducatum reponatur, atque Italiæ libertas reddatur. Hisce pactis speciosum *sacri fœderis* nomen indiderant, eoquod illius Princeps esset summus Pontifex, quamvis & ipsi quoque Helvetii ac Florentini accessissent.

§. LV.

Societatis Connaci contra Cæsarem initæ articuli.

His porro legibus sancitum est fœdus. I. Fœderati communibus expensis exercitum terra marique conscribant, nimirum, triginta millia peditum, mille quingentos cataphractos, ac tria levioris armaturæ equitum millia, præter necessaria belli tormenta, omnemque validæ classis apparatum. II. Ex iisdem pactis Galliarum Rex prætensum jus suum in Mediolanensem Ducatum in Franciscum Sfortiam transferat, Gallo autem pensio annua solvatur a Pontifice & Venetis præscribenda, dummodo quinquaginta Ducatorum millia non excedat. III. Restituatur Francisco Comitatus Astensis, necnon Genuensis Principatus, adjecto Ducis titulo, Antonio tamen Adornio Ducis auctoritas sarta atque intacta servetur. IV. Neapolis

polis Regnum Pontifici reddatur, ipse tamen Regi quotannis sexaginta aureorum millia redditus nomine pendat. V. Medicæi cum omnibus juribus, ac privilegiis suis in Florentino statu permaneant. VI. Tradatur Angliæ Regi in Neapolis Regno quoddam prædium, quod præter Ducatus aut Principatus titulum triginta aureorum millium reditus adæquet, Cardinalis vero Volsæus aliud castrum pro se, suisque successoribus unacum decem nummum aureorum millium proventibus acquirat. VII. Mediolani Dux quamdam Regii sanguinis Principem juxta Pontificis arbitrium uxorem ducat. VIII. Helvetii ad tuendum Mediolani Ducatum inducantur. IX. Protinus ex hac natione copiæ conducantur, hancque in rem Rex apud Helveticas Tribus suam interponat auctoritatem. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. LVI.

Libellus supplex ad Regem contra Madritense Fœdus.

Cum illi, quos Burgundiæ Ordines ablegabant, haud parum pertimescerent, ne Madritensis fœderis articulus de cedenda Burgundia ipsis invitis effectui daretur, libellum supplicem Francisco Regi porrexerunt in hanc sententiam: *Guicc. l. 17. Mem du Bellai l. 3. Belcar. l. 18.*

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

tentiam: „ Nunquam permittemus, ut „ exteri Principis dominio ſubjiciamur; „ ſi vero Franciæ hoſtibus tradamur, „ ipſimet libertatem noſtram tuebimur, „ potius mortem oppetere quam cede- „ re parati; optimatibus enim Conna- „ ci una congregatis videtur Madritenſe „ fœdus violentum, vi metuque ex- „ tortum, necnon iniquis conditionibus „ refertum, eoquod Rex tunc necdum „ libertati redditus eſſet, proin hæc pa- „ cta nulla ſunt, ſique Regia ſua Ma- „ jeſtas illa ultro exequi vellet, id jure „ haud poſſet; obſtant enim principa- „ les Regni Regumque Franciæ leges, „ quæ ad coronam pertinentia alienari „ prohibent; cum igitur Rex a ſuis „ Prædeceſſoribus Monarchiam rece- „ piſſet integram, ſuis ſucceſſoribus „ eandem mutilam relinquere haud „ valet. „

Lanoyus comperto Burgundionum conſilio Regem adiit, eundemque ultima tandem vice ſollicitavit, ut Madritenſe fœdus ſervaret, ſi vero liberum ſub conditione, cui ſtare non poſſet, ſe dimiſſum cauſſaretur, ipſe in captivitatem rediret, quod & poſſet, necnon jurejurando ſe facturum ſpopondiſſet. Hanc in rem Lanoyus allegabat Joannis Galliarum Regis exemplum, qui

ab

ab Anglis captus, quamvis Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo liber eſſet dimiſſus, tertio tamen poſt anno in captivitatem rediit, ut interea Bretiniacenſis pacti fides integre exſolveretur; hic idem ſuis Proceribus, qui rem diſſuadere conabantur, repoſuit: „ Etſi promiſſi fides toto e-„ tiam orbe exularet, ſemper tamen in „ ore Regum ſuam ſedem, ut habeat, „ oportet; cum ergo libertatem meam „ ab Anglorum Rege non aliter quam „ ſub conditione pacti integre adimple-„ ti obtinuerim, cum diſpendio etiam „ proprii mei honoris, bonorumque pro-„ miſſis ſtare cupio. „ Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. LVII.

Reſponſum Regis ad Neapolis Proregem.

Nihilominus Franciſcus Rex Lanoyo reſpondens ſciſcitabatur ab eo, num homo debilis, vinctus, atque incluſus, ſi ab alio potenti ac valido viro ad tradendam crumenam ſtricto enſe adigeretur, ſalva Religione quæcunque demum media arripere poſſet, ut ablatum recuperaret? mox vero Rex nequidem exſpectato Lanonyi reſponſo ita proſecutus eſt, „ me inter & Joannem Re-„ gem ingens intercedit diſcrimen; hic

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

„ enim ab Eduardo hujus nominis ter-
„ tio Angliæ Rege semper summis, ut
„ Regem decet, honoribus fuit excep-
„ ptus, Carolus vero Imperator me a-
„ cerbius, quam privatum Nobilem ha-
„ buit (*), ut autem Cæsar me ejus a-
„ micitiam exoptare cognoscat, loco
„ Burgundici Status vigesies centena
„ aureorum millia offero, ceterosque
„ fœderis articulos exacte me adimple-
„ turum spondeo, ea tamen lege, ut
„ ambo Filii mei Delphinus, & Aure-
„ lianensis Dux liberi dimittantur. „

Ut ea, quæ Franciscus promiserat, Cæsari proponerent, in se suscepérunt Franciæ, ac Venetiarum Legati, qui eo tempore in Caroli aula agebant. Ast Imperator a Gallis adeo turpiter se illudi vehementer indignatus, arrogantius respondit: „ Haud parum vestram
„ demiramur temeritatem, qua nobis
„ talia proponere præsumitis; ambos
„ hosce Principes nunquam libertati
„ restituemus, nisi prius ipsemet Rex in
„ captivitatem redeat, vos vero, si eun-
„ dem ad hoc adstringi haud posse ar-
„ bitramini, aula nostra excedere pote-
„ ritis. „

Igitur

(*) Vide lib. CXXIX. §. XCI., p. 540. & 563.

Igitur Lanoyus, cum Galliarum Re- Sæcul. XVI.
gem ad ſervandam fidem inducere de- A. C. 1526.
ſperaret, regno exceſſit, Neapolin reverſurus. Ipſe etiam Arauſius Princeps, poſtquam jamjam ad confinia Regni proceſſerat, ut Burgundici Ducatus poſſeſſionem acciperet, inde ad inferioris Burgundiæ Comitatum contendit. Nihilominus Cæſar animum minime deſpondens, firmum fixumque habuit, quod nullam omnino mutationem in Madritenſi tractatu admittere vellet; quocirca Guaſtæ ſeu Vaſtio Marchioni, necnon Antonio de Leva, quem exercitus ſui Ducem nominabat, in mandatis dedit, ut arcis Mediolanenſis obſidionem proſequerentur.

§. LVIII.

Pontificis, Venetorumque copiæ in aciem eductæ.

Ex altera vero parte ſummus Pontifex, Venetique Gallorum, atque Anglorum auxiliis confiſi copias ſuas in aciem eduxerunt, exercitus imperio Urbinatum Duci demandato. Franciſcus autem Franciæ Rex copias ſuas, quas in Italia alebat, commiſit Salutiarum Marchioni, qui cum quadringentis Cataphractis, quatuor Vaſconum peditum millibus, ac quingentis levioris ar-

Sæcul. XVI. A.C 1526 maturæ equitibus seſe Fœderatis jungebat, quibus etiam decem Helvetiorum millia acceſſere.

§. LIX.

Franciſcus Sfortia ad deditionem Mediolanenſis arcis a Borbonio Duce compulſus.

Guicc. l. 17. Haud ignorabant Veneti, maximi omnino momenti rem eſſe, ut Cæſar ab arcis Mediolanenſis expugnatione præpediretur, quocirca Urbinatis Ducem trajecto Abduo flumine cum ſex peditum millibus, ac nonnullis equitum centuriis eo contendere jufferunt. Præterea ſummus Pontifex Guidoni Rangonio negotium dedit, ut totidem pedites Placentinæ urbi admoveret; opportune etiam, clam tamen, nonnullæ Helvetiorum copiæ conſcribebantur, quæ nulla nationis ſuæ vexilla præſeferebant; id enim moris habebant, quoties absque Magiſtratuum ſuorum auctoritate conducebantur. Equidem Urbinatis Dux Laudam urbem dolo ceperat, nec tamen Mediolanenſi arci ſuppetias ferre audebat, viribus ſuis diffiſus: penetrabat etiam Salutiarum Marchionis exercitus Pedemontium usque, nihilominus vani erant omnes horum conatus; Dux enim Mediolanenſis deditionis

tionis pacta inire, arcemque Borbonio Duci die vigesima quarta Julii cedere compellebatur. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. LX.

Concordia Pontificis cum Columnensibus.

Præterca duo sat funesti eventus fœderatorum consilia vix non penitus evertebant. Primo enim Columnenses in Romana urbe tumultus suscitabant, eo tempore, quo summus Pontifex nihilo minus suspicabatur; redierat enim Clemens Papa cum illis in gratiam, pacis conciliatore Hugone Moncada, qui Proregis Neapolitani vices in regno agebat; hujus igitur opera annuit Pontifex, ut Vespasianus Columna Prosperi filius, ac hujus familiæ caput, cum illius probitas esset perspecta, ad reddendam concordiam Romam veniret. Firmantur die vigesima secunda Augusti pacis fœdera, hisce legibus. I. Columnensium fautores Anagnia urbe, aliisque arcibus a se occupatis excedent. II. Eorum copiæ ab Ecclesiæ ditionibus revocabuntur, eis tamen liberum erit, in Neapolis Regno Cæsaris vexilla sequi; III. adimpletis hisce conditionibus Columnenses bonis suis tranquille

Sæcul. XVI. A.C 1526.

fruantur, eosque ſummus Pontifex adverſus Urſinos tuebitur.

§. LXI.

Columnenſium perfidia adverſus Papam.

Inſuperhabita hac conventione Veſpaſianus evoluto circiter Menſe ſecreta cum Moncada fovit conſilia, conſenſitque, ut Pompejus Columna ejusdem Patruelis die decima nona, aut forte vigeſima Septembris noctu cum octingentis equitibus, ac tribus peditum millibus urbi appropinquaret; eadem igitur die Cæſar Philletinus, Columnenſium familiæ addictiſſimus, qui hiſce copiis præerat, tres urbis portas occupavit. Hujus perfidiæ fama primum ad ſummi Pontificis aures delata eſt, cum per quemdam Prælatum edoceretur, quod jamjam Columnenſium copiæ Romanam urbem infeſtis armis invaſiſſent, eisque Vaticani porta fuiſſet aperta. In hiſce rerum anguſtiis Papa nil reliquum habebat, quam ut ad arcem S. Angeli ſeſe reciperet, quam nonniſi ægerrime attigerat, Columnenſibus illum ingenti furore inſequentibus.

Spond. ad ann. 1526. *n.* 7.

§. LXII.

Sæcul. XVI. A. C. 1526.

§. LXII.

Papa inducias cum Cæsare paciſci, a Moncada compulſus.

Aſt Pontificis ſecuritati hac in ipſa arce parum erat conſultum: ea enim neceſſario ad ſuſtinendam obſidionem apparatu carebat; quocirca Moncada Clementem adiit, eique imminens periculum, urbisque Romanæ deprædationem proxime futuram expoſuit, ſimulque auctor extitit, ut quadrimeſtres inducias ſolus cum Cæſare paciſceretur, data tamen Fœderatis copia huic ſocietati intra bimeſtre accedendi, ſi ipſis bene viſum fuerit. Induciis utrinque firmatis, Pontificis copiæ, quibus Urbinatis Dux imperabat, Romam revocatæ fuerunt. Facta eſt hæc exercitus diminutio iniquiſſimo Fœderatorum tempore, utpote qui tum duplo majori militum numero ad exequenda eorum conſilia indiguiſſent; unde fatalis ille eventus præprimis eorum ruinam promoverat.

§. LXIII.

Cæſaris exercitus a Fronsbergio quatuordecim Germanorum peditum millibus auctus.

Ultimam vero manum eorum excidio

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

dio admovit Georgii Fronsbergii adventus. Hic proprio ære in Germania quatuordecim peditum millia conscripsit, ut Casparum Filium suum liberaret, qui Patrem summis precibus exorabat, ut pro ejus libertate extremos adhiberet conatus, cum alioquin abs dubio hostium suorum victima caderet. Guicc. l. 17. Hisce copiis, quibus Archidux quasdam peditum centurias adjunxerat, Fronsbergius auctus, Tridentinas alpes superabat, ac nequicquam obluctantibus Venetis usque ad Mantuanam ditionem penetrabat. Tentabat quoque Joannes Medicæus hisce suppetiis iter occludere, ignarus, Germanos belli tormentis esse instructos, cum vero propius hosti accederet, minoris tormenti globo supra genu saucius recessit; postmodum abscisso etiam crure, ac nihilominus malo indies ingravescente, octavo post die animam reddidit, nonnisi viginti sex annos natus. Interea Fronsbergius Mantuam veniens, Borbonii Ducem præstolabatur, cujus copiæ eo accedere jubebantur; cum vero illæ æs militare sibi nondum solutum quererentur, nullatenus Mediolano exire statuebant, nisi prius ea, quæ ipsis deberentur, integre fuissent persoluta. Ut ergo horum animi placarentur, Borbonius ex Ecclesiis vasa argentea diripuit, ut inde militibus suis

ſuis debiti ſtipendii partem numeraret. Ad augendum vero proprium ſuum ærarium in Moronum Cancellarium mortis ſententiam pronunciari juſſit, qui ut vitam ſuam redimeret, Borbonio viginti quinque nummum aureorum millia obtulit. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. LXIV.

Simulatum Pontificis iter in Hiſpaniam.

Ceterum Franciſci Regis cunctatio ingenti admiratione ſummum Pontificem afficiebat, eo potiſſimum nomine, quod Galliarum Rex, licet ipſe præcipuus conflati fœderis auctor eſſet, nullum adhuc conatum adhibuiſſet, quo Cæſarem ad reddendos Regis Filios compelleret. Nec minus rara Pontifici videbatur Angliæ Regis incuria; quod enim ambo Reges Cæſarem conjunctis viribus aggreſſuri eſſent, firmiter ſibi perſuaſum habebat; ignorabat enim, quod Moorenſe fœdus duntaxat ad repellenda, non item ad inferenda arma concluſum fuiſſet; ut igitur æmulatione inter eos conflata illorum animos accenderet, divulgabat, ſe iter in Hiſpaniam decreviſſe, ut cum Cæſare conferret, junctisque conſiliis de pace Europæ reddenda cum eo agere poſſet. Hæc

Papæ

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

Papæ declaratio non parum Franciæ, & Angliæ Legatos angebat; verebantur enim, ne itineris tam insoliti obtentu clandestina tegerentur consilia; quapropter nihil non agebant, ut Pontificem a proposito dimoverent, eique periculum exponerent, quod abs dubio immineret, si relicta Romana urbe sese Cæsaris arbitrio relinqueret.

§. LXV.

Papa rescissis concordiæ pactis Columnensium perfidiam ultus.

Interea Henricus VIII, ut prætensi itineris consilium penitus everteret, potentiori usus medio, Pontifici triginta nummum aureorum millia dono dedit. Clemens hoc subsidio fultus, nova susceptit consilia, ac concordiæ pacta, quæ cum Columnensibus inierat, rescidit, & nuperam illorum perfidiam anathematis pœna mulctavit; postea vero copias, quas Roma evocaverat, ad eorum ditiones prædatum excurrere jussit, necnon Pompejum Columnam Cardinalitia dignitate exuit. Paulopost duodeviginti millium exercitum contraxit, ejusque imperium Valdemontio Comiti comisit, dato negotio, ut Neapolitani Regni finibus appropinquaret, atque Angevinæ factionis reliquias rursum

sum instauraret: Verum Germanorum militum, quos Fronsbergius adduxerat, adventus hæc quoque consilia disjecit. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

Comperto enim horum itinere, Urbinatis Dux, qui Borbonium Mediolani cinctum tenebat, loca huic urbi vicina reliquit, caussatus, velle se Germanis iter occludere: Ducis tamen solertia nequaquam Pontificis metum minuebat; eoquod induciæ brevi finirentur, ac Fronsbergius magnis itineribus Italiæ appropinquaret, ac ipse quoque Neapolis Prorex jamjam in Insula Corsicana appulsus, validas Hispanorum suppetias Neapolin deferret. Nihilominus Galliarum Rex nihil interim eorum, quæ ad firmandas fœderati exercitus vires necessaria fuissent, parabat, nec etiam Anglorum Rex majorem belli ardorem præseferebat; quapropter Fronsbergius iter suum strenue prosequebatur, eodemque tempore copias suas Placentinæ ditioni admovere, a Borbonio Duce rogabatur, eo consilio, ut ambo junctis viribus Placentiam vi obruerent. Verum Salutiarum Marchio utriusque consilia evertit: nihil inde tamen Fronsbergius animo fractus, Burgum-Fortem usque processit, unde primo Padum die vigesima octava Novembris prope Hostiliæ pontem, ac demum Secciam flumen trajecit, cujus transitum

Sæc. XVI. A. C. 1526.

tum Urbinatis Dux non modo non prohibuit, sed ipsus etiam inde secessit; quocirca Fronsbergius nemine obluctante ad Mediolanensium ditionem propius accedens, terrorem ubique diffudit, denique Mense Decembri ad finem vergente hujus Ducatus fines ingressus, ibidem Borbonii Ducem proxime accessurum præstolatus est.

§. LXVI.

Lusitaniæ Regis filia Cæsari nupta.

Dum Italia his interim tumultibus agitabatur, Imperator Procuratoris sui ministerio usus, Ulyssipone Isabellam Emanuelis Lusitaniæ Regis Filiam uxorem duxit; cum vero præsens rerum vicissitudo promptam hujus connubii executionem suaderet, Carolus Sponsam peractis mox hisce solemnibus in Hispaniam duci jussit. Igitur illa Mense Februario Ulyssiponensi portu solvit, comitantibus eam utroque Principe Ludovico, & Ferdinando ejus fratribus, qui unacum pluribus primæ Nobilitatis Lusitanæ Viris ad Castellæ fines processerant; sequebantur eos itidem Ulyssiponensis Archiepiscopus, necnon duo regni Proceres. Obvios misit Cæsar Toletanum Archipræsulem, Calabriæ

Ant. de Vera hist. de Charl. V. p. 128. & 129.

Sleidan. in comm. l. 6. p. 172.

briæ, & Beiaræ Duces, præter centum Nobiles. Concurrebant quoque tam Cæſaris quam Regis Legati in utriusque Regni finibus, ubi Ludovicus Sororem ſuam Archiepiſcopo, atque ambobus Ducibus conſignavit, his verbis uſus: *Nomine Luſitaniæ Regis Domini ac Patris mei trado vobis Imperatricem Sororem meam.* Dum hæc agebantur ſolemnia, Imperatrix equo inſidebat, ceteris omnibus penes illam ſtantibus; ambo autem ejus Fratres ex utroque latere equi frænum tenebant. Abſoluto Ludovici ſermone ambo Calabriæ & Beiaræ Duces Imperatricis equum loris trahentes Ludovico reſpondebant hunc in modum: *Recipimus Cæſaream Majeſtatem tuam nomine Imperatoris Domini noſtri.* Sæcul. XVI. A.C 1526.

§. LXVII.

Sponſæ adventus in Hiſpaniis, ejusque colloquium cum Cæſare.

His ita peractis Imperatrix inde profecta Hiſpalim pervenit, ubi Cæſar adventantem præſtolabatur, comitantibus illum ſexaginta Hiſpaniæ Proceribus, octo Epiſcopis præter plusquam trecentos primæ Nobilitatis Viros. Præceſſerat biduo ante Joanna illius Mater, quam quadraginta Nobiles Matro- *Ant. Vera l. cit. p. 129.*

Sæc. XVI. A.C.1526

næ comitabantur; Cæsar vero, ubi Imperatricem Sponsam suam propius accedere edocebatur, sex omnino leucas cum tota sua Curia obviam processit, ac denique ambo simul Hispalim contenderunt.

§. LXVIII.

Recens electus Saxoniæ Elector Lutheri sectam publice professus.

Paulo post lætitiam, qua Cæsar inde perfundebatur, funestus admodum nuncius turbabat; significabatur enim, quod Saxoniæ Elector nuper electus Lutheranæ sectæ nomen dedisset. Vocabatur is Joannes defuncti Electoris frater, quem Lutherus adeo dextre ad sua pertraxit studia, ut in hujus Hæresiarchæ manibus perversi dogmatis professionem palam emittere non dubitaret; imo nec his contentus, commentitiam reformationem publice ac libere prædicari jussit, Pontificis auctoritatem in omnibus suis ditionibus omnino proscripsit, cunctaque Monachorum instituta suppressit, ac denique Ecclesiarum reditus abstulit, mediamque illarum partem privato suo usui, quartam vero Nosocomiorum impendiis, atque

atque aliam quartam partem Miniſtrorum ſuſtentationi adjudicavit. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. LXIX.

Philippus Haſſiæ Landgravius Lutheri hæreſin amplexus.

Eodem anno Lutherus ſibi conciliabat Philippum hujus nominis primum inter ſectæ hujus fautores longe zeloſiſſimum juxta ac potentiſſimum. Is cognomento *magnanimus* peracto Suevicorum Ruſticorum bello in omnia Haſſicæ domus bona ſucceſſit, cui Saxoniæ Elector, intimus illius amicus, auctor extitit, ut Lutheri ſectæ nomen daret; ceſſit ille Electoris ſollicitationi, quamvis Georgius Saxoniæ Dux ejus Socer, necnon Landgravia nomine Anna Megalopolis Duciſſa illius Mater nil intentatum relinquerent, ut eum a perverſo hoc conſilio abſterrerent. *Cochl. in actis & ſcript. Lutheri ann. 1526. p. 147.*

§. LXX.

Spirenſis conventus initia.

Cum comitia, quæ primo Auguſtæ, dein Spiræ indicta fuere, prima die Maji, ut inter Principes conventum erat, celebrari haud poſſent, illa ad vigeſimam quintam Junii diem hujus anni ſupra milleſimum quingenteſimi vigeſimi ſexti remittebantur.

Sæcul. XVI. A. C. 1526.

§. LXXI.

Negotia nomine Cæsaris ibidem proposita.

Spond. ad an. 1526. n. 5. & 15.
Sleid. l. 6.
Pontan. l. 2.

Præstituta die, cunctisque Legatis illuc advenientibus, præprimis articuli, de quibus agendum, proponebantur. „ Ex mente Cæsareæ Majestatis „ suæ, inquiebat quidam Cæsaris Le„ gatus, præcipue huc convenimus, ut „ pro tuenda Religione Catholica, nec„ non pro conservanda veteri Ecclesiæ „ disciplina per traditionem recepta „ junctis viribus opportuna inquirantur „ media, simulque pœnæ decernantur „ in eos, qui transgressores reperientur; „ ac denique Wormatiense edictum ef„ fectui dari volumus. „ Ergo hanc in rem nominantur Deputati, qui super hisce articulis deliberarent; verum ex illis ferme omnes Lutheri sectæ addicti seligebantur; prævalebat enim eorum factio; inter hos quoque numerabatur Hassiæ Landgravius præter Sturmium, & Cressium, quorum prior Argentinensium, alter Norimbergensium Oratores erant. Cum vero congregati in diversas abirent sententias, Cæsarisque Ministri non abs re pertimescerent, ne quid Wormatiensi edicto adversum statueretur, hinc nihil non agebant, ut cunctorum

rum animi unirentur; quocirca die ter- Sæcul. XVI.
tia Auguſti Imperatoris epiſtolam Hi- A.C. 1526.
ſpali die vigeſima tertia Martii datam exhibuere, in qua ſignificabat Carolus, *ſe Italiam quamprimum coronæ Imperialis ſuſcipiendæ cauſſa aditurum, atque illic acturum cum Pontifice de convocanda Synodo. Interea nihil innovandum in Comitiis adverſus antiquam Eccleſiæ diſciplinam, ſed cuncta eſſe agenda ex præſcripto Wormatienſis edicti, atque expectandum colloquii ſucceſſum cum Papa de celebrando Concilio.*

§. LXXII.

Deputatorum reſponſum.

Ad hæc urbium Superioris Germaniæ Deputati, aliique reſponderunt: *Apud. Goldſt. tom. 1. Conſt. imper.*

„ Obtemperabimus Cæſari, quantum
„ æquitas patitur, cum vero Religionis
„ controverſiæ in dies creſcant, præci-
„ pue circa ritus & diſciplinæ abuſus,
„ hodierno tempore magis quam un-
„ quam difficile eſt Wormatienſis edi-
„ cti executionem urgere, niſi quis ſe
„ ſeditionis periculo exponere velit;
„ hæc jam in prioribus comitiis Lega-
„ to fuere expoſita, imo nec ipſe Cæſar
„ ea inficias iret, ſi præſentis temporis
„ conditionem perſpectam haberet: e-
„ quidem haud exigua futuri Concilii
„ ſpes ſupererat, quando Papam inter

Sæc. XVI. A.C. 1526.

„ & Cæsarem arctior adhuc vigebat a-
„ micitia, nunc vero cum hi inter se col-
„ liduntur, penitus præcisa est hæc spes,
„ hinc consultius fore censemus, si ad
„ Cæsarem nonnulli ablegentur, qui
„ eundem de præsenti Germaniæ statu
„ edocerent, eique periculum expone-
„ rent, in quod Imperium conjecturus
„ esset, si Wormatiensis edicti execu-
„ tioni insistere vellet; hi insuper Im-
„ peratorem rogarent, quatenus Natio-
„ nale Concilium congregare permit-
„ teret, ut hac via dissidia tolli, malis-
„ que Germaniæ impendentibus reme-
„ dium objici possit. „

§. LXXIII.

Saxoniæ Electoris, necnon Hassiæ Landgravii postulata in comitiis.

Altera die Saxoniæ Elector, & Hassiæ Landgravius postulabant. *I. Mendicantium Monachorum invalescere Ordines, salutari proin remedio obstandum, ne ad posteros ejusmodi sodalitia propagentur: liceret etiam illis ad aliud vitæ genus transire. II. Minus æquum esse, ut vectigalibus omnino Ecclesiastici non tenerentur, eorum igitur privilegiis derogandum. III. Ridiculum videri ciborum delectum. IV. Cuilibet liberum sit ritus sequi, quos velit; tolere-*

toleretur etiam in omnibus locis Evangelicæ doctrinæ prædicatio. Addebant insuper ambo Principes, ipsis omnino denegari non posse templum, in quo suis sacris & Concionibus uti libere valeant. Attamen ceteri in Comitiis congregati eos ad Episcopum Spirensem, qui ex Palatina domo erat, remittebant, is tamen illorum postulatis cedere renuebat. Hi repulsam indignati jusserunt Concionatores suos, ut in atriis ædium suarum publice ad populum dicerent, ac Sacris juxta Lutheranorum ritum operarentur. Ingens erat ad ejusmodi sermones populi concursus; confluebant enim Catholici rei novitate pellecti, Lutherani vero sectam profitendi studio animati. Nec ipse Magistratus novis ejusmodi ausibus sese opponere præsumebat. Narrat insuper Cochlæus, *quod data opera, ut complures allicerentur ad eorum hæresin, in ferculis portatæ fuerint aperte carnes coctæ in feriis sextis, aliisque diebus jejunii per atrium ad mensam horum Principum, in Ecclesiæ & Catholicorum despectum; quod etiam eorum famuli petulanter jactaverint verbum Domini, & in dextera manica vestimenti gestaverint initiales literas latinas horum verborum: VERBUM DOMINI MANET IN ÆTERNUM.* Hac petulantia adeo ceterorum exasperabantur animi, ut om- Sæc. XVI. A. C. 1525.

Sæc. XVI. A.C. 1525

nes consultationes in hisce comitiis cæptæ interrumperentur, nihilque propius videretur, quam bellum civile.

§. LXXIV.

Duo libelli Lutheri in his comitiis in populum divulgati.

Præterea Lutherani per totam civitatem studiose circumferebant in hisce comitiis duos Lutheri libellos mole sua quidem exiguos, veneno tamen, quod latebat, perquam grandes. Horum alter erat sermo Lutheri *de destructione Jerusalem*. Alter amarulentam continebat epistolam ejusdem hæretici, qui ficto nomine sese *Argyrophylacem*, seu thesaurarium nominabat. Ambo Libelli eo unice collimabant, ut plebi veteris Religionis odium, novæque sectæ amorem instillarent; unde non pauci a vera fide abducebantur.

Cochl. l. cit. p. 148.

Lutherus in postremo hoc libello sermonem ad Principem convertens, *sæpe mecum*, inquit, *mirari soleo, Illustrissimi Principes, quod nonnulli vestrum tam atrociter in eos, quos hæreticos vocant, sæviant, ut propter quæstiones, opinionesque quasdam de Religione in homines alioquin innocentes, exiliis, bonorum direptionibus, gladio, aqua, & igni animadvertere non reformident. Si autem in vos, aut in Rempublicam*

publicam veſtram peccarent, juſtiore certe titulo punirentur. Modo cum ejusmodi aſſerant, & doceant, quæ in maximum Ditionum veſtrarum, Rerumpublicarumque commodum vergunt, quo nomine & a vobis præmium accipere debebant, mirum imo ſtupendum, miſerandumque, quod talia citra rationem, modumque de eis ſupplicia ſumantur. Egetis fortaſſe pecuniis in Reipublicæ uſus neceſſariis? en maximum vobis theſaurum oſtendo. Sinite Monachos, & Monachas, ſi qui velint, licere abire, & victum laborando quærere. Eos vero, quibus in ſuis fornicibus deliteſcere lubet, frugaliter alite, tum quicquid opum illis ſupereſt, in neceſſarios pauperum, Reipublicæ, uſusque veſtros vertite.

Sæcul. XVI. A.C. 1525.

§. LXXV.

Archiducis conſilium de Hungaris adverſus Turcas tuendis.

Jamjam Saxoniæ Electror, atque Haſſiæ Landgravius cum ſuis Sectatoribus diſceſſum a comitiis paraverant, cum Ferdinandus Archidux eos detinere toto ſtudio conaretur, tum quod ſolutis comitiis Germaniam crebris diſſenſionibus ſcindi pertimeſceret, tum quod ſpem conciperet, fore, ut & illi de bello in Hungaria gerendo deliberarent, ac cum ceteris Principibus ſua quo-

Luther. in aſſert. art. 34 & inter proſ. an 1517. *fol.* 56. *Cochl. l. cit. p.* 150.

Sæc. XVI. A.C. 1526.

que conferrent subsidia. Verum vix Ferdinandus hoc negotium proposuerat, cum illico Lutherani doctrinam, quam ex ore Magistri sui sæpius hauserant, in usum deducerent, juxta ejus dogmata pariter affirmantes, quod *prœliari adversus Turcas, sit repugnare Deo per illos iniquitates nostras visitanti.* Asserebant quoque, *non licere Christianis bellare, aut vim vi repellere, sed vim & injurias pati;* scripserant insuper, quod illi, qui in primis Ecclesiæ sæculis Christianam Religionem professi erant, sese ultro ab hostibus opprimi permiserint, cum tamen nullo ferme negotio sese tueri potuissent, eoquod potissimi ex Legionibus Romanis Christianorum Sacris initiati essent; dicebant alii, hanc agendi rationem a Tertulliano, aliisque Apologistis non modo nullatenus fuisse damnatam, sed etiam summopere commendatam; proin æternæ mentis consilio recta adversari eos, qui imposterum Turcarum progressibus sese opponere molirentur; nisi enim cælestis dispensatio Hungariam Turcarum potentiæ subjeciisset, Deus facile illam ab eorum incursionibus absque hominum auxilio liberare posset; si autem ex adverso infidelibus Regni hujus dominium concessit, in vanum tota Christianorum Respublica illam eis eripere conaretur.

Hoc

Hoc sermone omnes Principes Catholici, cunctique comitiorum Deputati, qui hæresi nondum infecti erant, vehementer offendebantur. Sæc. XVI. A.C. 1526.

§. LXXVI.

Decretum Spirensium comitiorum.

In hoc rerum tumultu Archidux nihil reliquum habebat, quam ut decretum hunc in modum ederet. „ Cum ad „ conservandam Religionem, pacem- „ que reddendam omnino necessarium „ sit, ut in Germania vel Nationale, vel „ generale Concilium totius Christianæ „ Reipublicæ celebretur, illudque sal- „ tem intra annum inchoetur, ideo De- „ putati ad Cæsarem ablegentur, qui „ eundem rogarent, ut deplorando Im- „ perii statu commotus quantocius in „ Germaniam veniret, ac Concilium „ celebrari urgeret; interim vero cui- „ libet Principum ac Statuum circa „ Wormatiense edictum ita agendum „ esset, ut Deo simul, & Cæsari justam „ aliquando possent reddere facti sui „ rationem. „ Hac clausula factus est aditus ad stabiliendam conscientiæ libertatem, quam Lutherani in hisce comitiis sibi indulgeri contendebant, ac postea in usum deducebant, perinde acsi eam re ipsa obtinuissent.

§. LXXVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. LXXVII.

Hungari Mugacienſi Prælio cæſi, eorumque Rex occiſus.

Paul. Jo. in elog. Steph. Broder poſt Bonfin.

Dum interea de ſuppetiis Ludovico Hungariæ Regi ferendis ultro citroque conferebatur, Solimanus hujus ditiones infeſtis armis invaſit, pluresque urbes occupavit. Vix Chriſtiana acies triginta millium Hungarorum numerum explebat, & nihilominus Ludovicus nonniſi viginti duorum annorum adoleſcens bellici periculi ignarus, ſe repellendis Turcarum progreſſibus parem exiſtimabat, quocirca non modo pacem ſibi paulo ante a Solimano oblatam acceptare renuit, ſed etiam adventanti hoſti caſtra obviam promovit; ſelegit exercitus ſui Ducem Paulum Tomoreum, quocum ipſus prælii curam partiebatur. Die vigeſima octava Auguſti initium pugnæ datur, ſed infauſto admodum Hungarorum ſucceſſu; quippe nondum tertia horæ pars effluxerat, cum jamjam Hungari magna clade profligarentur, non tam infidelium fortitudine devicti, quam eorum numero protriti. Cecidere ex nobiliſſimis Regni Proceribus quam plurimi tam Eccleſiaſtici, quam Sæculares. Ipſe etiam Rex adoleſcens, poſtquam præclara admodum

dum fortitudinis suæ, atque intrepidi animi specimina edidisset, concubia nocte solus auffugere compellebatur. Cum vero procellæ atrocius sævirent, ipse itineris Duce destitutus, in quamdam paludem incidit, ubi cum illius equus limo profundius immergeretur, Rex misere suffocatus interiit. Sæcul XVI. A C. 1526.

Altera die Solimanus mille quingentos, omnes ferme primæ nobilitatis viros, qui prælio capti erant, in circulo collocari, atque in conspectu victricis exercitus capite plecti jussit, eodemque tempore qua longe lateque procurrit Danubius, omnia ferro, & igne miscebat. Insuper Alba Regalis, a qua urbe incolæ auffugerant, militum deprædationi relicta continenti incendio absumebatur, eodemque fato destructa fuit celebris illa Bibliotheca, quam Mathias Rex immensis pene sumptibus undique collegerat. Sola Regia flammæ furorem evasit. Ab ea tamen Solimanus omnem magis splendidum apparatum, & binas præstantissimi operis columnas, præter Apollinis, Dianæ & Herculis statuas auferri, atque Constantinopolin abductas ibidem erigi præcepit. Referunt non nulli, Barbarum hunc Principem lacrimis haud temperasse, dum veras Ludovici Regis, & Mariæ Austriacæ, quæ illius

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

illius Conjux ac Caroli V. Soror erat, effigies conſpexerat, ſimulque adverſam Regis hujus ſortem miſeratum, ita exclamaſſe: „Palam profiteor, me Hungariam non invaſiſſe, Ludovico Regnum Patris ſui eripiendi animo, ſed „unice, ut Hungarorum inſolentiam, „compeſcerem, eorumque Regnum Ottomannico Imperio obnoxium redderem.„ Teſtatur Paulus Jovius: *Corpus Ludovici Regis ab armigero ſuo mox arena fuiſſe contectum, ne ejus cadavere armisque regiis potiretur hoſtis, poſt multos vero dies repertum, eo quo potuit funeris honore Albam regalem translatum in ſepulcro Hungariæ Regum fuiſſe reconditum.*

Paul. Jov. in elog. Lud.

§. LXXVIII.

Contentio de jure Succeſſionis in Hungariæ Regnum.

Cum Ludovicus ſine liberis decederet, ingens inde exorta eſt contentio inter Ferdinandum Auſtriæ ducem, & Joannem Zapolum Cepuſii Comitem ac Tranſylvaniæ Præfectum. Contendebat Ferdinandus, ſibi non modo Hungariæ, ſed & Bohemiæ Regnum deberi, eoquod Annæ, quæ Ludovici defuncti Regis Soror erat, Maritus eſſet, atque inſuper hac de re a ſuis Prædeceſſoribus pactum cum Mathia, & Uladislao

Iſthuanff de Reb. Hung. l. 9.

Neugobod. hiſt. Poloniæ lib. 17.

dislao Regibus fuiſſet initum. Ex adverſo Cepuſius Hungariæ Regnum non niſi ſuffragantium electione transferri poſſe affirmabat. Indicuntur Albæ regalis ad dirimendam litem Solemnia ordinum Comitia, ac præter Principes, atque Optimates, quibus ſuffragandi jus competit, etiam convocantur exercitus Præfecti, idque ex legum præſcripto, vi quarum ad Regis electionem etiam Belliducum ſententia roganda eſſet, ut aliquem ex gente ſua, quem pro exercitus Imperio digniorem cenſerent, & illi nominarent. Cunctis hisce ſolemniis exacte obſervatis communi omnium ſuffragio Tranſylvaniæ Præfectus eligebatur, mox Hungariæ Rex proclamatus. Sæcul. XVI. A.C. 1526

§. LXXIX.

Joannes Zapolus in Hungariæ Regem electus, ac coronatus.

Hujus electionem Maria Regina defuncti Regis conjux ægerrime ferebat, nilque intentatum relinquebat, ut Hungariæ corona Ferdinando Archiduci ejus fratri deferretur, unde ad ſuas partes non paucos pertrahere nitebatur Proceres, qui numero & potentia Tranſylvanenſis Præfecti factioni prævalerent. Nec Reginæ conſilium eventus fefellit; quippe primo Stephanum Batori- *Iſthuanff l. c.* *Joan. Sambuc. append. ad Bonfin.*

Sæcul. XVI. A C 1526.

torium Regni Palatinum, ac postea maximam partem Baronum ac Prælatorum sibi adjunxit, quin imo ipse etiam Carolus Cæsar ejusdem frater illam ope & consilio adjuvit.

§. LXXX.

Ferdinandus Archidux Austriæ in aliis Regni Comitiis electus.

Cum Regina factionem suam numero, viribusque sat conspicuam cerneret, propria auctoritate Passavium, ubi post Ludovici obitum sese receperat, Regni Ordines convocabat. Accedunt Mense Octobri hujus anni Principes, Regnique Proceres, ac fine ulteriori consultatione Ferdinandum Archiducem in Hungariæ Regem eligunt, & Joannem Zapolum Regni usurpatorem declarant. Aberat ab hisce comitiis Archidux, quocirca confestim ad eum legati decernuntur, qui electionis nuncium deferrent. Ferdinandus, ut jus suum valide tueretur, numerosum conscripsit exercitum, quem ipsus ducens Budæ recta admovit, ubi tum Joannes Zapolus morabatur; adspirabat fortuna Ferdinandi consiliis; ferme enim ubique velut Rex excipitur, ac nemine obnitente Budam occupat, inde vero Regni Coronam susceepturus, Albam regalem contendit; Joanne

anne interea se in Hungariam superiorem recipiente. Sæcul. XVI. C. A. 1526.

Nihilominus Procerum non pauci Ferdinandi electionem minime ratam habebant; eoquod Ludovicum olim infausta sorte pressum ope sua destituisset, quamvis eidem gemino cognationis vinculo junctus esset, ex adverso autem Transylvaniæ Præfectus unum ablegasset, qui eundem rogaret, ne prælii discrimen subiret, donec ejus exercitus selecto milite, quem Joannes ex Transylvania adduceret, auctus esset. Addebant insuper, quod Zapolus accepta funesta clade, opportunissimo loco castra posuerit, ac inde potissimam Hungariæ inferioris partem a Turcarum furore protexerit.

§. LXXXI.

Joannes Zapolus in Poloniam profugus.

Verum cuncta hæc rationum momenta minime obstabant, quin Ferdinandus velut Hungariæ Rex agnitus inauguraretur. Peracta coronatione suos Belliduces jussit, ut Joannem Regem insequerentur, eumque aut caperent, aut regno propulsarent; ipse vero Ferdinandus Viennam rediit. Paulo post Joannes rursus Tibiscum flumen trajecit, at- *Isthuanff. rer. Hung. lib. 9.*

Sæcul. XVI A.C. 1526

que in Poloniam ad Regem Socerum ſuum ſeſe recepit, opportunam ibidem præſtolaturus occaſionem, qua Hungariam repetere poſſet.

§. LXXXII.

Heroica, licet irrita, Pontificis conſilia adverſus Turcas.

Spond ad ann. 1526. num. 14.

Interea Clemens Papa comperta Solimani victoria, ac Ladislai morte, haud parum ſollicitus erat, ne Sultanus totam Hungariam ſuis armis ſubjiceret; quapropter cunctos Cardinales convocavit, eisque ob Hungarorum cladem doloris ſui vehementiam expoſuit: „Nunquam, ajebat, pro parte mea defui, „quo minus Principes Chriſtianos ad„hortatus ſim, ut huic Regno tam mi„litum quam pecuniarum ſubſidiis opi„tularentur; cum vero hujus jacturæ „malum magis ad munus Paſtoris uni„verſalis quam ad quemvis alium ſpe„ctet, cunctis incommodorum, ac pe„riculorum rationibus longe poſthabitis „nihil mihi deliberatius eſt, quam claſ„ſem conſcendere, & Chriſtianos Prin„cipes precibus & lacrimis adhortari, „atque obſecrare, ut pace inter eos ini„ta vires ſuas adverſus Chriſtiani nomi„nis hoſtem jungant. Spero pariter, „cunctos Cardinales me in tam pio offi„cio

„cio adjuturos, Deumque, ut tam san- Sæcul. XVI.
„cto propoſito faveat, imploraturos. A.C. 1526.
„Si vero ob communia peccata meum
„conſilium ad finem perducere non po-
„tero, ſaltem id mihi concedet Deus,
„ut in eo pertractando, antequam ſpe
„dejiciar, vitam finire poſſim; nihil
„enim mihi infelicius accidere valeret,
„quam ſi in tam peſtifero incendio ſalu-
„tarem manum adhibendi ſpe, & facul-
„tate privatus vivere deberem.„ Ve-
rum cuncta hæc tam generoſa Pontificis
conſilia ſuo ſucceſſu carebant.

§. LXXXIII.

Cauſſa Berquini continuata.

Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio Ludovicus Berquinus a carcere ſuo dimiſſus promiſerat, ſe haud ultra dogmata ſua ſparſurum. Verum Ambianum ſecedens violata promiſſi fide rurſus errores ſuos ac deliria non ſine gravi Ambianenſis Cleri, populique offenſione divulgare cæperat. Huic ergo malo, ut ſeſe opponeret præfatæ urbis Epiſcopus, Pariſios ſe contulit, apud ſupremam Curiam de Berquini flagitiis queſturus. Valuit ſucceſſus; quippe ad Epiſcopi preces Parlamentum die ſeptima Martii hoc Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vigeſi-

Sæcul. XVI A. C. 1526.

mo sexto Berquinum comprehendi jussit.

§. LXXXIV.

Berquini propositiones a Facultate Theologica damnatæ.

Argentr. t. 1. in fine p. 5. t. 2. p. 40.

Eadem occasione Facultas Theologica Parisiensis præfatum Berquinum nova perstrinxit censura, ac sequentes illius propositiones damnavit. *I. Reservatio casuum non impedit plenariam peccatorum reservationem. II. Petrus super singulos fideles a Christo primatum potestatis non accepit. III. Si Papa esset jure divino super omnes fideles Ecclesiæ, nullus posset eum absolvere, nec confitentem audire. IV. Humana opera vitæ æternæ meritoria, proh pudor! V. Sophistæ vocant fidem credere totam Historiam Evangelicam, quod & dæmones credunt, Lutherus vocat fidem fiduciam misericordiæ divinæ promissæ in Christo. VI. Fides sola justificat, id est, sola causa est, propter quam justificamur. VII. Ecclesia irrationabiliter præceptum de jejunio instituit. VIII. Verum jejunium est, quod corpori non plus alimenti concedatur, quam ad conservandam sanitatem necesse est.* Octo hæ propositiones damnantur tanquam Schismaticæ, *Ordinis Hierarchici eversivæ, erroneæ, Hæreticæ, Lutheri erroribus conformes, Ecclesiæ Catholicæ injuriosæ, errori Beguardorum proximæ,*

mæ, ac denique ad retrahendum populum Christianum a continuo Ecclesiæ usu tendentes. Sæcul. XVI. A. C. 1526.

§. LXXXV.

Berquini Libri ab eadem Facultate proscripti.

Conscripsit idem Berquinus quosdam libros, atque inter eos præcipue Epistolam apologeticam ad amicum adversus quorumdam calumnias, præterea etiam edidit versionem Epistolæ S. Hieronymi ad Vigilantium cum notis. Horum primum opus Facultas damnavit, eoquod aperte Lutheri doctrinam tueretur, sacræ Religionis Vota execraretur, & subsannaret, atque ideo Facultas hunc Libellum, cum Christianæ Reipublicæ pernicioſus esset, publice flammis comburendum censuit. Hanc quoque proscripsit propositionem, quæ ex alterius Libelli notis excerpta his verbis concepta erat: *Ea, quæ ab uno Sancto petunt, ab alio petere non audent, perinde acsi Sanctorum quilibet proprium suum haberet officium ac munus.* Hanc propositionem ex damnata Lutheri doctrina desumptam censet: Postea eadem generatim omnium Berquini librorum damnationem innovat, atque detestatur libros per Erasmum compositos, quos Berquinus e Latino in Gallicum idioma

Argentr. l. c. pag. 41.

Sæcul. XVI. A.C 1526.

transtulit, hos inter recenſet: *Enconia matrimonii, brevem orandi methodum; Symbolum Apoſtolorum & quærimoniam pacis*, præter alios libellos, qui ex Eraſmi calamo non profluxerant, uti ſunt *loci inſigniores ex utroque teſtamento, commentarii in Minoritarum Regulam Franciſci Lamberti Avenionenſis; Lutheri, Melanchtonis, & Carolſtadii propoſitiones, Præcationum & piarum meditationum Enchiridion*, cui annectitur libellus Lutheri *de Libertate Chriſtiana;* item Codex, cui titulus, *Paſſio Lutheri*, alius ejusdem Lutheri libellus in pſalmos, & denique liber *Marſilii de Patavio*, qui inſcribitur: *Deffenſorium pacis.*

Omnes hi libri fuere proſcripti utpote damnatam continentes doctrinam, ac proin a quovis Chriſtiano rejiciendi, eoquod veneno ſuo fideles inficere poſſent. Inſuper Facultas Berquini errores damnaſſe haud contenta, cauſſam ad duos Curiæ Conſiliarios remiſit, qui contra reum judicii acta inſtruerent: ipſa etiam Regni Adminiſtratrix a ſummo Pontifice diploma obtinuit, quo horum judicum auctoritas confirmaretur, ac rata haberetur, ſimulque eisdem de hæreſis crimine cognoſcendi Facultas concederetur: Datæ ſunt Apoſtolicæ hæ literæ die vigeſima Maji Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, vi qua-

quarum cauſſa ad legum præſcripta diſcuſſa, ambo delegati judices ſententiam pronunciarunt, qua Berquinum hæreticum, ac relapſum declarabant. Ceterum forte Judices ad ſeveriora proceſſiſſent, niſi Franciſcus Galliarum Rex Madrito redux unacum Pariſienſi Præfecto regiorum ſattelitum Subcenturionem decreviſſet, qui Berquinum e carcere, ubi incluſus hærebat, eriperet. Jam antea Rex datis literis ſæpius judicii acta interrumpi jubebat, ſed nulla hujus mandati ratio habebatur; tandem vero, poſtquam Berquinus aliquamdiu in regia detinebatur, libertati redditus eſt, qua tamen, ut prius, brevi abutebatur. Sæcul XVI. A.C.1526.

§. LXXXVI.

Eraſmi Colloquia a Facultate Pariſienſi damnata.

Eodem anno Facultas theologica ad preces Natalis Bedæ Syndici ſui ſupremæ Pariſienſi Curiæ libellum ſupplicem porrexit, atque Eraſmi Colloquia ſupprimi rogavit.

§. LXXXVII.

Libellus ſupplex ad ſupremam Curiam contra Eraſmi Colloquia.

Hujus libelli tenor erat ſequens: „Jam „ante tres circiter annos nonnulli *Argentr. in Coll. tom. pag. 47.*

Sæcul. XVI
A. C. 1526.

„apparitores Curiæ jussu, ac præsente „Liseto Regis Advocato, & quibusdam „Facultatis Doctoribus ex ædibus quo„rumdam Bibliopolarum perplures su„stulerunt libros, quos ad forum dese„rebant, eoquod plures errores contra „fidem, bonosque mores continere di„cerentur, atque inter eos præcipuæ esset „parvus quidam liber, cui titulus: *Fa„miliaria Colloquia Erasmi*; qui liber po„stea ab eodem Auctore auctus, ac re„cognitus fuit. Cum autem in hisce „additionibus non pauci errores priori„bus additi fuissent, & tamen ii passim „tam in Universitate Parisiensi, quam „juvenum scholarium manibus teran„tur, & non pauci hujus libri lectionem „juventuti valde noxiam censeant, eo„quod Lutheri doctrinam continens, „Constitutiones ac Ecclesiæ præcepta „vilipendat, jejunia, abstinentias, Con„fessionem, Orationes ad B. V. invoca„tionem Sanctorum, Religiosorum vo„ta, aliosque similes pios usus rejiciat, „ideo ejusmodi perversa dogmata paulo „ante præfatæ Facultati fuere propos„ta. Hæc vero dictum librum a suis de„putatis examinari jussit, nunc vero „percepta horum relatione visum est „Curiæ, huic malo remedium ponere; „ac efficere, ut prædicti libri doctrina „omnino ex hoc Regno eliminetur.„

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1526.

§. LXXXVIII.

Propositiones ex Colloquiorum libro a Facultate damnatæ.

Porrecto hoc libello mox ad libri damnationem procedebatur. Igitur Doctores die decima sexta Maji sententiam ferunt, ac pronuntiant. *I. Auctor hujus libri tanquam Ethnicus homo Religionem Christianam, & sanctas ejus observantias ridet, subsannat, dilacerat, & immutandas decernit. II. In Dialogo de adversa valetudine impudenter irridet devotionem, quam habet populus ad sacræ Religionis habitus, innuitque, quod nulli Sancto pro morbo curando votum nuncupetur. III. In Dialogo de visendo loca sacra ridet votum Hierosolymitanum, mentiens omnia, quæ videntur Hierosolymis commentitia esse, & excogitata ad alliciendos simplices, & credulos IV. In Dialogo de confessione militis impudentius loquitur de Confessione Sacramentali. V. In Dialogo, qui inscribitur, Pietas puerilis, censet grave peccatum non esse transgredi Constitutiones Ecclesiasticas, dein tradit, quod sufficeret confiteri soli Deo, si non aliud Ecclesia ordinasset. Post hæc reprehendit modum disputandi Theologorum, unde complures abstinent a Theologia, eoquod vereantur, ne vacillent in fide Catholica. VI. In Dialogo de convivio profano,*

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

abstinentiam a carnibus ab Ecclesia inditam carpit, quasi illa adversetur libertati Evangelicæ. VII. In Dialogo de convivio spirituali vult, quod vestitus præscriptus, jejunium, Sacrificium, preces, & quies diei festi sint affinia Judaismo. VIII. Prætendit, quod vulgus totam suam salutem in cæremoniis, Baptismo, Exorcismo, Catechismo, sale & aqua constituat, & maxime fidat Unctioni, Confessioni, Confirmationi, Eucharistiæ, Matrimonio, Ordini, quasi Christiani per sola Sacramenta sperent salvari sine adimpletione præceptorum Dei. IX. Peccatum capitale judicat ornare templa, ditare Monasteria. X. In Dialogo, qui dicitur: Apotheosis Capnionis, Reuchlinum excessive commendat, dum ipsum confert in gloria cum D. Hieronymo, eumque adscribit numero Sanctorum, eique orationem assignat. XI. Pium II. in Divarum numerum retulisse Catharinam Senensem in gratiam ordinis, & Religiosorum inquit. XII. Docet aquiri virginitatem per actus carnales, ac præfert castitatem conjugatorum castitati Sacerdotum, & Religiosorum. XIII. In Dialogo Eubuli, & Catharinæ, statum Religionis maxime vituperat; ingredi Religionem invitis parentibus dicit esse contra legem naturalem & divinam; doctrinam, quæ docet ingressum Religionis, vocat Pharisaicam, & contrariam doctrinæ Apostoli. XIV. In Dialogo militis, & Carthusiani, cæremonias

monias Religionis maxime parvi pendet, & omnem ab illis fiduciam auffert, atque inquit: Raſum caput, & veſtis color non commendat me Deo. XV. In Dialogo, qui dicitur, nauffragium, impie ridet titulos, quos Eccleſia recte tribuit Beatæ Virgini: comparat eam Veneri, & facit ei illam ſuccedere in agenda cura Nautarum. In Dialogo, qui dicitur: *Inquiſitio de fide*, damnantur præcipue quinque errores. Alium adhuc edidit Dialogum Franciſcani, in quo Eraſmus contendit: *Convenientius eſſe, quod Religioſi non differant veſtibus a ceteris.* Sæcul. XVI. A.C. 1526.

Hi ſunt præcipui errores, quos Facultas Theologica in Eraſmi libro damnaverat.

§. LXXXIX.

Libri a Beda contra Eraſmum ſcripti venditio a Galliarum Rege prohibita.

Inſuperhabita Facultatis damnatione Franciſcus Galliarum Rex, ſi Eraſmo fides adhibenda, tantopere indignabatur cenſuras, quas Beda ferebat, ac præcipue illas, quibus ejusdem Auctoris Paraphraſes in novum Teſtamentum perſtrinxerat, ut illas in Regno divendi prohiberet, eo potiſſimum nomine, quod hac in re ſuam quoque auctoritatem

Inter epiſt. Eraſmi l. 29. ep. 73. p. 802. & l. 20. ep. 14 p. 974. & l. 24. ep. 4. p. 1281. Id. ep. 62. l. 19. p. 877.

Sæcul. XVI. A. C. 1526.

tem vilipendi crederet; quocirca iram suam in Syndicum exonerans, illum in aula, ubi tum ex negotio Facultatis agebat, comprehendi jussit. Equidem nonnisi unica die captivus detinebatur, non aliter tamen libertatem consequutus est, quam ea lege, ut quoties juberetur, se coram sisteret. Die nona Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto Rex Ambasiæ literas ad Parisiensem Curiam regio Sigillo munitas dedit, quibus eidem injunxit, ut Syndici libros contra Erasmum distrahi prohiberet. In hac Epistola Rex Facultatis Theologos traducit velut viros odio in Erasmum præventos: „ Cum enim, inquit Rex, perspe„ctum habeamus, quod præfata Facul„tas, ejusque membra promiscue con„tra quemcunque calamos suos acuant, „eorum honori, Statui, ac famæ de„trahant, prout noviſſime contra Eras„mum fecerunt, & facile adversus alios „quoque pari modo procedere possent, „ideo vobis mandamus, ut quantocius „Facultatis præfatæ Doctoribus, eo„rumque deputatis nulla mora præci„piatis, ac interdicatis, ne imposterum „generatim aut speciatim vel minimum „scribant, componant, vel typis evul„gent, nisi prius in pleno Curiæ consessu „a vobis, vestrisque Ministris fuerit re„cogni-

„ cognitum: atque approbatum. Videtur Parisiense Parlamentum Regiæ hujus Epistolæ rationem habuisse, ipsumque Jodocum Bade, qui Bedæ librum contra Erasmum, insuperhabito Regis interdicto, prælo subjecit, reprehendisse; quippe in tabulis Curiæ Parlamenti existat Epistola Jodoci Bade Latine conscripta, in qua idem asserit suis literis duntaxat sexcenta quinquaginta exemplaria libri, quem composuit Beda, fuisse excusa, ac nunc non nisi eorum quinquaginta supereſſe, ea vero nullatenus se venditurum promittere. Sæcul. XVI. A. C. 1526

§. XC.

Erasmus a Francisco Galliarum Rege plurimi habitus.

Hæc Francisci Regis Benevolentia haud obscure testatur, quod Erasmum jure merito plurimi habuerit, nec illum viris de fide suspectis, aut spargendis erroribus studiosis accensuerit. Quapropter Erasmo per amicos, quos in aula habebat, significari voluit, ut in Francia sedem figeret, hancque in rem eidem Conditiones proposuit, quibus ampliores haud exoptare valuisset. Hæc ex quadam Epistola discimus, quam Guilielmus Cop Regis Medicus speciali ejusdem jussu die decima sexta Februarii *Int Epist. Eras. ep. 96*

hoc

Sæcul. XVI. A C. 1526

hoc anno ad Eraſmum perſcripſit, aſſerens, quod non modo Guilielmus Parvus Theologiæ Doctor, qui & Regi a confeſſionibus erat, ſed & Franciſcus Rupifortius, olim ejusdem Principis Moderator, doctrinam, ac ceteras omnino præclaras Eraſmi dotes tam amplis celebrarint encomiis, ut Regi talem virum alloquendi, atque in Gallias accerſendi deſiderium inſtillaverint: Rex vero tam copioſa laude captus Guilielmo negotium dederit, ut Eraſmo Regis affectum ſignificaret, ſimulque ab eo ſciſcitaretur, an in Galliis permanere vellet, id vero, ſi ei luberet, Rex ei copiam faceret, ut ſuſtentationis ſuæ conditiones præſcribere poſſet; hanc enim Regis voluntatem eſſe ajebat, ut ei fidem faceret, illum tot bonis auctum iri, ut eum patria ſua exceſſiſſe nunquam pœniteret.

§. XCI.

Regis promiſſa ad Eraſmum in Gallias accerſendum.

Augebatur Regis exiſtimatio de Eraſmo concepta ex ipſa lectione librorum, quos vir ille doctus vulgaverat; quocirca eum crebrius, ut in Franciam veniret, ſollicitari juſſit, quin imo ipſus etiam propria manu ad eum literas per-

perſcripſit, tamque importune inſtitit, ut omnium judicio nil propius eſſe videretur, quam quod inſignis ille vir tandem Regis mandato cederet: id ipſum, quod narramus, Erasmus datis ad Tonſtallum Londinenſem Epiſcopum literis ſignificabat his verbis: *Rex Galliarum incredibili eſt in me affectu; Exſpector: Theſauraria Turonenſis parata eſt, quæ reddit quingentos coronatos.* Idem etiam perſcribit ad Guilielmum Cantuarienſem Archiepiſcopum. *Franciſcus Rex Galliarum*, inquit ipſe, *incredibili eſt in me affectu, rurſus vocor in Gallias. Parata eſt jam pridem Theſauraria Turonenſis ampli proventus, ſed tales ſarcinas nihil moror & libertatis avidus, & brevi moriturus.*

Sæcul XVI. A.C.1526.

Lib. 18. *Epiſt.* 48.

Lib. 20. *Epiſt.* 44.

§. XCII.

Eraſmus a ſummis Pontificibus ſemper perbenigne exceptus.

Nunquam luculentius Eraſmi colloquia ab injurioſa Pariſienſium Doctorum cenſura vindicatur, quam ubi eorum Auctorem a ſummis etiam Pontificibus perhonorifice habitum demonſtrare poſſumus. Hi enim, cum ad ſervandum fidei depoſitum præ Principibus profanis longe magis intenti, ac diſſenſionibus, quibus tum Eccleſia ſcindebatur, intimius commoti eſſent, qua ratio-

Sæcul. XVI. A C. 1526.

ratione eos latere potuiſſent ea, quæ Beda in ejus libro deprehendiſſe contendit, aut quomodo tot errores diſſimulare voluiſſent; id certe eo minus quis ſibi perſuadere poterit, quo manifeſtius eſt, quod Pontificum plures, ubi de fidei integritate agitur, nequidem potentiſſimis Principibus pepercerint. Cum ergo ſummi Pontifices Julius II. Leo X. Adrianus VI. Clemens VII. Paulus III. Eraſmi mores comprobarint, illius fidem, ac obſequium erga Eccleſiam Catholicam commendarint, & doctrinæ puritatem, ac opinionum integritatem in Eraſmo teſtimoniis oppido præclaris, omnique fide dignis deprædicarint, atque etiam ejusdem libros approbarint, eumque, ut lucubrationes ſuas in lucem ederet, inſtigaverint, imo, quod & plus eſt, eidem tuendæ fidei & Eccleſiæ munus impoſuerint, quo pacto dubitari poterit, quin Eraſmus Catholicæ ac orthodoxæ fidei ſemper fuerit addictiſſimus, poſtquam id teſtati ſunt ii, quibus ſpeciali quadam ratione Evangelicæ doctrinæ depoſitum concreditum eſt (*)?

§. XCIII.

(*) Cum Continuator ſummos Pontifices extra Concilia haud infallibiles nequidem in fidei morumque judicio propuguet, haud fat mirari poſſumus,

Sæcul. XVI.
A. C. 1526

§. XCIII.

Censura propositionum Joannis Bernardi ex Ord. S. Augustini.

Eodem Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto die septima Julii Facultas Theologica meliori jure quasdam damnavit propositiones, quas Parisiensis Curia eidem Facultati transmiserat. Excerptæ erant ex responsis a Joanne Bernardo Theologiæ Doctore ex Ordine S. Augustini datis, quæ ad quatuor sequentes revocabantur propositiones: *Argent. l. cit. t. 1 in appen. ad fin p. 5. & t. 2. p. 46.*

I. Dubito, an Ecclesia possit obligare ad mortale.

Hæc responsio, inquit Facultas, *sic indistincte prolata, in omnibus, maxime tamen in Doctore Theologo reprehensibilis est.*

II. Quilibet considerans, an in diebus jejunii bis per diem absque peccato gravi totidem commedere possit, quantum manducaret jejunando unica vice, id licite potest juxta conscientiam suam facere, & quantum sua corporis habitudo sufferre valet.

Hæc

sumus, quod in quæstione facti circa Erasmi orthodoxiam ex horum Pontificum testimonio adeo firmum argumentum eruere voluerit.

Sæcul. XVI. A. C. 1526.

Hæc propositio ita generaliter asserta, scandalosa est, & ad doctrinam Lutheri accedit.

III. Qui orare volunt, prius Deum, quam Sanctos adeant.

Pronunciant Doctores, quod *hæc propositio in quantum per eam prætenditur non esse Sanctos orandos & invocandos, nisi prius tempore oretur, & invocetur Deus, & quod alioquin male fieret, scandalum in populo pariat, & ex erronea Wiclefi doctrina desumpta sit.*

IV. Non legi in sacris literis, quod Sanctus pro alio oret, nisi in quantum id in libro 2. Machabæorum de Onia & Jeremia dicitur.

Facultatis Censura hæc est: *Declaratio hujus ignorantiæ coram populo a Doctore Theologo facta, est pernicioſa & conformiter ad errorem Valdensium impie fidem populi infirmat circa venerationem & cultum Sanctorum; Assertor autem harum propositionum ad revocationem compellendus est, atque adstringendus, ut publice prædicet, Sanctos esse venerandos.*

§. XCIV.

Judicium Facultatis de voto Cœlibatus Sacerdotalis.

Sub idem tempus Episcopus Chrisopolitanus, generalis Vicarius Valenti-

ni

ni Episcopi in Delphinatu hanc quæstionem Parisiensi Facultati decidendam proposuit: *An fornicatio Sacerdotis sit casus reservatus Episcopo, eoquod eidem violatio votorum, & sacrilegia reserventur.* Hac super re Doctores die prima Aprilis eodem anno suam edixerunt sententiam, declarantes: *Fornicationem Presbyterorum casum esse reservatum, eoquod votum continentiæ sacris Ordinibus annexum esset.* Sæcul. XVI. A.C. 1526. *Argent. t. 1. in appen. ad fin. p. 5.*

Præterea *Procurator Regis*, inquit Argentreus, *apud Curiam Parisiensis Senatus querelas detulit adversus quosdam Baccalaureos, & Licentiatos, qui in suis Thesibus ac publicis disputationibus multas quæstiones inutiles de potestate Papæ & Regum, deque Reipublicæ negotiis temere in Scholis agitabant. Iidem quoque interrogabant, an fœminæ liceat regimen populi suscipere, an Papa mulieri facultatem Ecclesiæ beneficia dispensandi communicare possit &c. Quocirca Parisiensis Senatus Cancellario Universitatis Studii Parisiensis, & Magistris sacræ Facultatis diem dixit, ut de querelis Procuratoris certiores fierent, & imposterum caverent, ne hujusmodi abusus in Scholis Parisiensibus contingat. Hæc sententia Parisiensis Curiæ effectui data, tabulisque inserta est, ut inde libertates Gallicanæ Ecclesiæ probarentur.*

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

§. XCV.

Origo Ordinis FF. Capucinorum.

Marc. Ulyſſip. in hiſt. Seraph. Florim. de Raym. orig. hær. l. 7. c. 5

Cum regularis diſciplinæ vigor in Ordine Fratrum Minorum vehementer remitteret, hoc anno Chriſti quingenteſimo vigeſimo ſexto ſupra milleſimum Deus Matthæum de Baſſio ſuſcitavit, qui priſtinum illius fervorem revocaret. Is natus erat in Urbinatenſi Italiæ Ducatu, ac primis ætatis ſuæ annis ad conventum Montis-Falconis ſeceſſerat, ubi ſacrum habitum Minoritarum indutus, non raro ſolutiorem Fratrum ſuorum diſciplinam deplorabat, ac vitæ rigidioris, necnon ſtrictioris paupertatis ſtudio accendebatur. Hujus deſiderii vehementia impulſus, voce divinitus audita ſe admonitum credebat, ut Regulam S. Franciſci ad literam obſervaret. Hac voce excitatus confeſtim ex panno rudi, atque aſpero ſaccum induit, haud abſimilem ab ea veſte, quam a viro quodam ſibi frequenter apparente geſtatam dicebat, demum caputium ſibi confecit in acumen deſinens, perinde ac ſi eſſet habitus a S. Franciſco præſcriptus. Ita veſtitus clam ſuo exceſſit monaſterio, Romamque petiit. Verum inſolita ejus veſtis funeſtas eidem vexationes accerſivit; quippe vix mille

Anto. Caluſe annal. des Capuc. en l' an. 1525. t. 1. p. 44. & 52. Boverius in annal. Capuc. Spond. ann. 1525. n. 27.

mille passibus a Conventu distabat, cum a quibusdam scurris ejusmodi vestitum deridentibus pro Histrione, ab aliis vero pro versipelle ac fure habebatur, quocirca unaomnes in eum insano furore irruentes, injuriis lacessitum carceri mancipabant, ex quo illum tamen eodem ferme momento extrahebant, veritatis, ac patientiæ suæ exemplis ad saniora revocati. Sæcul. XVI. A.C.1526.

§. XCVI.

Matthæus de Bassio coram summo Pontifice.

Post hæc Matthæus de Bassio Romam delatus, ad Vaticanum contendit, atque anteriora pertransiens cubicula ad ipsum summi Pontificis conclave penetravit, a nemine, ut fertur, aut interpellatus, aut detentus, quod tamen vix credibile videtur. Utut res se habuerit, id omnino certum est, quod Papa hujus Viri conspectu attonitus, quæ peteret, ab eo scisciatus fuerit, ille vero eidem, hæc in responsis dederit: „Beatissime Pater! ex Ordine Fratrum Minorum minimus sum Sacerdos, qui „nil ardentius in votis habet, nisi ut „Regulam sancti Patris mei Francisci, „quam Deo omnipotenti olim voveram, „ea qua potero fidelitate observem, ac „juxta *Ant. Caluse l. cit. p. 54.*

Sæcul. XVI A.C. 1526.

„juxta vires meas sanctissimæ vitæ ejus „exercitia quadam pia æmulatione imi- „tari valeam, hancque ob rem vetustis- „simas Ordinis consuetudines, ac diser- „tam regulæ legem in opus deducere „cupio. Cum ergo extra omne dubium „sit positum, quod sanctus Franciscus „nil nisi saccum detritum, ac capuc- „cium in acumen desinens, absque ve- „ste ex scapulis defluente, quod *scapu- „lare* vocant, gestaverit, eo prorsus mo- „do, quo Sanctitas sua me vestitum co- „ram cernit, hæcque olim norma fue- „rit vestium, quibus primi Fratres Mi- „nores erant vestiti, hinc, postquam ad „Deum crebras fuderam lacrimas pre- „cesque, tandem agnovi, hanc esse Dei „voluntatem, ut ea consilia opere exe- „quar. Igitur Beatissime Pater, hæc „sola caussa est, qua permotus ad San- „ctitatis suæ pedes humillime provol- „vor, rogoque, ut ab ea hanc vestis „normam obtinere valeam, eaque im- „petrata Sanctitatis suæ patrocinio suf- „fultus in Eremis sancti Francisci Re- „gulam colere, Verbum Dei prædica- „re, necnon sceleratissimorum peccato- „rum saluti vacare valeam. „

§. XCVII.

§. XCVII.

Sæcul. XVI. A.C 1526.

Alloquii, ac inducendæ reformationis facultas Matthæo a Pontifice conceſſa.

Pontifex Matthæi ingenuitatem demiratus, varia ex eo de ipſius vivendi norma, ac inſtituto ſciſcitabatur; tandem vero eidem declarabat, velle ſe, ut impoſterum hæc Regula juxta Chriſti Domini, ac S. Franciſci mentem ad literam obſervetur; quapropter tam Matthæo, quam omnibus, qui alterum habitum induti rigidiorem diſciplinam profiteri vellent, conceſſit, ut in Eremis habitare poſſent: „Verum quoad „ea, inquiebat Pontifex ad Fratrem „Matthæum, quæ tibi vel maxime cor„di ſunt, lubenti animo tibi tuisque „hunc habitum geſtandi facultatem con„cedimus, ac permittimus, ut Eremi„tarum more vivere, & ubique, prout „poſtulas, Verbum Dei annuntiare va„leatis, dummodo in ſignum obedien„tiæ veſtræ quotannis ſemel Miniſtrum „Provincialem, necnon capitulum Fra„trum Minorum de Obſervantia, ubicun„que demum illud fuerit congregatum, „accedatis.„ His dictis ſummus Pontifex Matthæo Apoſtolicam impertiebatur benedictionem, eumque ad pii propoſiti

Annal. des Capucc. p. 54.

Sæcul. XVI. A.C.1526.

positi sui executionem excitabat, simulque hujus concessionis diploma eidem tradere pollicitus, eum dimittebat.

Ast Matthæus nequidem expectato hoc diplomate ad prædicandum Dei Verbum sese accinxit, Marchiamque Anconitanam peragravit. Huic sese adjunxit quidam Eremita Franciscus nomine, cujus exemplum brevi plures alii sequebantur, qui eidem instituto nomen dederunt, illos tamen Fratres Minores *de Observantia* gravibus omnino injuriis lacessebant, eoquod non modo acuminosum illud caputium, sed etiam novum vitæ genus tolerare haud possent.

§. XCVIII.

Matthæus jussu Provincialis carceri inclusus.

Nihilominus F. Matthæus generalia Ordinis comitia accessit: verum jussu Joannis de Fano Provincialis captus carceri includitur, mox tamen Camerinensis Ducissa rem edocta, literas ad Provincialem dedit, acerrime comminata, ni subito F. Matthæum liberum dimitteret, se ad summum Pontificem hac de re suas delaturam querelas, interim sciret, se Clementis VII. Neptim esse. Nec his contenta Camerinensis Conventus Præpositum, seu Guardianum,

Mart. Ulissipon. Hist. Seraphica.

num, qui cum Provinciali conſpirabat, adeſſe juſſit, eidemque tantum incuſſit timorem, ut ambo Fratrem Matthæum libertati reſtituerent. Hic nulla mora Camerinum contendit, non tam ut Benefactrici ſuæ grates rependeret, quam ut Provincialis culpam excuſaret, pluribus recenſens beneficia, quibus ab eo eſſet affectus. Cum vero Duciſſa Matthæum veſte a Minoritarum habitu longe diverſa, ac ubique laciniis conferta indutum, nec non acuminoſo caputio tectum cerneret, rei novitatem admirata illius cauſſam ſciſcitabatur; Matthæus hujus mutationis rationem exponens: „ Cœleſti admonitu, inquie- „ bat, rem aggreſſus ſum, acceſſit quo- „ que ſummi Pontificis conceſſio, non „ equidem, ut vel Ordinem meum ad „ ſeveriorem diſciplinam revocem, vel „ novam Congreationem erigam; ad „ neutrum enim me Deus ſelegit, ſed „ unice, ut ſub hoc habitu Regulam in „ omni perfectione obſervem. „ Adhortabatur Matthæum Duciſſa ad tam pii operis executionem, pollicita, ſe eidem patrocinio, juxta ac bonis ſuis præſto futuram.

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

Sæcul. XVI. A C. 1526.

§. XCIX.

Diploma Pontificium a Ludovico Matthæi socio impetratum.

Calusc. l. c. p. 81.

Planxit Matthæus Franciscum carissimum socium ac confratrem suum, quem hoc anno præmatura mors vivis eripuit; ast hujus jacturam eodem tempore compensabat Frater Ludovicus, Sacerdos ex Ordine Fratrum Minorum de Observantia. Is erat vir religionis studio celeberrimus, qui primævam instituti sui disciplinam per universum orbem instaurari dudum exoptaverat; unde licet Provincialem huic proposito adversari nosset, nihilominus audacter ab eo petiit, ut illis, qui severiori disciplinæ nomen dare vellent, conventum concederet. Attamen non modo repulsam tulit, sed etiam carceri mancipatus est, a quo tamen paulopost ereptus, ad supremum Ordinis Ministrum ac Cardinalem Protectorem literas dedit, in quibus idem ab eis petebat; cum vero nil impetrare posset, unacum Fratre Raphaele Romam contendit, secum deferens epistolam Camerinensis Ducissæ. Porro summus Pontifex utrique alloquii copiam indulsit, simulque Laurentio Puccio Cardinali Episcopo Prænestino ac magno Pœnitentiario negotium dedit,

dedit, ut diploma conficeret, quo eis venia daretur, ut invitis etiam illorum Superioribus, extra domos, ac Ordinis sui monasteria in quadam Eremo libere commorari possent, ac retento eorum habitu regulam observare, ex fidelium eleemosynis vivere, ac denique cunctis gratiis & privilegiis, quæ illis concederentur, quiete frui valerent; simulque prohibuit Pontifex, ne ullo pacto iisdem molestia aut injuria inferretur, huncque in finem omnes sententias contra eos latas omnino irritas declaravit. Dabat die decima octava Maji Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

Hoc diploma Ludovicus suo Provinciali exhibuit, qui tamen fratrem suum acriter reprehendebat; cum vero literas Apostolicas revocari nequicquam niteretur, a Sacra Pœnitentiaria Romæ diploma sibi concedi petiit, vi cujus ei contra quosdam fidei desertores ex Ordine suo agere liceret; equidem sub hoc transfugaram nomine Matthæum, Ludovicum, ceterosque, qui reformationem amplecti cupiebant, comprehendi intellexerat, studiose tamen eorum nomina silentio pressit; unde rationem facti falso exponens, facile petitum diploma obtinuit, quo fultus suos convocabat Religiosos, atque ab eis, quid in præsenti rerum statu

tu

Sæcul. XVI. A C. 1526.

tu agendum, sententias rogabat. Omnium una vox erat, Ludovicum ejusque socios comprehendendos, ac carceri dandos esse; verum hi tempestive fuga elapsi sese ad Eremum Cryptarum receperunt. Cum autem nec ibi a Provincialis infestationibus liberi ac tuti essent, ad Legatum Apostolicum provocabant, qui fratri Ludovico potenter patrocinabatur, graviter commotus, quod ipsemet a Provinciali tam nequiter delusus fuisset. Nec tamen propterea vexationum finis erat.

§. C.

Pauli Cortesii obitus.

Dupin. Bibl. des Aut. du XVI. Siecle tom. 14. p. 116.

Hoc anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo sexto Respublica literaria plurium Scriptorum Ecclesiasticorum mortem luxerat, atque inter eos primus erat Paulus Cortesius natione Italus & Protonotarius. Ignoratur equidem certa obitus sui dies, id tamen perspectum habemus, quod sub Pontificatu Julii II. floruerit, eidemque libros suos nuncupaverit. Merito ceterorum primus habetur, qui in quatuor voluminibus, quæ in libros sententiarum elucubraverat, quæstiones majori puritate, ac stylo elegantiori usus est; Anno Christi millesimo quingentesimo quadrage-

drageſimo Rhenanus hoſce libros typis excudi curavit, teſtaturque in ſua præfatione, illud eſſe opus, in quo an ſtyli elegantiam magis quam ingenium vix non divinum admirari fas eſſet, ſuſpenſus hæreret; diverſæ enim Theologorum opiniones a doctiſſimo hocce Viro paucis quidem verbis, ſed mira claritate ac perſpicacitate fuerunt expoſitæ. Ceterum quæſtiones, ordinemque Petri Lombardi ſequitur, ac ſuccincta methodo ad quamlibet quæſtionem Patrum & Theologorum ſententias revocat, terminos tamen adhibet ceteroquin Theologis minus uſitatos; ſtudioſe enim verba, quæ a latini ſermonis puritate aliena ſunt, declinare nitebatur. Porro Rhenanus hanc Corteſii elucubrationem tanti habuit, ut Pariſienſem Univerſitatem hortaretur, quatenus illius Auctorem ob rara ejusdem merita Sorbonnæ Doctoribus aggregaret. Sæcul. XVI. A.C. 1526.

Aliud inſuper opus poſteritati reliquit Paulus Corteſius; ſcripſit enim tractatum de dignitate Cardinalium, quem itidem Julio II. ſummo Pontifici nuncupavit, Simon vero Nardius Senenſis in arce Corteſiana Anno quingenteſimo decimo ſupra milleſimum publici juris fuit; Attamen ex tribus libris, quos hic tractatus complectitur, non niſi poſtremus de Cardinalibus agit;

Sæcul. XVI. A. C. 1526.

git; reliqui enim duo locorum communium collectionem complectuntur; de cetero autem hoc opus minori eloquentia elaboratum est, quam liber, quem in Lombardi sententias conscripsit. In eo Auctor de Cardinalium reditibus, eorum ædibus, ac domesticis differit; tractat quoque de illorum vivendi norma, de affectibus, quibus agitari solent, necnon de sermonibus, quos habere deberent: in pertractando tamen hoc argumento tam late excurrit, ut ejus oratio non minus ad Cardinales, quam ad ceteros quoscunque spectare videatur. In tertio libro propugnat, quod Ecclesiæ Status ex summo Pontifice, & Cardinalibus compositus ceteris omnibus perfectione præstet, majorque sit Sacri Collegii potestas, quam totius Corporis Ecclesiastici; insuper ibidem agit de Cardinalium officiis, prærogativis, legationibus, & de auctoritate, quæ illis tam vivente Papa, quam Sede vacante competit; tractat etiam de Sanctorum Canonisatione, indulgentiis, ac dispensationibus. Ubi autem de electione Pontificis differit, prolixo sermone discutit, an Papa a Deo seligi debeat, utrum illius electio ad solos Cardinales pertineat, ac denique, an deficiente Purpuratorum Collegio ejus electio ad Generale Concilium devolvatur? Nec silentio

silentio præterit causſas, ob quas sum- Sæcul XVI.
mi Pontificis electio nulla declarari va- A C. 1526.
leat: Describit etiam Sanctiorem Patrum Senatum, agit quoque de rebus ibidem pertractandis, de Simonia, de Ordinum Religiosorum Protectoribus, necnon de Conciliis, schismate, ac hæresi; ultimo tandem recensetquædam monita, quæ summo Pontifici suggerenda essent.

§. CI.

Christophori Marcelli mors.

Referunt nonnulli hoc item anno Chri- *Dupin. ibid.*
stophorum Marcellum vivis fuisse p. 131.
ereptum. Is erat Venetæ Reipublicæ Senator, postea vero Corcyrensis Archiepiscopus. Reliquit posteris quædam ingenii sui monumenta, inter quæ potissimum recensentur tres libri de ritibus & Cæremoniis Ecclesiæ Anno millesimo quingentesimo decimo sexto Venetis literis excusi; prodiit etiam Florentiæ anno Christi quingentesimo vigesimo primo supra millesimum tractatus de auctoritate Pontificis, quem Auctor Concilio superiorem affirmat. Scripsit denique commentarium in septem Psalmos Romæ impressum Anno millesimo quingentisimo vigesimo tertio. Huic equidem subjungi posset sermo,

Sæcul. XVI. A.C. 1526.

mo, quem in psalmum duodecimum elucubravit: verum ceteris omnibus palmam eripit liber de ritibus Ecclesiæ, quamvis inde graves sibi molestias accerseret Marcellus. Accusabatur enim, quod quemdam tractatum ab Augustino Picolominæo compositum ad verbum transscripserit; Parisius quoque de Graffis, ne Cæremoniarum liber publici juris fieret, omni ope & opera contenderat, caussatus, quod *Rituale*, ut vocant, divulgare nullatenus expediret, hancque ob rem contra illius Authorem Anno Domini millesimo quingentesimo decimo septimo apud Leonem X. summum Pontificem querebatur, hæc exponens: „ Recens electus Archiepisco„ pus Corcyrensis Sacrorum Rituum „ libros prælo subjecit, aut, ut verius „ loquar, eos publice corrupit, prosti„ tuitque: forte ea ex caussa, quod ad „ ejusmodi laborem vel minus esset i„ doneus, vel quod ex mercatore Veneto „ paucos ante dies in Clericum initia„ tus nullam de Sacris ejusmodi re„ bus peritiam ac cognitionem habuis„ set. Hinc quamprimum ab eo hosce „ libros typis vulgari perceperam, mox „ ad summum Pontificem accessi, gra„ viterque questus eundem supplex ro„ gavi, ut interposita auctoritate sua „ sacrilegis ejusmodi ausibus obicem pone-

„ poneret, nec ullo pacto permitteret, Sæc. XVI.
„ ut Sacræ & Apostolicæ Sedis ritus A.C. 15[illegible].
„ ac cæremoniæ, quæ hucusque sem-
„ per in reconditis Bibliothecæ Scri-
„ niis in Sanctitatis suæ Palatio reli-
„ gioſe asservabantur, sub ejusdem Pon-
„ tificatu promiscue omnium oculis
„ impressæ exponerentur. Equidem
„ Sanctitas sua precibus meis annuere
„ videbatur: Verum quidam hujus Au-
„ ctoris populares, qui in hoc negotio
„ partem habebant, eundem defendere
„ nitebantur, palam sciscitantes, quam
„ ob causſam Ecclesiasticorum rituum
„ Codices pari jure & ratione ac Missa-
„ lia & Pontificalia typis vulgare non
„ liceat? „

Ceterum summus Pontifex hanc causſam ad secretiorem Patrum Sena-tum remisit, donec vero decideretur, li-brum, qui jamjam sub nomine Marcelli prodibat, vendere prohibuit. Interfuit etiam Parisius Grassus Purpuratorum conseſſui, legitque prolixum sermonem a se compositum, quo comprobare nite-batur, a Cardinalibus minime toleran-dum esse, ut hoc pacto Christianæ Re-ligionis ritus promiscue divulgentur; fi-nita hac lectione Christophori Marcelli librum supprimi, illumque unacum ejus Auctore igne cremari petiit, obtendens,

Sæc. XVI. A.C. 1526.

ejusmodi librum innumeris refertum esse erroribus; cum vero hæc petitio nimium severa esset, facile se repulsam laturum prævidere poterat; quocirca cum omnes ob hujus postulati vehementiam attonitos cerneret, subjunxit, Auctorem saltem severa admodum castigatione dignum esse, unde rogare se, ut is debita pœna plecteretur. Equidem summus Pontifex supplicem Parisii libellum tribus omnino Cardinalibus examinandum commisit, nihilominus tamen hujus causæ exitus accusatoris expectationi minime collusit; quippe nec Marcelli liber, nec illius Auctor ad rogum fuere damnati, ac propterea, quamvis Papa mandatum, quo ejus librum vendi prohibuit, non revocasset, clam tamen quædam illius exemplaria distrahebantur, quæ etiam illo abhinc tempore iteratis prælis recusa fuere.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXXI.

CLEMENS VII. PAPA. CAROLUS V. OCCIDENTIS IMPERATOR.

§. I.

Papa datis literis contra Carolum V. conquestus.

Interea Papam inter & Cæsarem dissidia continuo fervebant, nec proximæ reconciliationis spes affulgebat. Jam anno præcedenti Clemens binas ad Cæsarem dedit epistolas, in quibus gravi- Sæc. XVI. A C 1527. *Guicc. l 18. Pallav. hist. Conc. Trid. l. 2. c. 13.*

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

graviter de eo queſtus eſt, & quidem in prima exprobravit Cæſari, quod Eccleſiæ ditiones & bona uſurparet, pacta a Sacra Sede cum Lanoyo inita adimplere renueret, & in Hiſpania æque ac in Neapolis Regno leges Romanæ Eccleſiæ noxias promulgaret, ac denique Borbonii Ducem cum exercitu in Italiam miſiſſet, ibidemque novas belli flammas accendiſſet. Præmiſſis hiſce querelis Pontifex aut pacem ſub honeſtis conditionibus, aut ſummam indignationem ſuam Cæſari propoſuit. In altera Clementis epiſtola, quæ moderato magis calamo exarrata erat, Papa ab omni objurgatione abſtinens neceſſitatem expoſuit fœderis, quod cum Angliæ & Franciæ Regibus atque Venetis inerat. „ Tuo jam, ſubjungit Papa, arbitrio re„ linquimus, utrum huic armorum ſo„ cietati & ipſus accedere velis, quod „ ſane conſilium rebus tuis abs dubio „ ſat propitium erit, mediumque cer„ tum, quo pacem Italiæ reddere, & „ temetipſum multis tumultibus ex„ pedire poteris, quos tamen ægre de„ clinabis, ſi ad alia conſilia animum „ adjicias. „

§. II.

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

§. II.

Reſponſum Cæſaris ad querelas Papæ.

Cæſar reſponſum ambabus Papæ literis valde appoſitum reddidit. In prima tamen epiſtola verbis admodum acerbis reſpondit, in altera vero longe humanioribus terminis uſus eſt. *Veſtræ Sanctitatis literæ*, inquiebat Cæſar, *noſtræ ac noſtrorum cauſſæ accerrimam damnationem præſeferunt, quæ profecto noſtræ in Apoſtolicam Sedem filiali obſervantiæ convenire non videntur, quinimo ab eo affectu & ſtudio, quo Chriſtianam Rempublicam ſemper complexi fuimus, ac illius incrementum pro viribus procuravimus, prorſus aliena cenſentur. Nonne Galliarum Rex Sanctitatis veſtræ impulſu, & ſuaſu de ipſo novo fœdere ineundo ſollicitabatur. Nominavimus equidem illuſtrem Borbonii Ducem, in eum Mediolanenſis Ducatus inveſiturum conferre parati, ſed hunc ipſum Ducatum per nos recuperatum, quem licite retinere poterimus, tot titulis, totque juribus fulti eidem conceſſimus. Franciſcus vero Sfortia in eodem Ducatu nullum jus poteſt prætendere, cum immemor beneficii in eum collati plura cum Gallis hoſtibus in Sacri Imperii dedecus, & detrimentum molitus ſit, ex cujus felonia, ſi quod jus in ea-*

Guicc. ibid.

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

dem Statu habuiſſet, ad Sacrum imperium devolvebatur. Nihilominus tamen pro Reipublicæ quiete ex noſtra mera liberalitate conſenſimus, eundem Sfortiam tanto munere dignum facere, eidemque Ducatus inveſtituram concedere. Nunc vero non tanta cauſſa doloris Veſtræ Sanctitati parata videtur, ſi Dominus vaſallum ingratum & læſæ Majeſtatis reum puniendum cenſeat. His præmiſſis ſubjunxit Imperator, quod leges, de quibus Papa queritur, eo duntaxat fine condidiſſet, ut jus patronatus ſibi ab Adriano VI. conceſſum tueretur, nec tamen inde querendi cauſſam haberet Papa; *ſi enim,* proſequitur Carolus, *eam ad rem recte advertat Sanctitas veſtra, comperiet, quod ea Imperio regnisque noſtris plusquam ex ceterorum omnium Regnis ac Dominiis ſimul junctis lucri & commodi Sedi Apoſtolicæ accedat; qualia autem ſint ea lucra, ex centum illis gravaminibus Nationis Germanicæ colligi poterit: quibus tamen ex ea devotione, & obſervantia, qua ſemper Apoſtolicæ Sedi affecti ſumus, nusquam aures præſtare curavimus, nec his animum adjicere. Si igitur Veſtra Sanctitas conſulere intendit publicæ quieti, deponat arma, quod & nos facturi ſumus. Si vero Sanctitas veſtra arma contra nos continuaret, & illorum depoſitioni non conſentiret, cum tunc non Patris, ſed partis, non Paſtoris, ſed invaſoris officium aſſumeret,*

meret, pro noſtra juſtificatione, & innocentia, omnia hucusque geſta ad ſacri generalis Concilii cognitionem & judicium remittemus. Nos enim cum ex his, aliisque ſat notoriis cauſſis turbari videamus Eccleſiæ ſtatum, ipſum Sacrum univerſale Concilium implorandum cenſemus. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

In altera epiſtola Cæſar majori moderatione uſus Papam obteſtatur, *ut Chriſtiani populi calamitatibus proſpiciat, nos enim,* inquit Carolus, *ipſum Deum teſtamur, pro virili ſemper conaturos eſſe, ut & Sanctitas veſtra, ceterique Chriſtiani Principes intelligant, nihil æque nobis cordi eſſe, quam Dei gloriam, ejusque populi ſalutem, pacem, & tranquillitatem ferventiori ſtudio in dies ſtabilire.*

§. III.

Cæſar datis ad Cardinales literis conqueſtus de Pontifice.

Interjectis aliquot diebus Cæſar ad Cardinalium Senatum dedit literas, quibus ſuas querendi rationes expoſuit, ac diſſidii cauſſas in Pontificem conjecit, eoquod fœdere cum Gallis inito pacem ſtabilitam turbaſſet, *cum tamen,* inquit Imperator, *nullum unquam Cæſarem nec Principem fuiſſe profiteamur, qui majori (ne tanta quidem) fide, ac obſervantia ſanctam Sedem Apoſtolicam veneratus, ac ceteris*

Saecul. XVI. A. C. 1527.

ris posthabitis majori studio ejus dignitatem tutatus sit; atque ideo importunas Germaniæ preces contra oppressiones, quas a Sede Romana pati, cum in Wormatiensi conventu essemus, passim conquerebantur, obturatis auribus pro innata nostra erga Apostolicam Sedem observantia audivimus. Spirensem etiam congregationem gravissimis pœnis prohibuimus; verebamur enim, ne hujusmodi conciliabulum Germaniam a Romani Pontificis obedientia diverteret; Germanis tamen polliciti sumus, quanto citius fieri posset, generalis Concilii indictionem fieri curaturos. Hac de re ad Pontificem scripsimus, qui tamen generalis Concilii petitionem in tempus magis conveniens differendam censuit. Si igitur Papa votis nostris in indictione Concilii generalis annuere negaverit, tunc sacrum vestrum collegium hortamur, ut Papa negante, aut plus æquo differente, vos debito ordine procedentes illius indictionem non differatis, protestantes, si quid inde incommodi, ac detrimenti Romanæ Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ accesserit, id non nostra, sed vestra culpa futurum. Si vero vos æquissima hujusmodi postulata nostra concedere negaveritis, nos pro nostra erga Deum gratitudine proque dignitate nostra Imperiali, quibus licebit remediis, ita in his pro viribus, providere curabimus, ut Christianæ Reipublicæ saluti, paci, & tranquillitati nullo modo defuisse videamur. Defe-

reban-

rebantur hæ literæ non modo ad summum Pontificem, sed etiam ad ipsos Cardinales exeunte Mense Decembri; ast per illas nec mutata fuit rerum facies, nec Pontifex adhucdum flecti poterat. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. IV.

Papa Venetique a Franciæ & Angliæ Regibus delusi.

Ceterum Imperator bellum contra Venetos adoriebatur, spe fretus, quod Franciscus I. validum exercitum submitteret, & Angliæ Rex irruptione in Belgium facta vel hostem alio divertere, vel saltem pro more suo ad belli sumptus pecuniarum subsidia suppeditaret; quippe Anglus in præcedentibus bellis tanta facilitate aurum opemque præstabat, ut Fœderati, quamvis nec sancita pace nec factis induciis Angliæ Regis commoda procurare studerent, nihilominus in ejus pecuniis velut in certo auxilio fiduciam suam reponerent. Attamen mutata temporis, rerumque vicissitudine Henricus propriæ experientiæ magisterio sapere incæpit, nec ultra aliorum compendia cum proprii æris damno promovere statuit; accessit etiam, quod ærario Patris sui penitus exhausto, non

Sæcul. XVI. A. C 1527. nisi ægre admodum a suo Senatu subsidia impetrare posset. Cum igitur Francorum Rex Henricum ad opem ferendam haud amplius, ut olim, adeo propensum cerneret, arctiorum cum eo amicitiam contrahere differebat, donec de ejusdem suppetiis certus esset. Haud equidem Franciscum latebat, quod Henricus remissiori, quam antea studio Cæsari faveret, hoc tamen nondum sufficere ratus, eundem quoque Italico fœderi adscribere statuit; sat enim perspectum habebat, quod sine Angliæ Regis subsidio Franciæ Regnum, cum tamen pecuniis, milite & Belliducibus exhaustum esset, toti expensarum moli succumbere cogeretur. Hac ratione permotus Gallorum Rex, futuri fœderis metum Cæsari inspirare, eumque eo inducere nitebatur, ut portionem, quæ tantumdem ac Burgundia valeret, sibi a Gallis oblatam acceptaret. Interea vero Franciscus bellum in Italia continuo urgeri satagebat, donec Carolus Imperator vel ejus consiliis acquiesceret, vel Anglorum Rex Gallorum studiis penitus sese devoveret.

§. V.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

§. V.

Pontificis inquietudo ob utriusque Regis tergiversationem.

Franciscus hac spe fretus, studiose promissorum amplitudine Papam, Venetosque fascinabat, ne diuturnioris moræ tædio affecti a fœdere resilirent. Verum ad exequendum ejusmodi consilium Regi dexteritas defuit; quippe ad firmandum hoc fœdus, cujus tamen ipse auctor, caputque extitit, nonnisi paucas admodum copias ductore Salutiarum Marchione suppeditabat. Quocirca tam Galli, quam Angli Regis cunctatio non parum turbabat Pontificis animum, simulque Henricum, ut Ecclesiæ defensionem in se susciperet, vehementer stimulabat: sed nonnisi responsum generalibus verbis conceptum tulit; aliunde vero immodicæ prorsus expensæ, quibus ferendis impar erat, Papam in extremas conjiciebant angustias. Equidem indolem a Medicæis, ex quorum prosapia ortum duxerat, valde diversam habebat; illius enim Majores, nullo excepto, extra modum, ac privatorum conditionem magnificentia & sumptu prodibant, suaque pompa Florentinis quoque non raro invidiam inspirabant: Ex adverso Papa tanto-

Sæc. XVI. A.C. 1527.

tantopere a profusioribus expensis abhorrebat, ut persæpe doleret, quod eo temporis rerumque concursu in Papam fuisset electus, ubi pecunias frequenter mutuas accipere, necessitas urgeret, cum tamen potiorem redituum partem sibi potius reservare decreviſſet. Augebatur vero ejusdem sollicitudo, cum illi onus incumberet, geminum alendi exercitum nonnisi ex alienigenis conflatum, qui ad præfixam horam sua exigebant stipendia, & aliunde sub Ecclesiasticorum imperio militare exosi, facile relictis Papæ vexillis ad Cæsaris castra transire timebantur. Equidem Ecclesiæ ditionibus insolita imponebantur tributa, verum Papæ Ministri seditionem populi pertimescentes, ægre admodum illa exigebant, eaque pendi remissius instabant.

§. VI.

Inducia Pontificis cum Prorege Neapolitano pacta.

Mem. du Bellai l. 3. Pallav. hist. Conc. Trid. l. 2. c. 14. p. 200.

Cum vero præter ejusmodi exactiones ad prosequendum bellum, aliunde sumptuosissimum Pontifici nil reliquum esset, ideo secreta cum Prorege Neapolitano consilia fovebat. Veneti, quæ clam agerentur, edocti, vero similem inde hauriebant obtentum, ut imposterum

posterum segnius ad arma procurrerent; verebantur enim, ne Pontificis mutabilitate eorum conatus successu frustrarentur; hanc ob caussam ultro Mediolanum tueri cessabant, quamvis e re sua maxime fuisset, ut Cæsarem ab hujus ditionis imperio arcerent. Urgebat insuper Lanoyus Pontificem, ut concordiæ pacta iniret; unde Clemens, ubi a Borbonii Duce exercitum Romanæ urbi admoveri perceperat, inducias acceptavit per Cæsarem Fieramuscam Neapolitanum oblatas, qui Proregis negotia procurans Papam aliunde sat propensum nullo ferme negotio ad sua vota inclinabat. Inducciarum conditiones erant sequentes I. octo mensibus ab armis cessabitur. II. Borbonii Ducis copiis Papa sexaginta nummum aureorum millia numerabit, scilicet, infra mensem quadraginta, evoluto autem octiduo reliquam summæ partem. III. Pristinis eorum Dominis omnes reddentur urbes, quæ Sedi Apostolicæ, Cæsari, & Columnensibus fuerunt ereptæ. IV. Cardinalis Columna in dignitatem, unde decidit, restituetur. V. Si Franciæ Rex, Venetique huic fœderi accesserint, confestim Germani ex Italia discedent, secus autem, Carolus Imperator suas copias duntaxat a Pontificis & Florentinorum ditionibus revoca- Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Sæcul. XVI. A.C. 1527. vocabit. VI. Denique Lanoyus Romanæ urbi appropinquabit, ac Borbonio Duci iter versus Etruriam occludet.

§. VII.

Pontificis copiæ pactis induciis dimissæ.

Guicc. ibid. Promulgatis hisce induciis Papa copiis suis missionem fecit, ac nonnisi duo peditum millia præter centum equites retinuit, classem quoque suam revocavit, atque triremes armorum apparatu spoliari jussit. Idem etiam fecerunt Veneti. Interea vero Valdemontius Comes Lotharingiæ Ducis frater ex Andegavensi familia ortus cum Papæ ac Venetorum triremibus jamjam Salernum, ac Surrentum occupaverat, quas tamen urbes rursum relinquere jubebatur, quæ res Valdemontio permoleste accidit, eo potissimum nomine, quod a Neapolitanis magni habitus, facile Andegavensis factionis reliquias ope & consilio redintegrare potuisset. Ceterum improvido prorsus consilio Papa ab armis discesserat, cum nondum explorata haberet Borbonii consilia, qui jam jam versus Bononiam progressus, tam validum ducebat exercitum, ut præter quingentos cataphractos, duo circiter equi-

equitum millia, & ultra mille Germanos, ac quinque Hiſpanorum millia recenſeret; quibus inſuper accefferant duo millia peditum Italorum, ac numeroſus ejusdem gentis Equitatus levioris armaturæ: Hoc anno Menſe Februario hic exercitus Placentia caſtra movit, aſt pecunia, commeatu, curribus, imo & tormentis deſtitutus, non niſi tributis, quæ Borbonius in itinere urbibus imponebat, alebatur. Unde milites ſtipendiorum penuria preſſi ſeditionem concitarunt, ac ipſas etiam ſarcinas deprædati ſunt, quinimo mortem quoque Borbonio minitabantur, niſi eis pro ære militari opimam quamdam urbem deprædandi libertatem ultro daret, qua conceſſa quidem militum ſedata eſt ſeditio, ipſe tamen Dux Bononiam ingredi prohibebatur, eoquod Salutiarum Marchio urbi duodecim armatorum millia impoſuiſſet. Nec benigniore utebatur fortuna, ubi Florentiam aggredi tentabat. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. VIII.

Borbonii Dux induciis obluctatus.

Cum Borbonius Florentiæ appropinquaret, inducias fuiſſe pactas comperit, hoc tamen nuntio minime territus illis accedere conſtanter renuit, eoquod

Sæc. XVI. A.C. 1527.

eoquod promissa pecuniarum summa ad solvenda militibus stipendia haud sufficeret. Hanc ob rem Neapolis Prorex, qui tum Romæ agebat, Florentiam contendit, a quodam Belliduce, quem Dux eo decreverat, ideo exceptus, ut cum eo hac super re conferret. Intenderat Prorex Borbonium ad acceptandas inducias compellere, eo potissimum ex fine, ut postmodum cum Cæsaris exercitu in Venetorum ditionem irrumperet; Jam utrinque conventum, ut Borbonius evolutis quinque diebus pedem referret, eidem vero mox octingenta, proximo autem Mense Majo alia sexaginta aureorum millia numerarentur. Pontifex has conditiones a Borbonio acceptatum iri confisus, duobus etiam illis, quæ prius retinuerat, armatorum millibus missionem fecit, ut sumptibus in eorum sustentationem faciendis parceret.

§. IX.

Borbonius copiis suis Romanæ Urbis deprædationem pollicitus.

Mem du Bellai l. 3. Paul. Jov. de expugn. Romæ.

Attamen Borbonii Dux summo Pontifici turpiter illusit, Romamque infestis armis invadere statuit, ut urbem hanc ampliſſimam juxta ac opulentiſſimam

mam militum suorum deprædationi relinqueret. Suggesserat primus audax hoc consilium Georgius Fronsbergius, qui Cæsaris nomine Archiducis copiis imperabat, atque Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo sexto propriis suis impensis copias conscribebat præter illas, quas nomine Cæsaris ducebat, ex quibus ferme duodeviginti millium exercitum conflavit, & Mense Octobri Romam contendit. Sæcul. XVI. A.C.1527.

§. X.

Georgii Fronsbergii Comitis obitus.

Verum vix Fronsbergius Ferrariam attigerat, cum ibidem hoc anno Mense Martio apoplexia tactus obiret. Tam præclari Belliducis jacturam Borbonius, qui jamjam Ferrariæ agebat, vehementer planxit, adeo tamen propterea a suscepto consilio non destitit, ut etiam Fronsbergii copiis suas jungens, totius exercitus imperium in se susciperet, ac superatis Aretinis montibus milites suos habita oratione alloqueretur, declarans, eos ad subigendam Romanam urbem esse profectos. Ingens erat totius exercitus lætitia, quam opimæ prædæ spes non parum auxerat. Igitur Borbonius in Romandiolam ef- *Sleidan. in comm. l.6.*

Sæcul.XVI. A C.1527.

funditur, quam æque ac Bononiam fœde devaſtavit, poſtea vero die quinta Aprilis prope Forum Livii caſtra metatus eſt, ubi Meldoſam cepit, ſibique exinde verſus Baynucavallum viam aperuit, ac ſpreta pluviarum injuria, & fluminum exundatione per hanc vallem, indeque ad aliam prope Arnum progreſſus, Apennini Alpes ſuperavit, quicquid vero hoc in itinere obviam habuit, ferro flammaque vaſtavit, ac longa caſtrorum ſerie Aretinos agros emenſus eſt, inde autem die vigeſima ſexta Aprilis profectus, Romam contendit, ubi etiam verſus quartam diei horam veſpertinam die quinta Maji advenit.

§. XI.

Borbonii Dux Romam aggreſſus.

Eodem die Borbonius ſimulato itinere verſus Neapolin Fecialem ad Papam, qui tranſitum per Romanam urbem peteret, decrevit: cum autem repulſam ferret, congregatis præcipuis Belliducibus hæc expoſuit: „ Nunc opportunum adſpirat „ tempus, ut fractas reficiatis vires a „ laboribus, quos ante Romanæ urbis „ conſpectum exantlaſtis; nullum jam „ deliberandi ſpacium ſupereſt, aut mo„ ri, aut Romam vi capere oportet, „ verum

Sleid. in com. l. 6. p. 179. Cochl. in act. & ſcript. Luth. ann. 1527. p. 166.

„ verum macti virtute estote; quippe „ vobis non nisi cum viris effæminatis „ dimicandum, qui voluptatibus im- „ mersi, animo rerumque experientia „ destituuntur, nilque de Romanorum „ fortitudine præter nudum nomen, „ quod & ipsum ignavia sua commacu- „ lant, reliquum habent; nunc vero in „ fortitudinis vestræ præmium vobis „ victoria paratur, totiusque urbis divi- „ tiæ offeruntur. „ Hac oratione Duces æque ac milites ad expeditionem fuere animati, unde postera die Dux oriente luce exercitum suum favente densissima nebula suburbio, ubi templum S. Spiritus situm est, admovit. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. XII.

Irruptio in urbem facta.

Post hæc Borbonius urbis loca minus munita, murosque depressiores solerter explorabat, atque ita aciem disponebat, ut uno tempore trinum in urbem impetum faceret; quippe Hispani a porta Torrione usque ad montem Vaticanum, qui Ecclesiam S. Spiritus spectat, Germanorum vero potissimi paulo inferius ad radices hujus montis versus meridiem sese extendentes binam aggressionem facere jubebantur. Tertiam denique oppugnationem par-

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

tim Germani, partim Itali in monte Janiculo prope portam S. Pancratii urbi inferebant. Admoventur itaque mœnibus scalæ circa horam diei sextam eodem tempore, quo caligo, quam effuderant montes, proximum quemque, etsi quarto duntaxat passu distaret, conspici prohibuit.

§. XIII.

Borbonius in Urbis invasione occisus.

Paul. Jov. de expugn. Romæ. Guicciard.

Romani urbem invicta prorsus virtute tuebantur, nec faustis primis obsessorum auspiciis defuit eventus; cum enim Cæsareæ legiones confertæ, & quasi cohærentes starent, tormenta, quæ ex arce S. Angeli explodebantur, ingentem eis stragem inferebant; insuper Rentius Ceres, cui præcipua urbis propagandæ cura erat commissa, præter recens conscriptos, etiam veteranos milites, numero licet paucos in mœnibus collocabat, qui provolutis ingentibus saxis, trabibusque oppugnatores unacum eorum scalis protriverunt. Accurrerat Borbonius, ut suos animaret, ipsisque viam ad urbem ostenderet, quinimo ipsus scalam muro admovens, suos contentiori voce hortabatur, ut & ipsi Ducis sui exemplum sequerentur.

Verum

Verum vix hæc effatus, sclopeto in femur ad inguem ictus in fossam cecidit, atque ad castra delatus ibidem eodem ferme momento animam exhallavit, ætatis suæ anno trigesimo octavo nondum emenso. Corpus ejus delatum fuit Cajetam in Neapolis Regnum, ubi hodiedum sepulcralis ejus inscriptio (*) Hispano idiomate expressa legitur (**). Eodem

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

(*) Hoc Epitaphium Hispana lingua scriptum sic sonat: *Francia me diò la leche, Espanna suerte y ventura, Roma me diò la mecerte, y Gaeta la sepultura,* latine vero ita reddi posset: *Francia dedit mihi vitam, Hispania sortem & fortunam, Roma dedit mortem, & Cajeta sepulturam.*

Aliud insuper latino idiomate exarratum legitur hoc tenore:

Auctо imperio, Gallo victo, superata Italia, Pontifice obsesso, Roma capta, Carolus Borbonius hic jacet.

(**) Singulare est, quod Borbonii morte Heuterus lib. 9. c. 7. his verbis refert: *Obvenit illi mortis genus, quod sibi ipsi ante paucos menses fuerat imprecatus. Cum enim Mediolanenses miseriis suis remedium precarentur, pollicetur se exercitum Urbe eductурum, si in stipendium triginta millia aureorum nummum contulissent: quod quamquam exhaustis difficilli-*

Sæcul XVI A C. 1527

Eodem fato Borbonii Ducis Armiger Brideus nomine penes Dominum suum occubuit. Ceterum Borbonius Patrem habuit Gilbertum Montpenserium, qui Neapolis Regno pulsus captusque, Puteoli extremam clausit diem. Anno Christi millesimo quingentesimo quinto die decima Maji uxorem duxerat Susannam, quæ unice filia, & hæres Petri II. Borbonii Ducis, & Annæ de Francia Anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo primo die vigesima octava Aprilis vivis erepta est, postquam tres filios genuerat, qui tamen omnes teneris adhuc annis obierunt, unde Borbonio Patri nulla proles vita superstes relicta fuit.

§. XIV.

---

mum erat, facturos tamen se recipiunt, si non ut alias sæpe, fides falleretur. Tum Borbonius: si id (inquit fecero, prima peto mihi pugna hostilis tormenti globus vitam eripiat. Accepta pecunia fidem Mediolanensibus violavit, ac prima post id tempus pugna, quæ ad mœnia Romana fuit edita, tormenti hostilis globo trajectus occubuit. Confirmat hoc Guicciardinus *lib.* XVII *pag.* 675. Haraeus *ad a.* 1527. Bellajus *lib.* III. *pag.* 88.

Sæcul. XVI
A.C. 1527.

§. XIV.

Romanæ Urbis deprædatio, Papa in arcem S. Angeli profugus.

Cæsum Borbonium Princeps Arausicus, qui illius locum tenebat, pallio jussit operiri, ac solerter ejus mortem occultavit, ne milites Ducis sui obitu perterriti ab oppugnatione desisterent; quapropter nonnisi capta urbe illius mors innotuit. Interea vero Arausicus susceptο exercitus Imperio suam, suorumque avaritiam ut satiaret, Romanam urbem iterata aggressione invadere præcepit; unde certamine ad duas horas protracto per illatam muro ruinam Cæsarei suburbium intrarunt, nullo ferme obsistente, eoquod Gibellinæ factionis potissimi sese in ædibus suis quiete continerent, spe concepta, eos ea lenitate habendos, quam sub Columnensibus experti fuissent. Ast militum rabies promiscue in omnes desæviit. Cum enim Hispanorum nonnulli per quamdam fenestram, quæ in ædibus muro vicinis ad explodenda tormenta deserviebat, penetrarent, mox stricto ense plateam obsident, ac soli irruunt in Rentii Ceris copias, quæ hac ex parte stationem agentes confestim unacum Duce suo fuga dilapsæ sunt, quamprimum

Ciacon. in Clem. VII. p. 447. Duchesne ib. p. 390. Mem. du Bellai l. 3. Mezerai abrege chron. t 4. p. 336.

Sæcul XVI. A C. 1527.

hasce voces inaudierant: *Vivant Hispani! occidite, jugulate, nemini parcite!* Trucidati fuere ex fugientibus tria ferme millia, & Prætoriana cohors Helvetica, cum furentibus resisteret, ante Pontificis Palatium profligata est. In hoc tumultu summus Pontifex ope adjutus suorum equitum, quos custodiæ caussa penes se habebat, facile per portam Vaticano proximam fuga sese periculo eripere, atque ad quoddam Ecclesiasticæ ditionis propugnaculum confugere potuisset, verum a Bernardo Pallavicino (*) sese decipi sinebat, qui eidem Auctor erat, ut se in arcem S. Angeli reciperet, ubi etiam cum aliquot Cardinalibus atque Legatis sese inclusit, urbemque omni præsidio destitutam reliquit.

Ciac. in Clem. VII. tom. 3. p. 447
Duches. hist. de Clem. VII. p. 390
Mem. du Bellai l. 3.
Mezerai abregé chron. t. 4. p. 336.

§. XV.

Hostium sævitia Romæ.

Cum Romani nonnisi ignava manu hostilibus copiis resisterent, hæ omnem suam crudelitatem eo facilius explebant. Nulla facies mali deerat, & Romani experiebantur, quicquid a furioso ac dissoluto milite, data impune sæviendi libertate, timeri poterat. Diripiun-

Guicc. l. 18. Pontan. l. 3. Cæsar. Glorieri de dirept. urbis.

(*) Spondanus, & alii hunc vocant *Berardum Patavinum.*

ripiuntur civium ædes, expugnatur virginum juxta ac Matronarum pudicitia, res ſacræ turpitudine violantur, nec ipſa templorum adyta a prædantium manibus protexit Religio: Tantam immanitatem Hiſtoricorum nonnulli ſolis attribuunt Lutheranis, qui ſub Fronſpergii vexillis militabant, non deſunt tamen plures, qui Hiſpanos ipſis Germanis vix humaniores fuiſſe affirmant. Ceterum tot tamque immania perpetrabantur crimina, quanta qui oculis non ſubjecere, animis concipere non poſſunt; exceſſerat longe facinorum fœditas omne impietatis, ac ſævitiæ genus, quod priſcis temporibus Roma octies capta ſuſtinuerat. Quinimo addunt nonnulli Scriptores, quod octo hæ deprædationes ſimul junctæ tot divitias Romanis non eripuerint, quam hæc ſola; nunquam enim Romana urbs majori opum abundantia præcipue in Eccleſiis inclaruit, quam illo eodem tempore. Nihilominus templa penitus diripiebantur, vaſa ſacra convertebantur in uſus profanos, Matronæ non modo in ſuis ædibus ab hoſtili petulantia ſeſe ſubtrahere non poterant, ſed eas ad ipſa templi adita confugientes nequidem ſacrorum Religio furentium manibus eripere poterat; promiſcue per omnes ordines, ætatesque victoris libido ac licentia vagaba-

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Sanſovin. lib. 15. Rayn. ad an. 1527. n. 18. & 19.

Sæcul. XVI A. C. 1527.

gabatur, verbo, ipsa templorum Sanctitas nonnisi ad augendam atrocitatem criminum, quæ ab hisce sacrilegis perpetrabantur, deservire videbatur. Præcipue vero Lutherani rabiem suam in Basilicam S. Petri effundebant; eruebant e suis monumentis summos Pontifices, ut mortuos etiam contumeliis afficere possent, Sanctorum quoque corpora ex suis thecis extrahebant, pedibusque conculcabant, ac denique Sacellum Pontificium in equorum stabula commutabant.

Cives vero, quos casus militum gladiis eripuerat, omnibus bonis suis spoliabantur, & nihilominus auro vitam redimere jubebantur, imo insatiabilis hæreticorum avaritia eo processit, ut ad extorquendas pecunias etiam cuncta adhiberent supplicia, quæ olim Paganorum crudelitas per trecentos annos contra Christianos adinvenerat. Potissima civium pars sub ipsis tormentis animam reddiderat, reliqui vero mortem ideo duntaxat effugerant, ut vitam inter miserias diutius traherent. Hispani quoque ac Itali Germanos, qui Lutherana hæresi infecti erant, crudelitate atque avaritia superabant; unde præcipue immani sævitia grassabantur in Viros dignitate ac divitiis magis conspicuos, in Præ-

Sæcul. XVI. A C. 1527.

Præſules, Epiſcopos, Abbates, Magiſtratus, Campſores, & Mercatores, quorum alii horrendum in modum cruciabantur, alii vel pedibus ſuſpenſi, vel igne cremati, aut loris crudeliter laniati torquebantur, ut immodico lytro, cui tamen ſolvendo impares erant, libertatem ſuam redimere compellerentur, quocirca non pauci, ut uno interitu a tot malis ſeſe liberarent, ſemetipſos interimebant, aut furioſorum manibus elapſi per feneſtras in plateam ſeſe præcipites agebant, ubi eorum cadavera inhumata relinquebantur.

Refert Cochlæus, *quod milites Papæ, Cardinalium, Præſulum, ac Presbyterorum veſtes & pileos in eorum opprobrium induiſſent, ac aſinis vecti per urbis plateas ſupplicationes inſtituiſſent, ut Religionem ludibrio exponerent.* Cochl. *in act. Luth ann.* 1527. *p.* 167. Inſuper Pontificis veſtimenta petulans quædam hæreticorum cohors abripiebat, & eorum non pauci illa æque ac Cardinalium veſtes induti in conclavi ſeſe congregabant, atque exauctorato Pontifice, quem nondum in manibus habebant, fictum creabant Papam, necnon omnium ſuffragio Lutherum Hæreſiarcham ad ſacram Petri Cathedram nominantes, eundem Papam proclamabant. In quo inſano facinore illud plane ſingulare eſt, quod Luthera-

Sæcul. XVI. A.C.1527.

therani, cum antea Pontificiam præcipue dignitatem millenis satyris execrarentur, jam se Lutheri sui merita haud dignius extollere posse existimaverint, quam si eidem fictum saltem summi Pontificatus honorem tribuerent.

Hæc urbis Romanæ deprædatio, quamvis solidum omnino bimestre teneret, quod plane in nulla urbis oppugnatione unquam factum fuisse legitur, nondum tamen militum avaritiam satiasse videbatur, sed prædæ aviditas ad omnes circumvicinas Regiones sese extenderat, non sine ingenti fœderatorum ignominia, qui Borbonii Ducis copias armis suis propellere adeo non erant intenti, ut etiam ad remotum valde locum sese reciperent, unde vix eorum, quæ Romæ gerebantur, notitiam, nec deplorandum cognoscebant statum, in quo ipsemet Pontifex, quem per summam ignaviam dereliquerant, conjectus esset.

Cum vero arx S. Angeli exiguo admodum commeatu instructa esset, & cibaria inferre, hostium excubiæ prohiberent, ea, quæ supererant, brevi consumpta fuere; inde summus Pontifex cum suis ad extremas redigebatur angustias. Refert Paulus Jovius, quod vetula quædam Papæ ac ceterorum indigentiam

Paul. Jov. hist. l. 26.

mise-

miserata lactucam imposuerit cophino, qui ad recipienda, quæ illis dabantur, ex fune per murum demittebatur, additque idem Scriptor, quod Hispani exercitus Bellidux re comperta hanc mulierem ante ipsam portam arcis S. Angeli laqueo suspendi jusserit. Hac immanitate summus Pontifex, qui illius ocularis testis erat, per sex omnino dies tam ingenti dolore afficiebatur, ut indignationi suæ cedens, voto se obstringeret, quondam eodem supplicio hunc Belliducem castigatum iri. Sub idem tempus Cardinalis Puccius ex arcis custodia sese subtrahere moliebatur, verum equo vix conscenso in terram decidit, cum autem pedem stapedi adhuc implicitum haberet, equus calcari, quo acrius pungebatur, incitatus, cursum prosequebatur, ac Cardinalem secum per ductilem arcis pontem raptabat.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

La Bizardiere hist. gest. in Eccl. mem. p. 16. decad. 2.

Porro Veneti Senatores accepto captæ urbis nuncio, non parum de vita summi Pontificis solliciti erant; quapropter missis Oratoribus Urbinatis Duci negotium dabant, extrema quæque tentaret, ut Papam in libertatem assereret. Adeo severa erant Venetorum jussa, ut Dux rupta omni mora exercitum admovere cogeretur, ac Urbevetum usque modicis tamen itineribus progrederetur;

Sæcul XVI. A.C 1527.

tur; demum ad ipsam etiam arcem S. Angeli, quæ ab hostibus jamjam cincta erat, se penetraturos spondebant Salutiarum Marchio, & Guido Rangonius Comes, Pontificii ac Gallici exercitus Duces, dummodo Urbinatis Dux mediam itineris partem conficeret, & reditus securitati prospiceret. Ipse vero se quidem horum consilium ratum habere simulabat, illius tamen executioni defuit, ac tergiversationibus studiose quæsitis rem ad alteram diem differri jussit.

§. XVI.

Fœdus Gallos inter & Anglos.

Recueil des traitez de Leonard t. 2. & du Tillet act. publ. d' Angl. tom. 14. p. 195.

Exiguo ante urbis deprædationem tempore Franciæ & Angliæ Reges fœdus inibant, quo utrinque conventum. I. communi opera ambo Reges ad Cæsarem Legatos decernant, qui duos Franciſci I. Filios adhuc obsides pactis conditionibus liberari peterent, eo autem id renuente bellum Imperatori nunciarent. II. quiscunque Principum Cæsari opem ferret, Regis utriusque hostis declaretur. III. Papa Venetique hoc fœdere comprehendantur, ea tamen lege, ut bellum in Italia prosequerentur. IV. Hæc armorum societas nil obsit Moorensibus pactis. V. Denique Henricus tam pro se, quam pro Successori.

foribus ſuis cedat omni juri ac titulo, quem non modo in Franciæ Regnum, ſed generatim in cuncta, quæ Franciſcus I. nunc poſſidet, habere contendit, proin Rex ei hac de re nullam omnino moleſtiam inferat. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Viciſſim Franciſcus Galliarum Rex pro ſe ſuisque Succeſſoribus ſpondebat, ſe Anglorum Regi, cunctisque, qui eidem ſucceſſuri eſſent, quotannis penſionem quinquaginta aureorum millium bina ſolutione, nimirum prima Maji ac Novembris die numeraturum; præterea ſancitum, quod prima ſolutio nonniſi poſt Henrici Regis obitum fieret, ea tamen lege, ut ſi vigeſies centena aureorum millia, quæ in Moorenſi tractatu promiſſa fuere, poſt Angliæ Regis mortem necdum integre fuiſſent ſoluta, reſiduum ejusdem Succeſſoribus numeraretur, ac inſuper Galliarum Rex quotannis Henrico Broregienſem Salem pro pretio quindecim aureorum millium daret. Porro hæc pacta, ut perpetuæ ac inviolabilis legis vim obtinerent, ab utriusque Regni Ordinibus conſenſu ſuo firmari jubebantur, & quidem in Anglia a cunctis Juſtitiæ Curiis, in Gallis vero ab omnibus Archiepiſcopis, Præſulibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, aliisque Proceribus, præter

Mezerai abregé chron. vie de Franc. I. t. 4. p. 337.

Sæcul. XVI. A.C.1527.

præter ipsas Curias, Parisiensem, Tolosanam, Rothomagensem, & Burdegalensem. Præterea mutuo consensu agebatur de nuptiis Mariæ, quæ Regis Angliæ filia aut Francisco I., aut Henrico Aurelianensis Ducis filio secundo genito desponsaretur; necnon de connubii pactis tractaretur in colloquio ab utroque Rege prope Caletum habendo, simulque hoc fœdus promulgaretur, ut Cæsar a juribus suis in Burgundiæ Ducatum desistere compellatur. Hæc utrinque Londini concluſa die trigesima Aprilis mutuo consensu firmata fuere.

§. XVII.

Hujus fœderis articuli post Romæ deprædationem mutati.

Paulo post firmatum hoc fœdus Romanæ urbis expugnatio ac deprædatio, necnon summi Pontificis captivitas innotuit, quocirca ambo Reges consultum fore censebant, ut articulus de bello in Belgium movendo mutaretur, ac deinceps arma nonnisi Italiæ inferenda decernerentur; sancitum igitur, ut nulla mora Franciscus I. triginta peditum millia, ac mille cataphractos eo duceret, eoquod Anglorum copiæ non sine ingenti labore, ac nonnisi post longam moram illuc transferri possent; viciſſim vero

vero Angliæ Rex singulis mensibus aliquam pecuniarum summam persolveret, quæ ad exercitum usque ad finem Mensis Octobris alendum necessaria foret. Postrema hæc pacta firmata ac subscripta fuere Westmonasterii die vigesima nona Maji, circiter tertia post captam urbem hebdomada, quo tempore elapso quantocius fœderi exequendo manus admovebatur. Sæcul. XVI. A. C. 1527.

§. XVIII.

Cæsar Romæ deprædationem, & Papæ captivitatem edoctus.

Sub idem tempus Carolus Imperator nuncium accepit, Romam a militibus vastatam, ipsumque Pontificem ad arcem S. Angeli fugere compulsum, ibidemque obsessum teneri; tot calamitatum fama se graviter commotum simulabat Imperator, qui tum Vallisoleti agens jam antea festivos ignes accendi jubebat in signum lætitiæ, eoquod uxor ejus filium Philippum hujus nominis primum feliciter enixa esset. Ast quantocius festivam aulæ pompam in vestes lugubres commutavit, publicas preces, ac solemnes supplicationes instituit, ut misericors Deus tanta mala ab Ecclesia sua avertere vellet, verbo, nihil eorum intermisit, quibus immen- *Pallav. hist. Conc. Trid. l. 2. c. 14. p. 220.*

Sæcul. XVI A.C.1527. so dolore se oppressum fingeret (*), cum tamen omissis ejusmodi signis sensum doloris præseferentibus æquius Religio-

si

(*) Ejusmodi simulatio non sine gravissima injuria Cæsari piissimo attribuitur. Continuator quidem hanc in rem allegat Pallavicinum; qui tamen loc. cit. hæc habet: *Cæsar tam gravis, & inopinatæ rei nuncio anceps hæsit, hinc horror ejus animum occuparat ob innatam Religionem, offensionemque populi Christiani: Intelligens præterea libertatis Pontifici reddendæ beneficium longe impar offensionis gravitati, futuram timebat a tanto hoste libertati reddito parem injuriæ vindictam. Quapropter facinus execratus copiarum Ducibus injunxit, ut ea ratione Pontificem liberarent, qua militibus stipendia persolverentur, sibique cautum foret, ne quid ex ea Indulgentia detrimenti esset passurus. Sed hæc ambigua Cæsaris mandata inhumaniore subtilitate sunt interpretati & executi Duces Cæsariani, adeoque plures menses in custodia Pontificem habuere.* Hæc ille, Palatius quoque in vita Caroli V. disertis verbis affirmat, *quod Cæsar* non ficta simulatione *Romani Pontificis calamitatem detestari videretur, ut quam neque suo ab imperio profectam diceret, quocirca datis ad Galliarum Regem, cujus offensionem formidabat, literis purgare facinus conabatur.* Sleidanus quoque cum Surio pag. 157.

Ray-

si Principis famam sibi conciliare po- Sæcul. XVI.
tuisset, si eodem tempore Papam libe- A.C.1527.
rum dimitti jussisset, quem ex adverso
sex omnino mensibus tamdiu captum
detinuit, donec illum suis votis obsequi,
ac conditiones, quascunque ei præscri-
bere lubebat, acceptare compulisset;
tunc demum externa hæc mæstitiæ sig-
na a sinceritate multum aliena fuisse
apparuit.

§. XIX.

Cæsaris consilium de Papa in Hispaniam abducendo.

Hæc agendi ratio tantopere Romanis displicuit, ut publice plures famo-

Raynaldo ad an. 1527. Massenio l. 2. p. 156. & Jacobo Valdesio de dignitate Hispaniæ c. 22. §. 39. hæc habet: *Cæsar factum hoc diligenter excusans, nullo suo mandato accidisse dicebat: imprimis autem ad Angliæ Regem ea de re scribit; & quamquam istud certo credat justo Dei judicio contigisse, qui vim & injuriam sibi factam sit ultus, operam tamen se daturum ait, ut hæc ipsa clades initium sit & occasio salutis Reipublicæ. Cum in Hispaniam esset allatus ejus rei nuntius, illico cessare Cæsar jussit ludos atque spectacula, quæ propter recens natum ei filium, edebantur.* Eadem testantur Historicorum plurimi, apud quos hujus simulationis nulla fit mentio.

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

fos libellos adversus Cæsarem affigerent, atque inter cetera figmenta Pasquinum introducerent, perinde acsi a Marforio interrogaretur: *Quid Imperator Carolus V. in Hispaniis ageret?* cui ille respondit, quod *Papæ captivitatem deploret*, ubi vero Pasquinus reposuit: *Cur eum ergo in libertatem non asserit?* Marforius dixit: *Carceris claves tam arcte cordi ac Cæsaris commodis infixæ sunt, ut eas fictis lacrimis tradere nolit, quis hujus rei eventus esset, adhuc ignarus.* Nec id a vero abludere videbatur; quippe dum de eo liberando consilia agitabantur, Cæsar, si tamen Guicciardino fides, Papam in Hispaniam ducere cogitabat, forte nominis sui gloriam plurimum auctum iri ratus, si intra unius biennii spacium duos, eosque nobilissimos captivos haberet, nimirum Galliarum Regem, & ipsum summum Pontificem, quos velut in victoriæ trophæum ad Madritensem urbem secum deducere posset: cum vero ejusmodi consilium velut Christianæ Reipublicæ injuriosum a cunctis Præsulibus, ac Hispaniæ populis improbari cerneret, ne graviorem suorum invidiam incurreret, a proposito destitisse dicitur.

Guicc. l. 18.

§. XX.

Sæc XVI.
A.C 1527.

§. XX.

Nuntii Apoſtolici ſtudium in ſollicitanda Pontificis libertate.

Non modo Hiſpaniæ Præſules hanc agendi rationem damnabant, ſed ferme omnes Europæ Prælati datis ad Cæſarem literis, iisque vehementibus Papam liberari poſtulabant; verum Cæſar horum preces ſemper ambiguo ac nimium generali reſponſo eludebat, unde quæ tandem conſilia agitaret, haud obſcure ſignificabat. Cum etiam Balthaſar Caſtillionæus, qui apud Hiſpanos Pontificis legatione fungebatur, probe cognoſceret, quod Cæſar, quamvis Papæ vexationes ægre tuliſſe videretur, nihilominus opem eidem re ipſa ferre negligeret, ſpretisque Regni ſui Præſulum, æque ac exterorum precibus illius libertatem minime urgeret, Regno excedere ſtatuit, re tamen maturius perpenſa conſultius fore cenſuit, abſque prævio Pontificis aut ſacri Collegii mandato aulam non eſſe deſerendam, ſed potius Domini ſui libertatem toto ſtudio procurandam. Quocirca decem Epiſcopos adiit, rogans, ut die præfixa in ejus domo convenirent, ac de præſenti Eccleſiæ ſtatu ſecum conferrent. Hi, Præſide Nuncio Apoſtolico, unacum ingenti *Guicc. l. cit.*

Sæcul. XVI. A.C.1527. Ecclesiasticorum numero nigris induti vestibus unaomnes Cæsarem adeunt, supplices, ut Pontifici libertatem concederet; ast haud aliud tulere responsum, quam Cæsari idem æque ac ipsis unice in votis esse.

§. XXI.

Cæsaris deliberatio hac super re cum suis Consiliariis habita.

Enimvero Imperator sanctiorem Senatum, quem *conscientiæ consilium* vocant, congregari, ac Theologos scientia longe præstantissimos illuc accersiri jussit. Ferme omnium sententia eo abibat, quod in re tanti momenti Religionis utilitas status rationi præferatur, nilque inde Cæsareæ Majestatis honori decedat, sive Papa liber, sive captus esset, imo etiamsi cum ceteris omnibus fœdere jungeretur, semper tamen ad eum in officio continendum, Deus sat virium Cæsari dedisset: si vero in captivitate detineretur, non modo id argumento sit, quod ejusdem potentia pertimescatur, sed etiam inde Cæsaris fama periclitetur, cum hucusque semper Princeps pius, Catholicus & clemens audierit, proin Pontificem in libertatem assereret, prius quam hac detentione odium in se concitandi aliis spatium relinqueret, præcipue

cipue cum præsens bellum unice ad vexandum Papam fuisset susceptum, cum tamen ille jam satis captivitate, quam hucusque sustinuit, castigatus videatur: verum Albæ Duci longe alia insedit opinio; hic enim palam ita pronuntiabat: „ Pontifex, cum modo nostris in ma„ nibus sit, proprio suo damno sapere di„ scat, propterea ad acceptandas con„ ditiones, quæ eidem proponentur, „ compellendus est, hocque pacto res „ ita instruatur, ut inde universæ Eu„ ropæ pax constans æque ac solida red„ datur. „ Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. XXII.

Liberationis pacta cum Papa, & Principe Arausico inita.

Dum hæc in Hispania agitabantur, plurimis calamitatibus summus Pontifex in arce S. Angeli premebatur, eoquod non modo alimenta, bellique apparatus deficerent, sed etiam pestis, quæ jamjam urbem depopulata erat, ad ipsam quoque arcem penetraret. His malis oppressus Pontifex, Neapolis proregem adesse jussit, ut de sua libertate cum eo ageret; cum vero ceteri Belliduces, qui Arausico Principi exercitus Imperium detulerant, parum fiduciæ in Prorege Neapolitano reponerent, nec ipse etiam Papa ejus consiliis aquiesce-

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

re voluit, unde menſe Junio cum Principe Araufico, ac præcipuis Belliducibus deditionis pacta firmare compellebatur, quorum articuli erant ſequentes: I. Papa Cæſareis quadringenta aureorum millia perſolvet, & quidem numeratæ pecuniæ confeſtim centum, atque intra biduum quinquaginta millia, evoluto autem bimeſtri ducenta quinquaginta millia pendet, necnon in ſecuritatem debiti reditus totius ditionis Eccleſiaſticæ oppignorabit. II. Arcem S. Angeli, urbem veterem, Civitatem Caſtellanam, Parmam, Placentiam, & Mutinam Cæſaris poteſtati relinquet. III. Papa necnon tredecim illi Cardinales, quos ſecum habet, capti in arce S. Angeli permanebunt, donec centum quinquaginta aureorum millia erunt ſoluta; poſtea vero Neapolin aut Cajetam abducentur, quid de ipſis porro decreturus eſſet Cæſar, expectaturi. IV. Gregorius Eques de Caſali, Rentius Ceres, ceterique omnes, qui ad arcem ſeſe receperunt, inde, quocunque libuerit, abeundi libertatem habebunt, excepto ſummo Pontifice, & tredecim ejus Cardinalibus. V. Columnenſes ab omnibus cenſuris liberabuntur. VI. Papa, poſtquam Roma exceſſerit, ibidem ſuum Legatum, & Rotæ Curiam relinquet.

§. XXIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

§. XXIII.

Papa ex arce minime liberatus.

Firmatis utrinque deditionis articulis, Alarconius Bellidux, cui olim Franciſci Galliarum Regis capti cuſtodia commiſſa erat, arcem S. Angeli ingrediebatur, comitantibus eum tribus Hiſpanorum, totidemque Germanorum cohortibus, quæ ſummum Pontificem, ejusque Cardinales diligentiſſime cuſtodiebant. Porro pro ſolvenda pactæ pecuniæ ſumma totam auri argentique ſuppellectilem, quæ in arce S. Angeli aſſervabatur, vendere oportuit, adduntque Hiſtoricorum nonnulli, quod auro deficiente tres Cardinalium galeri in haſta, quæ in foro erat collocata, eo fine fuerint expoſiti, ut plus offerenti venderentur. *Guicc. l. 18.*

§. XXIV.

Angliæ Regis poſtulata ad Cæſarem.

Interea Henricus VIII. articulis trigeſima Aprilis die ſancitis, quorum ſupra meminimus, acrius inſiſtebat, hancque in rem Pointium Equitem in Hiſpaniam ablegabat, qui Cæſari exponeret, quod priusquam bellum communibus expenſis in Gallos moveretur, inter utrum- *Rayn. ad an. 1527. n. 27. & ſeq.*

Sæcul. XVI. A C 1527

que Regem conventum esset, ut Cæsar mediam prædæ partem, quam in Papiensi prælio feciſſet, Anglo traderet, unumque ex obsidibus, quos a Galliarum Rege acceperat, eidem cederet. Comitabatur Pointium Clarentius Regis Angliæ Fecialis, qui tamen positis muneris sui insignibus advenerat, ut ille opportuno tempore officio suo fungi posset. Equidem facile perspexerat Imperator; quod Angliæ Rex nonnisi pacem violandi obtentum quæreret, nihilominus concordiam diutius prorogari, e re sua fore arbitratus, Legato respondit, se misso hanc in rem Oratore sententiam suam Regi significaturum.

§. XXV.

Epistola Cæsaris ad Volsæum Cardinalem.

Cum interea Legatus iter suum in Hispaniam prosequeretur, Franciæ & Angliæ Reges comperto Italiæ statu optimum fore existimabant, si Cardinalis Volsæus Ambianum accerseretur, ut cum Francisco I. conferret, ac de mediis præsenti rerum vicissitudini congruis deliberaret. Hic Angliæ Regi in paucis carus die tertia Julii aula discessit, ac undecima ejusdem Mensis Caletum venit, inde vero Abbavillam profectus,

fectus, ibidem Franciæ Regis adven- Sæcul XVI.
tum prope Ambianum præstolabatur. A.C.1527.
Cum vero ibi Cardinalis moram traheret, epistolam accepit, in qua Imperator Galliarum Regi ad ea respondit, quæ Franciscus Neapolis Proregi offerebat. Hæc vero promissa Rex hunc in modum proposuit: „ Madritense fædus execu-
„ tioni dabo, quamprimum Franciscus
„ Sfortia in Mediolanensi Ducatu repo-
„ netur. Burgundiæ loco Cæsareæ Ma-
„ jestati suæ vigesies centena aureorum
„ millia numerabo, dummodo mihi
„ Sponsa mea Eleonora, & Ambo Filii
„ mei reddantur; denique Angliæ Re-
„ gi persolvam, quæ Cæsar eidem de-
„ bet, ad mensuram tamen hujus debi-
„ ti dos ejusdem Eleonoræ augebitur.
Hisce articulis hæc reposuit Carolus
„ Imperator, jura mea in Burgundiam
„ intacta servari volo, prout ante Ma-
„ dritense fœdus fuerant; defuncti quo-
„ que Borbonii Ducis bona ejusdem
„ hæredibus restitui peto, liberum ta-
„ men erit Angliæ Regi atque Legato,
„ ut vigesies centenis aureorum millibus dotem augere valeant, si forte
„ illa non excedat summam, quam
„ Henrico pendere debeo tam pro pe-
„ cuniis mutuo datis, quam pro dam-
„ norum compensatione, quam pollici-
„ tus sum; viciſſim Franciscus Gallia-
„ rum

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

„ rum Rex ſtare tenebitur iis, quæ in „ Generalibus Franciæ Statuum comi- „ tiis, aut a cujuslibet Provinciæ Or- „ dinibus vel Parlamentis decernenda „ ſunt; quibus omnibus integre adim- „ pletis Sororem meam in Franciam „ mittam, & obſidibus libertatem con- „ cedam. Cauſſam vero Franciſci Sfor- „ tiæ dijudicabo, ſique is innocentia „ ſua tutus reperietur, eundem priſti- „ nis honoribus reſtituam, ſi ſecus, li- „ beræ meæ diſpoſitioni Mediolanenſis „ Ducatus relinquetur. Denique hu- „ jus fœderis ſponſor erit Angliæ Rex.„ Dabat Menſe Julio Anno ſalutis milleſi- mo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo.

§. XXVI.

Rex Franciæ Ambiani a Cardinale Volſæo ſalutatus.

Vix Volſæus hanc Epiſtolam Abbavillæ acceperat, cum illico Ambianum ad Franciſcum Regem contenderet, in primo Regni ingreſſu tantis honoribus exceptus, ut nec ipſi Angliæ Regi majores deferri potuiſſent. Paulopoſt initium dabatur colloquiis; verum Franciſcus Galliarum Rex, poſtquam Henricum VIII. ad ſuas partes pellexerat, ad ſervandam fidem minus propenſum præſeferebat animum. Equidem Cæſa-

Cæsaris Epistolam perlegit, sed I. scisscitabatur, an absque ulla adjecta conditione Franciscus Sfortia in Mediolanensem Ducatum reponatur. II. Postulabat, ut ejus filiis libertas reddatur, antequam is copias suas ex Italia revocare compelleretur, vicissim vero pollicebatur, se in promissi securitatem apud Angliæ Regem trecenta aureorum millia depositurum. Cum vero Imperator hasce conditiones acceptare renueret, die decima octava Aprilis Volsæus Cardinalis cum Francisco Rege triplex fœdus iniit, hisce legibus conceptum. I. Aurelianensis Dux matrimonio sibi junget Mariam Regis Angli filiam, quamprimum ambo legitimam ætatem attigerint. II. Priores tractatus, nimirum Moorensis, & alii integri observentur. III. Henricus ad alendum exercitum, quem Franciscus ductore Lautreco in Italiam mittet, stipendia, sumptusque suppeditabit. IV. Quamdiu Papa captus detinebitur, ambo Reges Generale Concilium convocari permittent, nec ullum illius diploma, Bullam vel mandatum recipient, donec Papa in libertatem assertus fuisset. His pactis utrinque concluſis, atque subscriptis Volsæus Cardinalis in Angliam reversus est.

Sæcul. XVI. A C. 1527.

Jean de Tillet recueil des Rois de France hist. de Francois I. & Chronique des Roys de Franc.

§. XXVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. XXVII.

Lautrecus cum exercitu in Italiam missus.

Paul. Jov. in elog. Mem. du Bellai l. 3. Ant. de Vera hist. de Charl. V. p. 146.

Sub idem tempus Galliarum Rex Odetum de Fuxo Lautreci Comitem in Italiam contendere jussit, eoquod Principes Gallis fœdere juncti ejus Imperium exoptassent. Non equidem eadem erat Regi sententia; memori enim adhuc animo revolvebat Bicocensem cladem, necnon jacturam Mediolanensis Ducatus, quem Comes sua perfidia amisisse accusabatur. Quapropter nonnisi importunis, crebrisque Anglorum precibus expugnatus, eidem exercitus Imperium deferebat, propria experientia edoctus, aut prudentiam, aut fortunam huic Belliduci defuturam, atque ex utriusque hujus prærogativæ defectu commune bonum eversum iri. Præterea Lautrecus pro parte sua nihil non egit, ut exercitus præfecturam a se amoliretur, suisque amicis genuinam hujus repugnantiæ caussam scisitantibus secreto ita respondit: „ Duo sunt, quæ haud „ parum pertimesco: I. Adversam fa„ miliæ meæ sortem, ex qua nullus jam „ longo abhinc tempore absque violen„ ta morte e vivis excessit. II. Absterret me cognita Regis indoles, eoquod „ille

„ ille in expensis inutilibus profusus, Sæcul. XVI.
„ in necessariis nimium parcus esset. „ A.C 1527.
Tantum valuere hæ rationes apud Lautrecum, ut nonnisi speciali atque iterato Regis jussu compulsus Vasconia proficisceretur, acceptatoque exercitus Imperio ineunte Mense Augusto cum copiis suis Alpes transiret, ex cujus adventu non parum Fœderatorum animi erigebantur. Recensebat in exercitu suo facile viginti sex armatorum millia, ex quibus præter decem Helvetiorum millia Valdemontius Comes sex peditum Germanorum millia, Petrus vero de Navarra totidem Vasconum millia, ac denique Buriesius quatuor millia Gallorum ducebat; ingens quoque tormentorum apparatus hasce copias ductore Mondragone Nobili Vascone sequebatur.

§. XXVIII.

Lautreci progressus in Italia.

Lautrecus his copiis auctus Boscum, arcem in ditione Alexandrina sitam cinxit, ac decima obsidionis die mille præsidiarios qua Italos qua Germanos captos abduxit, qui omnes Gallorum signis sua nomina dederunt. Inde exercitum suum Alexandrinæ Urbi admovit, ubi magno tormentorum apparatu, aliisque belli instrumentis a Venetis adjutus, *Mem. du Bellai l. 3.*

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

jutus, cives eo compulit, ut suppetiis destituti deditionem facerent, urbemque Mediolanensis Ducis Deputatis traderent.

Cum interea Lautrecus exiguis hisce victoriis tempus terreret, ac totum exercitum suis uniri præstolaretur, Andreas ab Auria relictis Papæ vexillis Franciæ triremibus imperabat, eisque octo alias, quas suis impensis instruxerat, adjunxit; demum hac classe munitus e Massilienſi portu solvit, ac prope Genuam mare infestum tenuit, hancque ditionem in Francisci I. potestatem redegit, opera usus Cæsaris Fregosii, qui a Lautreco validis suppetiis auctus, non modo urbem cepit, sed etiam Gabrielem Comitem de Martinengis supremum Genuensium Belliducem captum abstraxit. Nominabatur hujus urbis Præfectus nomine Regis Theodorus Trivultius Franciæ Mareſcallus, cui etiam paulopost arx Genuensis, ad quam Adornius confugerat, se dedit. Hæc prima expeditionis auspicia Gallis admodum fausta acciderant, qui etiam inde copiosos oppido fructus reliquo belli tempore sese collecturos sperabant, eo vel maxime, quod Lautrecus contracto totius exercitus robore, jamjam occupasset Viglebanum, totam Lomellinam, Biagrassam, Alexandriam, ac deni-

denique etiam Papiam, quam urbem Galli crudelem in modum Menſe Octobri deprædati ſunt, Comitemque Belgioſanum illius Præfectum captum abduxerunt. Sæcul. XVI. A. C. 1527.

§. XXIX.

Lautreci tergiverſatio in invadendo Neapolis Regno.

Partis hiſce victoriis Franciſcus Sfortia, Venetique toto ſtudio Lautrecum urgebant, ut Mediolanum, cui Antonius Leva præerat, obſideret; aliorum vero ſententia eo abibat, ut recta Romam contenderet, ac tandem Papam a captivitate liberaret. Horum conſilia ſequebatur Cardinalis Cibo, qui non ita pridem ad Gallorum caſtra venerat, cui etiam ſuffragabantur Florentini, ſuamque opinionem hac ratione firmabant, fœdus, inquiebant, vel maxime ideo fuit ſuſceptum, ut Pontifex in libertatem aſſereretur. Ex adverſo Veneti his rationibus Mediolani obſidionem urgebant, dicebantque, urbis præſidiarii, quibus Antonius Leva præeſt, non niſi pauci ſunt, iique ob tardam æris militaris ſolutionem minus contenti, proin ſuſtinendæ obſidioni impares; munimenta etiam adeo deſtructa ſunt, ut Cæſarei capta ſemel hac *Ant. de Vera l. cit. p. 147.*

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

urbe nec Romam nec Neapolin tueri valeant. Verum Lautrecus utrique opinantium parti oppoſuit ſpeciale Regis Franciæ mandatum, vi cujus exercitum Neapolitano Regno admovere jubebatur, hunc in modum differens: „ ſuſtinent cunctas ferme hujus belli expenſas Franciæ, & Angliæ Reges, ea „ igitur, quæ poſtulant, illis concedere, „ æquitas expoſcit; Papam liberari „ petunt, id tamen executioni dari nequit, niſi occupato Neapolis Regno, „ quod tamen facilis negotii res eſt; „ regnum enim omnibus pene rebus eget. „ Aſt Lautrecus genuinam ſupprimebat rationem; ea enim ex cauſſa Galliarum Rex ad expugnandum Mediolani Ducatum ſuas copias admoveri renuebat, eoquod ex fœderis legibus illum Sfortiæ reddere debuiſſet, quo facto Veneti Regis molimina adverſus Neapolis Regnum feliciter exequi, parum ſolliciti fuiſſent. Aliunde Galliarum Rex continuo ſperabat, fore, ut liberis ſuis faciliorem ad patriam reditum procuraret, ſi de Mediolanenſi Ducatu nullam Cæſari contentionem moveret, econtra ſi Sfortia in imperium reponeretur, ipſe ſemetipſum opportuna hac occaſione fruſtraretur: Igitur Lautrecus exercitum verſus Neapolin duxit, ac die decima octava Octobris e Regio-

Regione arcis S. Joannis Padum trajecit, ubi præter alias Franciæ copias etiam adventum reliquorum peditum Germanorum, quibus Valdemontius Comes imperabat, præstolabatur. Sæcul. XVI. A.C 1527.

§. XXX.

Ferrariæ Dux, & Mantuæ Marchio ad Gallorum partes a Lautreco pertracti.

Attamen Lautrecus tanta cunctatione iter prosequebatur, ut hoc in negotio moram trahere, secreto jussus crederetur: Longo enim admodum tempore Parmæ ac Placentiæ substitit, Ferrariæ Ducem fœderi rursum adscribendi obtentu usus. Nec inanem omnino prætextum fuisse eventus docuit; quippe Dux relicto Cæsaris fœdere Gallis sese adjunxit, non modo Lautreci, qui facile ejus ditionem devastare potuisset, adventu perterritus, sed vel maxime pollicitatione pellectus, qua Galliarum Rex Herculi ejus Filio Renatam alteram Ludovici XII. filiam in uxorem promisit, quamvis hoc connubium non nisi decimo post Mense anni sequentis Mense Julio peractum esset. Paulo post Mantuæ Marchio ad Gallicas itidem partes pertrahebatur. Aucto igitur fœdere Lautrecus æquam cunctationis suæ *Ant. de Vera l. cit. p. 147.*

Sæc. XVI. A. C. 1527.

cauſſam obtendere videbatur; nihilominus vera, quæ ſuberat, ratio haud alia fuit, quam quod Franciſcus I. ultimum expectaret Cæſaris reſponſum ad ea, quæ Franciæ ac Angliæ Regum Oratores eidem proponebant. Nec ſua eum ſpes fefellit; quippe Carolus, ubi Lautrecum cum exercitu Italiam petere, ac Neapoli appropinquare comperat, quantocius ex Hiſpania ſupremum Franciſcanorum Miniſtrum nomine Quignonium, alias Franciſcum de Angelis dictum, necnon Verrium Miliacenſem cubicularium ſuum ad Lanoyum Neapolis Proregem, & Moncadam ablegavit, dato negotio, ut ipſi Pontificem pactis quibusdam conditionibus in libertatem aſſererent,

§. XXXI.

Cæſaris mandata de liberando Pontifice.

Guicc. l. 17. Raynald. hoc ann. num. 3. & 29. Paul. Jov. l. 25.

Præfatus Franciſcus Quignonius natione Hiſpanus, Didaci Fernandez de Quignonio, Comitis de Luna filius erat, qui & in comitiis Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo Burgi celebratis ſupremus Ordinis ſui Miniſter nominatus eſt. Hujus Viri electio Cæſarem tanta affecit lætitia, ut eundem illis adnumeraret, qui Cæſari

Cæsari a sanctioribus conscientiæ consiliis erant. Hunc igitur Clemens Papa, cum apud Imperatorem gratia, & auctoritate plurimum valeret, impense rogabat, ut de ejus libertate cum Carolo ageret. Adiit Quignonius Cæsarem, a quo tamen haud benignius responsum, quam ceteri tulisse videtur. Tandem vero Imperator non tam aliorum precibus flexus, quam potius (ut conjicere licet) præsenti Neapolis Regni statu compulsus, Papam liberum dimitti jussit, hancque in rem Quignonium unacum Verrio Miliacensi in Italiam misit, ut paulo ante memoravimus. Sæcul. XVI. A. C. 1527.

§. XXXII.

Caroli Lanoyi Neapolitani Proregis obitus.

Verum ambo hi Oratores vix Cajetam advenerant, cum Lanoyum Neapolis Proregem e vivis excessisse, illis nunciaretur; unde Moncadam adibant, quem Lanoyus morti proximus sibi in exercitus imperio subrogabat, donec a Cæsare aliter constitutum esset. Postquam igitur junctis cum eo consiliis, quid hac in re agendum, decreverant, iter suum Romam versus prosequebantur, comitante eos Serenone, qui prius Lanoyo, nunc vero Moncadæ a

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

secretis erat. Haud amplam spem ex horum opera sibi polliceri poterat Imperator; quippe illi contrariis omnino rationibus ad urgendum hoc negotium impellebantur. Quignonius enim purpuram ambiebat, summoque Pontifici favebat; Miliacensis vero Cæsaris commoda toto studio promovere satagebat, ac propterea Papam liberari renuebat, eoquod, inquiebat ille, nunquam ab eo idonea cautio sperari posset. Serenon quoque, qui Moncadæ negotium gesserat, rem solus pro suo arbitrio moderari gestiebat, atque in utriusque Oratoris perniciem conjurabat, ex quibus Miliacensem exclusit, ac Neapolim revocavit; Quingonium tamen a munere suo per fraudem depellere non poterat, unde illius opera summo Pontifici maxime proficua fuit.

§. XXXIII.

Actum de liberando Pontifice.

Hæc dum interea gerebantur, Cæsar jam secundo præcepit, ut summi Pontificis liberatio tandem perficeretur, hancque in rem suis Oratoribus negotium dedit, ut Clementem Papam ad residuam pecuniarum summam copiis debitam adstringerent, simulque ab eo peterent, ut se obtenta libertate a fœde-

fœdere discessurum sponderet, pro idonea autem cautione obsides urbesque traderet. Cum vero postrema hæc conditio Pontifici nimium dura accideret, atque ad numeranda militibus stipendia ægre admodum necessarias pecunias conquirere posset, ideo hujus negotii executio diutius differebatur. Tandem vero Papa præscriptis conditionibus cedere, obsidesque ad Cæsaris arbitrium tradere compellebatur. Ii erant quinque Cardinales, quorum nomina sunt, Gaddius, Cesius, Ursinus, Pisanus, & Trivultius; cum vero Moncada Pontifici plusquam vatiniano odio infensus esset, liberationis negotium retardabat, ac eo graviores identidem suscitabat difficultates, quo ferventius supremus Franciscanorum Minister liberationem promovere nitebatur, hinc summus Pontifex fuit adactus, ut missis clam Oratoribus Lautrecum urgeret, quatenus exercitum suum propius Romanæ urbi admoveret, ejusque libertatem magis expeditam redderet. Ast Lautrecus speciali Regis mandato iter accelerare prohibebatur: Nihilominus tamen ejus adventus, licet oppido tardus esset, Papæ tamen saluti fuit, nec eidem oberat, quod quinque illi obsides per caminum cubilis, in quo inclusi detinebantur,

Sæc. XVI. A.C. 1527.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

dextre ſeſe ſervituti opportuna fuga eripuerint.

§. XXXIV.

Moronus & Cardinalis Columna Papæ reconciliati.

Paul. Jov. l. 25. Rayn. annal. ann. 1527. n. 46.

His ita conſtitutis Pontifex, cum nihil ultra ſibi metueret, duos Viros, qui tum apud Cæſareos Belliduces plurimum auctoritate valebant, ſibi conciliare nitebatur. Hi erant Cardinalis Columna, & Moronus Cancellarius Vir optimis conſiliis plenus, qui non ſine exercitus diſpendio rebus ſuis conſuluit, lubensque pro filio ſuo Mutinenſem Epiſcopatum, pro ſemetipſo autem quoddam jus acceptavit, vi cujus ex frumento in Caſtri novi ditione collecto vectigal exigere poterat. Cum vero Cardinalis Columna ab omni avaritiæ ſpecie alienus eſſet, hunc ſibi alia via demereri ſtudebat Pontifex. Vocabat illum igitur primo ad officioſam quamdam ſalutationem, poſtmodum eidem ſecreto colloquens, tibi, inquit, libertatem meam in acceptis referre volo, ut univerſus orbis teſtari valeat, quod, ſicut Pontifices a Columnenſibus olim depreſſi dicebantur, ita & ab iisdem priſtino dignitatis ſplendori reſtituti audiant. Hæc verborum lenocinia tam

Ciacon. to. 3.

poten-

potenter Cardinalis animum devincie- Sæc. XVI.
bant, ut pro ejus libertate se extrema A C. 1527.
quæque tentaturum polliceretur, in cujus beneficii memoriam summus Pontifex eidem amplissimam status Ecclesiastici Præfecturam promisit, quæ tum haud alia erat, quam Marchiæ Anconitanæ legatio. His itaque favoribus devincti Moronus æque ac Columna Pontifici auctores erant, ut cum exercitu de libertatis conditionibus ageret, nec molestе ferret, quicquid demum subscribere compelleretur, dummodo ex arce S. Angeli, ubi jamjam pestis grassabatur, liber dimissus, Urbevetum, Spoletum, aut Perusium deduceretur, atque inde honestum fugiendi obtentum acquireret.

§. XXXV.

Conditiones a Cæsare pro Pontificis liberatione præscriptæ.

Igitur Moncada cum Clemente Pontifice pactum iniit, cujus summa hæc erat: Papa circa Neapolin ac Mediolanum nihil contra Cæsarem molietur; in Hispania pro bello sacro stipendia, in aliis vero ejusdem Regis ditionibus decimas concedet; Carolo V. relinquet civitatem veterem, Ostiam, urbem Castellanam, arcemque Forolivienſem; *Guicc. l. 18. Ciacon. to. 3. p. 447.*

Sæc. XVI. A.C. 1527.

præterea Pontifex septuaginta aureorum millia numeratæ pecuniæ militibus Germanis, Hispanis vero triginta tria millia solvet; & decimo quinto post die iisdem quamdam dictæ pecuniæ summam, elapso autem tertio mense residuam, quæ Cæsari debetur partem, nimirum plusquam trecenta quinquaginta aureorum millia numerabit; donec vero primæ duæ solutiones fierent, Papa ad tutum locum extra Romam abducetur. Firmabantur utrinque hæc pacta, decretumque, quod nona aut decima Decembris die Pontifex ex Arce S. Angeli dimissus, ad urbem designatam conduceretur.

§. XXXVI.

Papa sub Mercatoris habitu ex arce S. Angeli fuga elapsus.

Ciacon. l. cit. p. 448. Guicc. l. 18.

Attamen summus Pontifex, cum molestias identidem a Moncada sibi inferri pertimesceret, atque aliunde pactis stare haud posset, nocte, quæ nonam ac decimam Mensis Decembris diem intercedit, mercatoris habitum indutus aufugit, & peropportune prope arcis portam invenit Ludovicum de Gonzaga, quem Cardinalis Columna præmisit cum copiis, quæ ad Pontificis partes pertractæ eundem ex signo utrinque con-

constituto agnoscebant, atque Urbevetum deducebaat. Sæcul. XVI. A C. 1527.

Lautrecus Papam libertati redditum edoctus, quantocius eidem Parmam, & Placentiam restituit, cumque exercitum suum intra Appennini rupes mediæ hyemis rigori haud ultra exponere vellet, Bononiam versus progressus est, ubi tres omnino hebdomadas substitit, ibidem ulteriora Regis sui mandata præstolaturus. Vix eo advenerat, cum Clementis epistolam acciperet, in qua Pontifex libertatem suam eidem se debere profitebatur, simulque significabat, sibi a Cæsareis pro eorum libitu conditiones omnino iniquas fuisse impositas, proin se iisdem stare haud teneri, nec se, etsi vellet, easdem adimplere posse.

§. XXXVII.

Postulata Angliæ Regis ad Cæsarem.

Quantumvis Pontifex libertati redditus esset, nondum tamen Franciæ & Angliæ Reges in Cæsaris gratiam rediere; Henricus enim bellum sibi nunciari edoctus, veram illius causam occultare satagebat: unde studiose per suos Legatos Imperatori quatuor articulos proponi fecit, quos sibi tum ab eodem haud concedi posse, probe cognove-

Sæcul. XVI. A.C.1527.

gnoverat. Postulabat igitur I. solveret Carolus Cæsar totam pecuniarum summam, quam vel ipse, vel ejus Parens Henricus VII. Cæsari mutuas dederat. II. Numeraret quingenta aureorum millia, quæ se soluturum promiserat, si forte Mariam sibi desponsatam matrimonio jungere renueret. III. Vi fœderis utrinque initi compensaret pensionem, quam a Galliarum Rege acceperat, & quam per integros quatuor annos totidemque menses nondum solverat. IV. Cum Angliæ Rex Pontificem in libertatem asseruisset, Cæsar eidem omnia damna ab ejus copiis illata repararet. Ad hæc Carolus Imperator reposuit hunc in modum: „ Haud sat „ mirari possumus, quod in præsenti re„ rum vicissitudine Angliæ Rex solu„ tionem urgere velit; nos ipsi literas „ ad Regem dabimus, eidemque de„ monstrabimus, nos ob nuptias non„ dum adimpletas minime ad solvenda „ quingenta illa aureorum millia ad„ stringi. „ Verum hoc responsum nondum placabat Regem, qui nonnisi amicitiam cum Cæsare dissolvendi opportunitatem quærebat.

§. XXXVIII.

Sæcul. XVI. A.C.1527.

§. XXXVIII.

Optimates a Galliarum Rege hanc in rem congregati.

Altera ex parte Galliarum Rex Menſe Septembri Optimatum ac Regni Procerum comitia agebat, ibidemque cuncta, quæ a Cæſare pro impetranda pace poſtulaſſet, exponebat, eorumque ſententias rogabat, quid demum pro liberandis ſuis prolibus agendum cenſerent, pollicitus etiam, ſe in captivitatem rediturum, ſi id promiſſi fides, Regis honor, ac conſcientiæ neceſſitas exigeret, indeque nihil Regni utilitati decederet. Ad hæc tres Regni Ordines in hiſce comitiis congregati unanimi ſuffragio hoc reſponſum reddiderunt. „ Regia „ ſua Majeſtas non ſibi ſed regno debe„ tur, Burgundia vero pars eſt Regni, „ cujus Rex nonniſi uſum fructum ha„ bet, proin de neutra pro arbitrio ſuo „ diſponere valet, ſi tamen Cæſar lytri „ nomine pro utroque Principe, quem „ obſidem tenet, vigeſies centena au„ reorum millia acceptare velit, nos „ hanc ſummam pro eorum liberatione „ Regiæ ſuæ Majeſtati offerimus, ſi ve„ ro ad belli neceſſitatem res deveniret, „ declaramus, omnes noſtros ſubditos „ nec ſanguini nec bonis parcituros. „

§. XXXIX.

Sæcul. XVI. A C. 1527.

§. XXXIX.

Franciscus I, & Henricus VIII. Ordinum suorum insignibus mutuo decorati.

Mem. du Bellai l. 3.

Percepta hac Procerum sententia Galliarum Rex tuto se bellum Cæsari inferre posse existimabat, quapropter unice intentus erat, ut filios suos armorum vi in libertatem assereret; ut vero Henricum Angliæ Regem sibi arctius devinciret, unacum insignibus Ordinis S. Michaelis solemnem ad eum decrevit legationem, cujus princeps erat Annatus Montmorentius, quem quingenti Equites comitabantur. Excipiebatur hic Legatus insolita prorsus magnificentia, qua majorem se nunquam vidisse testatur Bellayus, qui & ipse hujus Legati comes erat. Henricus viciſſim Galliarum Regi per Arturum Insulæ Vicecomitem, spurium Eduardi IV. filium Perisselidis Ordinem transmisit, ac demum quilibet horum Principum juramento fidem suam mutuo obstrinxit, adjectis tamen solitis restrictionibus.

§. XL.

Sæcul. XVI.
A.C 1527.

§. XL.

Initia hiſtoriæ de divortio Henrici VIII.

Ineunte hoc anno, vel juxta alios jam ab Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto Henricus VIII. de repudianda Catharina Arragonia ejus conjuge conſilium agitare cæperat; Præcipua equidem hujus divortii cauſa ignoratur, ſi tamen ipſius Regis verbis fides habenda, Rex ſpecie religionis ducebatur, eoquod jam ab anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto dubitaſſet, utrum connubium cum uxore ſua validum eſſet; verum hæc anxietas tarda nimis fuiſſe videtur, poſtquam jam per viginti annos & amplius cum ea aſſiduam thori ſocietatem conſervaverat. Ut ut ſe res habuerit; id certum eſt, quod Henricus ab eodem anno conjugii uſum Reginæ denegaverit. Auxit etiam Tarbienſis Epiſcopus Regis averſionem, quam itidem Longlandus, qui Henrici conſcientiam moderabatur, fovere ſatagebat, ac denique Volſæus Cardinalis, ut Regem in hoc ſuo propoſito firmaret, nihil non agebat. Hic obſcuro loco natus ac lanionis filius nonniſi fraudum, & ambitionis ſuæ ſubſidio purpuram

Le Grand. hiſt du divorce de Henric. VIII. to. 1. p. 34. Hiſt de la reforme de l'Egliſe d'Angl. par Burnet to. 1. p. 57. Raynald. an. 1528. n. 108. & ſeq. Sanderus de ſchiſm. Angl. l. 1. Polyd. Virg. l. 27. Harpsfeld. in hiſt. Eccl. Angl.

Sæc. XVI. A.C. 1527.

ram aucupabatur, ac primo Lincolnienſis Præſul poſtea Eboracenſis Archiepiſcopus ac Cardinalis, & denique Angliæ Cancellarius nominabatur; nec tamen tot dignitatum amplitudo hujus Viri cupiditatem ſatiare poterat, ſed ad ipſum etiam ſummi Pontificatus apicem aſcendere ambiebat. His acceſſit, quod ſub idem tempus Carolus V. Imperator eidem polliceretur, ſe nil intentatum relicturum, ut ad primam totius Eccleſiæ Sedem eligeretur; Volſæi enim opera Cæſari ad exequenda, quæ tum temporis animo volutabat conſilia perutilis erat: aſt mutata rerum facie Carolus haud ultra, quod obtulerat, præſtare curabat. Quapropter Volſæus ira accenſus, nihil non agebat, ut Cæſari moleſtiam crearet, nec vindictæ feliciter exequendæ opportunitas deerat, quam eidem ſuppeditabat Henrici divortium cum Catharina ejus conjuge; cum enim illa Joannæ de Aragonia, quæ Caroli V. Mater erat, Soror eſſet, ſe abs dubio ipſi etiam Cæſari, totique ejus familiæ atrocem omnino injuriam illaturum præſenſerat, ſi illius Materteram Regiæ dignitatis honore exueret.

§. XLI.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. XLI.

Angliæ Rex ad repudiandam Conjugem ſuam a Volſæo Cardinale ſollicitatus.

Ejusmodi conſiliis ſtimulatus Cardinalis, non minus calliditate quam ambitione inſignis, anxietatem, ſeu veram, ſeu fictam, qua Henricus Rex de connubii ſui firmitate dubitabat, ſtudioſe augere nitebatur, præterea haud parum perverſa ejusmodi conſilia promovebat gratia, atque auctoritas, qua Volſæus plurimum apud Regem valebat. Nihilominus tamen, cum de re maximi momenti ageretur, Rex nil præcipiti conſilio agendum cenſebat, unde quamvis conjugium ſuum diſſolvere animo conſtituiſſet, ſubdole tamen aliorum ſententias rogabat, rationes, ac teſtimonia conquirebat, quinimo dato etiam auro emebat; verum tanta ſolertia nequicquam adhibita minime eo usque proficiebat, quin non genuina tanti moliminis ratio a quovis facile deprehenderetur. Vera enim & unica tot agitationum cauſſa erat, quod prole maſcula deſtitutus, nec nominis nec Regni ſui hæredem haberet, ac inſuper ejus conjux utpote multis oppreſſa morbis illius animum ad libidinem plus juſto

Sanderus l. cit. l. 1.

Sanderus l. 2

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

proclivem satiare haud posset; præterea Rex insano amore deperibat Annam de Boulen, quæ vero quidem nomine Bollegena, ab Anglis tamen Bollena dicebatur. Illa autem nefandis Henrici amplexibus assuescere recusabat, nisi saltem ab illo in uxorem duceretur.

§. XLII.

Annæ Bollenæ indoles, moresque a Sandero descripti.

Sanderus hist. de schism. Angl. Le Grand defense de Sander. to. 2. p. 47.

Nobilis hæc Puella Thomæ Boleni Equitis Filia erat, ac Reginæ inter honorarias Virgines inserviebat, unde Rex opportunam cum ea sæpius colloquendi occasionem nactus, illam ardenter deperibat. Hæc illo adhuc tempore in Regis aula iis resplendebat corporis ac naturæ prærogativis, quas primævus juventutis vigor largiori manu effundere solet; eminebat præterea faceto admodum ingenio, necnon haud vulgari saltandi, fidibusque ludendi peritia, denique novis vestium inventionibus percelebris, tam apte & concinne induebatur, ut reliquis Aulæ Puellis sese vestiendi normam præscribere videretur. Attamen animæ dotes nullatenus æquabant præclara hæc corporis ornamenta; quippe fœmina erat, vanitati, ambitioni, & libidini dedita.

§. XLIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1527.

§. XLIII.

Obnitente Rege actum de Bolenæ nuptiis cum Perceyo.

Occultabat Angliæ Rex aliquamdiu latentem amoris sui ignem, donec tandem eidem nunciaretur, Annam proxime connubio jungendam Perceyo Northumbriæ Comitis Filio. Is erat juvenis non modo divitiarum copia, sed & generis nobilitate inter ceteros Angliæ Proceres summe conspicuus; quippe illum post obitum Patris sui, qui jamjam multo senio gravis erat, sextum hujus familiæ Comitem salutari oportebat. Anna vero Bolena, quamvis Norfolciæ Ducis Neptis esset, eo adhuc tempore vix Percey opes æquabat, unde etiam matrimonio jungi, beneficii loco habebat: ne vero fortunæ suæ æmulos haberet, rem tam religioso tegebat silentio, ut nec ipse quidem Volsæus Cardinalis, cui a servitiis Perceyus erat, quicquam hac de re suspicaretur.

Petr. Haylin de reform. Eccl. Angl. p. 257. Cavendish. in vita Volsey cap. 9.

Ubi vero Angliæ Rex ea de re certior fiebat, quantocius Volsæo negotium dedit, ut hujus connubii consilia penitus everteret. Percipiamus ea, quæ Cavendishius testis oculatus in vita hujus Cardinalis profert, remque ita exponit.

Sæc. XVI. A.C. 1527.

„ Volsæus, postquam Nobilem Perceyum Annæ Bolenæ amoribus irretitum noverat, eundem a suo itinere reducem ad Regem venire jussit, illumque coram nobis omnibus graviter objurgatus est, ac primo quidem nil aliud eidem proposuit, nisi quod ejusmodi nuptiæ Perceyum minus decerent; hic vero mox reposuit: nullatenus ob sponsam, quam mihi selegi, redargui possum; illa enim nec generis nobilitate, nec animi corporisque dotibus me inferior est: cum autem postea Volsæus magis imperiose Perceyo declararet, quod rebus suis melius consuleret, si haud ultra de ejusmodi connubio mentionem faceret, Perceyus hunc in modum respondit, Regi, atque Eminentiæ suæ prompto prorsus animo aquiescerem, nisi jamjam arctis adeo vinculis Bolenæ essem adstrictus, ut ea disrumpere haud amplius mihi integrum sit; præsentibus enim testibus meam eidem fidem obstrinxi, quam honoris æque ac conscientiæ meæ legibus violare prohibeor, quocirca Eminentiam vestram supplex rogo, ut in hoc negotio apud Regem sua pro me obsequia impendere velit. Ad hæc vero Volsæus longiorem Perceyi repugnantiam pertæsus hæc in responsis dedit:

„ dedit: ergone existimas, me Regem- Sæc. XVI.
„ que ignorare, quid hac in re nobis a- A.C. 1527.
„ gendum sit: itane morem gerere re-
„ cusas, ac connubium inire meditaris,
„ in quod tamen nec Regem unquam
„ consensurum, nec Comitem Patrem
„ tuum id permissurum haud ignoras?
„ ea quæ moliris, Patri tuo significabo,
„ & certe aut imprudens tuum nuben-
„ di consilium deserere compelleris, aut
„ hæreditatis jure privaberis. „ His perceptis Perceyus reposuit, quod Cardinali obtemperare velit, quamprimum id salva religione facere poterit.

Post hæc Cardinalis Northumbriæ Comitem adesse jussit, eique expositit periculum, in quod sese ejus filius præcipitem ageret, si diutius suo Annam Bolenam ducendi proposito insistere vellet. Ad hæc Pater in Perceyum vehementer excanduit, nullaque mora illum accersivit, ac coram quibusdam Volsæi Ministris eidem improvidam stultamque agendi rationem acriter exprobravit, jussitque, ne unquam Annæ Bolenæ conspectum subiret, adjectis etiam minis eum ab hæreditate excluſum iri, ni mentem ac sententiam mutaret. Perceyus, quamvis ingenti in Bolenam amore flagraret, Patris tamen sui jussis obstrepere minime audebat, probe gnarus, hunc nonnisi Regis,

Sæc. XVI. A.C. 1527. ac Cardinalis mandato adactum nuptiis adversari. Igitur non modo Patri suo morem gessit, sed insuper, ut omnem suspicandi ansam a se amoliretur, paulopost Georgii Salopiæ Comitis Filiam connubio sibi junxit.

§. XLIV.

Rex Bolenæ illecebris captus, eam sibi jungere statuit.

Quamprimum Rex æmulum suum amoverat, nullatenus sibi Religioni ducebat, quominus amorem, quo Annam Bolenam prosequeretur, eidem disertis verbis manifestaret. Illa vero (an dolus, vel virtus id suaserit, ignoratur) Regi declarabat, se nonnisi legitimo conjugi corporis sui usum reservasse. Hæc ipsa Puellæ repugnantia, qua Henrici desideria aliquamdiu suspensa tenebat, summopere immodicum Regis amorem magis magisque accendebat; quapropter ut nuptias cum Anna acceleraret, Catharinam Arragoniam e thoro suo expellere toto studio nitebatur.

§. XLV.

Cæsar de Henrici proposito a Regina ejus Conjuge certior factus.

Regina, cum adversus se malum adornari jamjam cerneret, haud parum ange-

angebatur, illius vero animum ut Car- Sæc. XVI.
dinalis conficta fiducia erigeret, eidem A. C. 1527.
hæc significabat: Rex ab Episcopo Tarbiensi admonitus est, quod tuum cum Rege matrimonium omnino irritum sit, eapropter Maritus tuus ab hoc temporis momento anxiis semper curis cruciatur, de cetero tamen nihil hac super re tibi timendum erit. Ast illa non tam facile a concepta sententia dimoveri poterat, jamque ad Cæsarem Nepotem suum in Hispaniam quemdam ex suis Sacellanis, Abelem nomine ablegabat, qui de cunctis, quæ in Anglia agitarentur, illum certiorem redderet, illiusque patrocinium hac in re imploraret. Id quidem nec Regem nec Volsæum latebat, ne tamen rei fama per totam urbem discurreret, ambo Reginæ totam rei seriem exponi jusserunt, idque eo majori fiducia, quo magis sollicite opportunum captare quærerent obtentum, cujus beneficio coram legitimo Judice huic caussæ initium dare valerent, quamvis ceteroquin ipsimet jam antea pro suo arbitrio matrimonium dissolvere omnino decreviffent. Hoc in negotio medium ceteris magis expeditum videbatur, ut tota caussa ad tribunal Pontificis deferretur; hunc enim sat propitium fore, nihilque Britanno Regi denegaturum, falso sibi persuadebat Cardi-

Sæc. XVI. A.C.1527.

nalis. Igitur Gregorius Casalius, qui Romæ Regis Legatum pro more agebat, causſæ decisionem urgere jubetur. Hic Compendium, ubi tum Volsæus Cardinalis morabatur, contendit, atque ab eo, quid hac in re ageret, mandata recepit.

§. XLVI.

Rationum momenta contra Julii II. dispensationem Romæ allegandæ.

Equidem inter ceteras, quas Rex ac Volsæus allegare potuissent, validissima fuisset ratio ex eo petita, quod legis Ecclesiasticæ solutio a Julio II. impetrata legibus adversa, proin nulla esset; ast ambo verebantur, ne causſa caderent, ac Romanæ Curiæ indignationem incurrerent, si Romanorum Pontificum auctoritatem in dubium vocare viderentur. Ergo Juris Pontificii ac Theologiæ Doctoribus dabatur negotium, ut saltem ipsi ex Pontificis Constitutione quædam eruerent, ex quibus præsata dispensatio nulla credi, eaque de causſa hoc negotium efficaci conatu urgeri posset, simulque ostendi, quod hæc Bulla nonnisi quibusdam doloso silentio occultatis, aliis falso expositis fuisset obtenta, proin omnino revocanda

da esset. Percipiamus eorum rationes, quibus ipsam dispensationem nullam esse evincere nitebantur. Igitur sequentia allegabant illi. I. In præfata Constitutione exponitur, quod Henricus Princeps, ut Catharinam matrimonio sibi jungere valeret, a summo Pontifice dispensationem concedi postulaverit, id autem falsum esse ajebant, eoquod Henricus tum nonnisi duodecim annos natus nondum ea ingenii maturitate polleret, quæ ejusmodi petitionem præcedere deberet. II. Hujus impedimenti solutio per Henricum a Papa fuit petita, eo fine, *ut vinculum pacis & amicitiæ inter Ferdinandum & Isabellam Hispaniæ Reges diutius permaneret.* Hanc vero rationem manifeste falsam fuisse contendebant Doctores, eoquod Princeps eo tempore nondum eam ætatem assecutus fuisset, ut adeo sublimia foveret consilia, simulque sibi persuasum haberet, quod nuptiarum fœdere rebus publicis prospici posset. III. Addebant, in allegata Bulla affirmari, ejusmodi connubium ad conservandam pacem inter ambos Reges necessarium esse; id vero falso supponi dicebant; perperam enim summo Pontifici suggerebatur, ingens instare malum, nisi hoc fœdere rursum ambo hi Reges unirentur, cum tamen, etsi nunquam de hisce nuptiis fuisset a-

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Sæcul. XVI. A.C 1527.

ctum, uterque Rex sibi invicem bellum intulissent, ac præterea eo tempore nec pacis violatio, nec alia calamitas timenda fuisset. Ex his inferebant illi, hoc Pontificis diploma per fraudem fuisse impetratum, his quoque subjungebant, Henricum VII, & Isabellam jamjam mortalitatem exuisse, priusquam Henricus VIII. Catharinam duxisset, proin matrimonium validum dici haud posse, quod unice ideo obtentum esset, ut pax conservaretur inter duos, qui tamen concesso conjugii usu jam supremum diem obiissent. Denique ajebant, quod Henricus VIII, simul ac e tutorum potestate exiisset, contra hoc matrimonium reclamasset, proin quicquid ejus nomine ac durante pupillari illius ætate fuisset a Papa petitum, eoipso revocatum nullumque censendum sit.

§. XLVII.

Knigthius in caussa divortii Romam ablegatus.

Le Grand hist. du divorce to. 1. p. 59.

Nihilominus, cum præsentes temporis, rerumque calamitates, quibus Clemens Papa premebatur, haud dubie promitterent, eundem facile Regis voto concessurum, hinc divortii negotium ardentius urgebatur, hancque in rem Henricus Rex Knigthium Doctorem,

ctorem, atque arcani consilii Ministrum Romam decrevit, eique injunxit, ut non modo verbis sed tota consilii serie a Cardinale instructus abiret: ignoratur tamen, utrum Knigtius unacum Casalio iter Italiam versus susceperit, id duntaxat pro comperto habetur, Casalium vix Anglia profectum a Volsæo jussum fuisse, ne quicquam hac in re moliretur, donec nova supervenirent mandata, ea vero nonnisi Mense Decembri Romam fuisse delata. Interea Knigthius Mense Julio Angliam reliquit, Romam delatus: Ast summum Pontificem utpote in arce S. Angeli a quodam Centurione Hispano custoditum adire haud poterat, eique unice concessum, ut Clementi libellum supplicem transmitteret. Continebantur in eo quatuor articuli, in quorum primo Papa rogabatur, ut Volsæo Cardinali demandatæ potestatis literas daret, quibus munitus, adjunctis etiam quibusdam Episcopis, hoc negotium in Anglia dijudicare posset. Altero petebatur, ut Papa connubium Regis cum Catharina irritum declararet, eoquod matrimonium ejusdem Reginæ cum Arthuro initum ipso etiam connubii usu firmatum fuisset. Tertio urgebatur Pontifex, ut concessa conjugii solutione Regi aliam uxorem ducendi copiam faceret. Quartus denique articu-

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

ticulus Papam inducebat, ut priores tres articulos nunquam se revocaturum polliceretur. Ad hæc postulata Clemens Papa sat propensum ostendit animum, spemque fecit, se Henrico facturum satis, quamvis jam antea nomine Cæsaris Minister Generalis Fratrum Minorum postulasset, ne quid de hujusmodi divortio tentaretur, priusquam Imperatoris Ministri hac de re edocerentur.

§. XLVIII.

Papa libertati restitutus, ac ab Angliæ Legatis salutatus.

Le Grand l. c. p. 69. & 70. Spond. hoc ann. n. 8.

Cum Papa adhuc in custodia detineretur, hujus causſæ decisio segnius urgebatur: ast simulac fama Romæ percrebuit, quod Clemens sub mercatoris veste noctu fuga elapsus sese Urbevetum recepisset, mox Angliæ Legati inter ceteros primi Papam convenere, eique recuperatam libertatem gratulati sunt; his ita respondit Pontifex, „ quanta Rex Dominus ve„ ster, necnon Cardinalis Volsæus pro „ liberatione mea præstiterint, haud „ ignoro, utrique eorum meo nomine „ dicatis velim, me pro beneficii am„ plitudine grati animi mercedem red„ diturum. „ Tanta Papæ benignitas Lega-

Legatis opportunam demandati negotii seriem exponendi occasionem suppeditabat, quocirca præprimis pluribus extollebant immotum, quo Reges regnumque Angliæ Sedem Apostolicam semper venerarentur, studium, necnon præclara, quæ hucusque Ecclesiæ præstitissent, ac etiamnum præstare possent, exaggerabant obsequia, postea summo Pontifici exponebant, quod Sedis Apostolicæ honor, atque utilitas deposceret, ut mala præverterentur, quæ Regno impenderent, si Rex absque prole mascula decederet, Reginam enim suscipiendi filii spe destitutam esse ajebant, proin Regis sui nomine rogarent Pontificem, ut Julii II. dispensationem, vi cujus Rex fratris sui viduam ducere permittebatur, solerter discutiendam committeret. Pontifex cuncta, quæ Legati proponebant, benigne excepit, responditque, æqua sibi videri eorum postulata, sibi vero totius rei seriem haud probe perspectam esse, proin acturum se proxima quoque die cum Cardinale tit. SS. quatuor Coronatorum, ac postea se hac super re eisdem responsum daturum.

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

Le Grand hist du divorce d' Henric. VIII. tom. 1 p. 69. & 70. Spond. ad ann. 1528. n. 8.

§. XLIX.

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

§. XLIX.

Epistola Cardinalis Volsæi ad Casalium Angliæ Legatum Romam missa.

Sub idem tempus Cardinalis Volsæus datis ad Gregorium Casalium Legatum literis eidem injunxit, ut unita cum Knigthio opera Papam urgeret, quatenus Regi, quæ postulaverat, concederet. Hæc epistola vehementi admodum stylo concepta haud obscure ardens manifestabat desiderium, quo ipsemet Cardinalis divortium decerni peroptabat. Præprimis Casalium encomiis, promissis, atque officiosis verborum lenociniis lactabat, præmia etiam pollicitus, si negotium ejus curæ demandatum feliciter ac sedulo ad exitum perducere conaretur. His præmissis ad eum sequentia perscripsit:

Burnet hist. refor. Angl. tom. 1. p. 73. De Rapin. Thoiras hist. d'Angl. to. 5. p. 250.

„ Haud ultra te latere potest, Regem
„ non modo propriæ scientiæ, ac adhi-
„ bitæ diligentiæ testimonio, sed ipso e-
„ tiam plurium Theologorum, ac Viro-
„ rum in quavis facultate celeberrimo-
„ rum judicio convictum clare agno-
„ visse, quod Reginam thori sui sociam
„ haud ultra habere possit, quin leges
„ divinas violet, suamque conscientiam
„ lædat, atque animum periculo salu-

„ tis,

„ tis, necnon continuis agitationibus Sæcul. XVI.
„ exponat; præterea Rex non modo A. C. 1527.
„ regni sui, sed etiam exterarum regio-
„ num Jurisperitos, Theologosque scien-
„ tia longe clarissimos in consilium vo-
„ cavit, atque inter eos nonnulli cen-
„ sebant, Papam in primo affinitatis
„ gradu legis gratiam facere haud po-
„ tuisse, eoquod ejusmodi connubia pu-
„ blicæ honestati, legi naturali, & divi-
„ næ adversentur, atque interdican-
„ tur (*); ceterorum autem omnium
„ sententia eo abibat, quod Papa (si ta-
„ men id posset) nunquam ejusmodi
„ facultatem concedere debuisset, nisi
„ ob causas omnino gravissimas, qua-
„ rum tamen nulla in Pontificis Consti-
„ tutione exprimitur. „ Post hæc Car-
dinalis proposuit rationes jam superius adductas, quibus innixus Rex Julii II. dispensationem nullam declarari postulabat.

Demum ita prosequitur Cardinalis:
„ Haud temere Rex suspicabatur, quod
„ propterea a Deo prolium suarum
„ morte fuisset castigatus, unde, ut no-
„ vas irati Numinis calamitates decli-
naret,

(*) Ita censebant vænales quidam Angliæ Doctores, cujus sententiæ falsitatem optime detexit Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus tom. 3. tract. 14. cap. 1. & seqq.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

„ naret, ad Sedem Apoſtolicam negotium referre ſtatuit, petitque, ut ibidem matrimonii ſui firmitas diſcutiatur, ſimulque præclara, quæ ſummis Pontificibus præſtitit, obſequia ponderentur; hancque in rem media perquirantur opportuna, ut a conjugis ſuæ thoro ſeparatus libere alteri nubere poſſit, a qua Deo adjuvante prolem maſculam ſperare valeat. Igitur nil intentatum relinque, ut remotis arbitris cum Papa conferas, eique demandatæ poteſtatis literas tradas, in quibus maximi momenti conditionem ab ipſomet Rege additam reperies. Præterea ſummo Pontifici meo, Regisque nomine exponas, nos ſummopere adverſam, quam Papa, ejusque Cardinales indignum in modum perpeſſi ſunt, vicem dolere, ſimulque eidem fidem facias, nos nihil non acturos, ut Papa, ejusque Cardinales quantocius libertati reddantur, me vero ſpeciatim tanto ſtudio, ac fervore huic negotio invigilaturum, perinde acſi Sanctitatis ſuæ libertas unice a meis viribus dependeret. Poſtea ſummum Pontificem de ipſa conjugii, quod Rex contraxit, ſtatu ac conditione edoceas velim, vis quoque depinge coloribus crebras, quibus religioſa Regis conſcientia agita-

„ agitatur: exaggera mentis anxietates, Sæcul. XVI.
„ necnon calamitates, quæ Rege ſine A.C. 1527.
„ hæredibus decedente Regno immine-
„ rent; his adde omnium Procerum
„ preces, totiusque populi vota. Ver-
„ bo, nil eorum prætermitte, quibus
„ Papam ad irritandam Julii diſpenſa-
„ tionem inducere poteris, eique ob
„ oculos pone præſentem Chriſtianæ
„ Reipublicæ, ac Italiæ ſtatum, præ-
„ terea gravibus omnino verbis Ponti-
„ fici ſerio exponas, quantum ipſius,
„ Sedisque Apoſtolicæ interſit, ut Rex
„ inviolabili fide ſummis Pontificibus
„ adhæreat, ac denique fidem facias
„ Clementi, quod ſi hoc in negotio Re-
„ gis voluntati ſatisfacturus ſit, fore,
„ ut Henricus ad tuenda Eccleſiæ jura
„ ſemper ſeſe obſtrictum profiteatur. „

„ Ceterum, pergit Cardinalis, ma-
„ gis glorioſum erit Pontifici, ſi incon-
„ ſulto etiam Cardinalium Collegio Re-
„ gem voti ſui plene compotem reddi-
„ derit, ac *proprio*, ut inquiunt, *motu*
„ demandatæ poteſtatis literis, quas
„ unacum transmitto, ſubſcripſerit,
„ eoquod legitime ſint inſtructæ, vali-
„ disque argumentis ſuffultæ, eisque
„ nil niſi Papæ ſigillum deſit. His enim
„ literis Rex mihi poteſtatem concedi
„ poſtulat, ut unacum aliis meo judicio

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

„ ſeligendis de Regis matrimonio cog-
„ noſcere, ac ſententiam ferre poſſim;
„ præterea hæ literæ conſonant man-
„ datis, quæ itidem tibi ſubmitto, jam
„ ultima eis admota eſt manus, eas igi-
„ tur a Papa ſignari procura unacum
„ alia diſpenſationis forma plene elabo-
„ rata, quam in eodem faſciculo repe-
„ ries. Si cuncta hæc impetrabis, Pon-
„ tifici ſignifices, Regem in Franciam
„ jamjam ingentem pecuniarum ſum-
„ mam pro Gallorum exercitu in Italia
„ alendo transmiſiſſe, nunc vero nec
„ labori, nec ſumptibus, nec theſau-
„ ris parciturum, ut Papam e cuſtodia
„ eripiat, ſanctamque Sedem Apoſto-
„ licam in eundem, quo antea fulge-
„ bat, potentiæ ac Majeſtatis ſplendo-
„ rem reponat, hancque in rem recen-
„ ſeas, quod Henricus Belgium toto
„ exercitus ſui robore invaſurus, bel-
„ lumque tamdiu Cæſari illaturus eſ-
„ ſet, donec ad officium redigatur. Si
„ vero Papa e carcere ſuo jamjam ere-
„ ptus in Cæſaris gratiam redierit, pri-
„ usquam has literas receperis, tunc
„ Pontifici ſuggeras, ne fiduciam ſuam
„ in Caroli præſidium reponat, cum is
„ eidem ſæpius fidem fefelliſſet, totus-
„ que in eo eſſet, ut Eccleſiæ poteſta-
„ tem imminueret, pariter Pontifici in
„ memoriam revoces, quod Cæſarem
„ a ſo-

„ a solemni juramento, quo se Mariam Sæcul. XVI.
„ uxorem ducturum obstrinxerat, in- A.C. 1527.
„ scio Rege absolverit, proin Henricus
„ quoque utpote omni tempore sacræ
„ Sedi addictissimus, juxta ac studio-
„ sissimus merito sibi polliceatur, ut
„ parem etiam favorem consequi me-
„ reretur. Si autem forte Pontifex mi-
„ hi hujus caussæ cognitionem commit-
„ tere tergiversetur, ac vereatur, ne
„ Regis voluntati utpote primus illius
„ Minister plus justo faveam, tunc quic-
„ quid tua tibi industria dictat, adhibe,
„ ut ejusmodi timorem dispellas, cer-
„ tumque reddas Pontificem, me om-
„ nes æqui judicis partes expleturum,
„ si vero insuperhabitis his omnibus Pa-
„ pam flectere desperes, propone illi
„ Staphilejum Rotæ Apostolicæ Deca-
„ num, qui modo in Regno moratur,
„ ceteros autem quoscunque extraneos
„ recusa; his quoque adde, hujus ne-
„ gotii moram æque ac ipsam petitio-
„ nis repulsam Regi ingratam fore. De-
„ nique si Papam animo constituisse cer-
„ nes, rem cum quibusdam Cardinali-
„ bus agere, nil inausum relinque, ut
„ ab hac sententia illum dimoveas, si
„ autem incassum omnia, horum Car-
„ dinalium nomina explorare, eosque
„ invisere cures, nihilque eorum præ-
„ termittas, quæ, ut hi Regis propo-

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

„ sito faveant, opportuna censebis; exhibe illis rationes, ob quas dispensationis Bulla omnino nulla est, & divortium concedi petitur; postremo illos „ muneribus ad Regis partes pertrahere studeas. „

§. L.

Cardinalis tit. quatuor Coronatorum a Knitghio, & Casalio salutatus.

Has literas recepit Casalius unacum Epistolis ad plures Cardinales directis, atque inter alios ad Puccium, & Cardinalem tit. SS. quatuor Coronatorum; hujus enim Cardinalis sententia prævalere videbatur, idque sat aperte manifestabat responsum, quod Papa jam antea Casalio dederat. Quapropter hic Knitghio sese adjunxit, atque ambo Cardinalem tit. SS. quatuor Coronatorum adeuntes eidem literas a Volsæo ad eum datas tradunt, necnon officiosæ hujus salutationis caussam exponunt, spe facta, Regem grato admodum animo pia in eum obsequia suscepturum, dummodo is caussæ æquitati faveret. Referunt etiam Scriptorum nonnulli, Regem hisce Legatis præter decem aureorum millia in eos expendenda, qui eis hac in caussa opitularentur, plenam etiam dedisse potestatem, ut Regis nomine, quicquid

quid illis bene visum fuerit, polliceri possent. Ceterum Legati præter dispensationem, quam petebant, transcriptas demandatæ potestatis literas eo modo ac in Anglia conceptæ fuerant, Cardinali exhibuerunt. Hic illas solerter discussit, duosque sat graves in illis deprehendit errores, qui sane Papæ, Regi, ac Volsæo honoris damnum haud reparandum intulissent. Quocirca Legati Cardinalem rogabant, ut ipsemet potestatis literas, quæ nec Henrici consiliis, nec Clementis Papæ honori adversarentur, conciperet. Annuit Cardinalis, atque ambo Ministri sat contenti recedere videbantur. Nil igitur deerat, nisi ut & ipse Pontifex hisce literis subscriberet, hancque in rem Knigthius, & Casalius Clementem adibant, summis precibus efflagitantes, quatenus nomen atque sigillum suum apponere velit, ut tandem hæ literæ in Angliam transmitti possent. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. LI.

Opportuna occasio negotium protrahendi a Pontifice excogitata.

Ad hæc Clemens utrique Ministro respondit his verbis: „ Minime ignoratis, quam gravi Cæsaris indignatione me exponerem, si ad eum hujusmodi subscriptionis notitia perve-

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

„ niret, nec tamen id facere omnino „ recuſo, quamvis haud temere acer- „ biora pertimeſcam mala; non enim „ majori adhuc fruor agendi libertate, „ quam olim in carcere detentus, imo „ etiamnum ut antea hoſtibus tota cir- „ cum Regio obſidetur, illos tamen ad „ iram concitare, minus vereor, quam „ de amicis meis male mereri. „ Hæc utrique Legato propoſuit, ſimulque fidem fecit, ſe quævis tentaturum, ut eorum Regi ſatisfaceret: præterea ab eis petiit, ut Lautrecum Gallici exercitus Ducem, qui tum Bononiæ agebat, cum copiis ſuis Urbevetum progredi compellerent, eo fine, ut coram Cæſare, abs cujus præſcitu ſe divortii cauſſam haud moturum ſpopondit, obtendere poſſit, quod ad ſubſcribendas demandatæ facultatis literas atque diſpenſationem a Lautreco vi fuiſſet compulſus, idque prius Caſalio quidem denegaſſet, nec tamen pari ratione cum Gallorum Belliduce agere potuiſſet, quin jus gentium infringeret. His addebat: „ Hoc pacto honori meo proſpicere, „ fractæ fidei calumniam declinare, ſi- „ mulque Cæſarem placare potero. „ Cum vero Lautrecus absque Galliarum Regis juſſu exercitum Urbevetanæ civitati admovere haud valeret, eaque res longioris eſſet moræ, Henrici Oratores medium

medium a Papa propositum rejecerunt; id enim unice in votis habebant, ut totum negotium, priusquam Cæsari innoteſceret, plene perficeretur. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. LII.

Facultatis literæ unacum diplomate dispensationis a Papa conceſſæ.

Quorumdam Scriptorum fide discimus, quod Papa tam importunis precibus pulsatus fuerit, ut Volsæo hac in causſa agendi facultatem, Regi vero dispensationis diploma concederet, simulque Casalio æque ac Knigthio polliceretur, se progressu temporis novam daturum judicandi potestatem, eidemque Epistolæ eandem adscripturum diem, qua Lautrecus prope Urbevetum venturus esset. His addidit, se sperare, quod hæc agendi ratio, tamque propensus illius animus haud dubie ab Henrico Rege gratus, acceptusque habendus foret. Burnetus insuper observat, ex utriusque Ministri literis haud obscure colligi, quod Papa eo adhuc tempore, quo in arce S. Angeli captus detinebatur, utrumque diploma concesserit, suoque chirographo firmaverit, Rex vero transmissis hisce literis ea ex causſa uti renuerit, ne eas a Pontifice libertatis suæ, quam per Anglorum opem recuperare sperabat, *Burnet hist. de la reform. d' Angl. tom. I. p. 77.*

Sæcul. XVI. A 527

rabat, percupido extorsisse redarguere-tur, præcipue cum aliunde ea, quæ a viro in vinculis detento promittuntur, tanquam irrita haberi possent. Affirmat quoque Dupinus, quod Pontifex Henrico Bullam concesserit, vi cujus eidem permittebat, ut quamcunque vellet, uxorem duceret, quamprimum ejus matrimonium cum Catharina irritum nullumque fuerit declaratum; id vero Le Grandius nec affirmat, nec negat.

De Rupin. Thoiras hist d'Angl. t. 5. p. 251. Dupin Bibl. des Aut. Eccl. t. 13. p. 136. Le Grand. l. c. p. 72.

Ceterum Cardinali tit. SS. quatuor Coronatorum in præmium obsequii, quod Angliæ Ministris præstitit, quatuor aureorum millia fuere oblata, quæ ab eo tamen minime acceptata fuisse videntur, eoquod Volsæus Cardinalis in quadam Epistola circiter uno post mense scripta queratur, quod hic idem Cardinalis munus sibi ab Angliæ Rege oblatum respuisset. Interim Henrici causa per ea, quæ Pontifex agitabat, parum promovebatur; supererat enim decidenda hæc quæstio, an prius matrimonium fuerit validum? Unde Rex parum contentus erat, cum cerneret, quod Annus Christi millesimus quingentesimus vigesimus septimus jam penitus esset evolutus, nil tamen ipse adhuc profeciisset.

§. LIII.

Sæcul. XVI.
A.C.1527.

§. LIII.

Dissidia Lutheranos inter & Zwinglianos.

Cum interea Henricus Rex divortii sui causſam ita urgeret, & adhuc, quo se verteret, dubius hæreret, fervebant in Anglia & Helvetia acres admodum altercationes non modo Catholicos inter & Novatores, sed inter ipsos etiam Lutheranos, Zwinglianos, & Anabaptistas. Jamjam memoravimus, quod Lutherus jam ab Anno Domini supra millesimum quingentesimo vigesimo quarto Carolstadii & Zwinglii doctrinam de Eucharistia, & præsentia reali impugnaverit, nunc vero sese utrique Oecolampadius adjunxit, atque eorum sectam in urbe Basileensi divulgans, Missam non esse Sacrificium tradidit, atque insuper potissimam partem rituum Ecclesiasticorum abrogavit, & paulo post ipsam quoque Christi Domini præsentiam in Eucharistia negavit. Insurgebant adversus hosce errores in suis sermonibus Lutherani, qui in Suevia & Bavaria agebant; quapropter Oecolampadius ad illos transmittere cogebatur tractatum, quem de verbis Domini in institutione Sacramenti Altaris conscripsit. Hunc confestim Brentius confutabat, nec tamen

Bossuet Variat tom. 1. in 4. p. 87. & suiv.

Sæcul XVI A C. 1527.

men obmutuit Oecolampadius. Conabantur Argentinenſes Miniſtri hisce diſputationibus finem imponere, eoque conſilio Georgium Chaſelium Wittembergam ablegarunt, ut Luthero, ejusque aſſeclis exponeret, quod ſcriptis ſuis ultro citroque datis ingentes tumultus ſuſcitarent, atque ſemetipſos mutuis diſſenſionibus eo vel maxime tempore ſcinderent, quo magis quam unquam, ad evertendam Papæ dominationem uniti eſſe deberent, præterea rogabant eos, ut quantumvis opinione circa cænam ab eis diſcrepent, illos tamen velut fratres habere velint. Verum Lutherus adeo non eorum votis annuit, ut etiam reſponderet, ſe ad reprimendos Zwinglium, & Oecolampadium omnino compelli, eoquod illi libris ſuis de Euchariſtia fidelium pacem tantopere perturbarent, ut neceſſe ſit, *vel Zwinglium, vel Lutherum Sathanæ Miniſtrum eſſe*, oportere igitur rem eo perducere, ut hi alios haud ultra fallere poſſent. Poſt hæc Joannes etiam Pomeranus, Billicanus, & Brentius ſuos calamos contra Zwinglianos acuebant, quibus tamen Zwinglius reſpondit, eique Bucerus, Conradus Pelicanus, & Leon Juda ſuffragati ſunt.

§. LIV.

§. LIV.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Lutheri agitatio ob hæc dissidia.

Ferventibus Sacramentariorum dissidiis illi, qui se *reformatos* dictitabant, nulla communis causſæ ratione habita se invicem acriori bello, quam ipsam Ecclesiam proscindebant, quantumvis specietenus quandoque uniti viderentur. Inde vero haud parum deprimebatur Lutheri auctoritas, quam tamen apud illos, qui sub illius auspiciis prætensam reformationem amplectebantur, conservare omni ope & opera contendebat; quapropter tanto opprimebatur dolore, ut etiam verborum arrogantia, qua exterius contra eos tumultuabatur, minime animi sui agitationem sedare posset, quinimo quo ferocius furiis impotentibus debacchabatur, eo minus tolerandum ipsi videbatur, quod nominis sui gloria ab ea etiam factione vilipenderetur, cujus unicum tamen caput ipse solus haberi ambiebat. Præterea doloris, quem inde concipiebat, acerbitas ad ipsum quoque Melanchtonem sese extendebat, *Lutherus*, inquit ille, *horrendas mihi causſat perturbationes ob prolixas querelas de suis afflictionibus; dejectus est, & deformatus per scripta non contemnenda. Compassio, & afflictiones Ecclesiæ extreme me affligunt;*

Melanchton l. 4. ep 76. ad Camerarium

Sæcul. XVI A.C. 1527.

gunt; *vulgus incertum in partes ſecedit; niſi Deus perpetuo ſe Eccleſiæ adfuturum promiſiſſet, ejus ruinam veteres ob diſſenſiones timerem; nimis enim certum eſt illud: diſputando veritas amittitur.*

§. LV.

Monſtrum Ubiquitatis a Luthero productum.

Boſſuet l. cit. p. 105. Florim. Ray. de orig. hær. l. 2. c. 14. G. Calliſti judic. & Rayn. ann. 1527. n. 55.

Interim Lutherus nimio diſputandi æſtu abreptus in alium incidit errorem; docebat enim, *Corpus Chriſti Domini, æque ac ejus Divinitatem eſſe ubique.* Hac vero ratione abſonam hancce doctrinam fulcire conabatur: *Humanitas Chriſti Domini eſt unita Divinitati, ergo humanitas eſt ubique ſicut ejus Divinitas. Humanitas Chriſti eſt ad dexteram Dei, quæ eſt ubique, ergo etiam humanitas eſt ubique, atque ita Chriſtus Dominus homo ubique eſt: in cœlo fuit, antequam deſcenderet: in tumulo, antequam ſepeliretur, eo etiam tempore, quando Angeli dixerunt: Non eſt hic.* In errorem adeo enormem prolapſus eſt Lutherus, poſtquam ſeſe Zwinglianorum doctrinæ non minus falſæ opponere nitebatur. Aſſerebant enim illi, *quod ne divina quidem potentia Corpus Chriſti in duobus locis poni poſſit*, eo autem errore præſentiam realem Corporis Chriſti in Euchariſtia evertebant. Nec deerant tamen Lutheri diſcipu-

scipuli, qui insulsam ejus opinionem quantocius propalare nitebantur, ac quicquid novitatem saperet, avide excipiebant. Hos inter haud infimus erat Jacobus Le Fevre, qui vulgo Schmidelinus vocabatur; proin *Ubiquistarum* nomen sortiebatur illa Lutheranorum factio, quæ ut præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia propugnaret, licet transubstantiationem negaret, asserebat tamen Corpus Christi æque ac ejus Divinitatem ubique esse. Docuit primo Lutherus hunc errorem in quodam libro, quem ad propugnandum literalem S. Paginæ sensum Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo septimo conscripsit: Cum vero hanc opinionem apud suos plurimum invalescere cerneret, eandem majori cum pertinacia tuebatur in Confessione fidei, quam paulo post præfatum librum edidit.

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

Luther. ser. quod verba stant. t. 3. Callist. judicium n. 4. & seq.

In postremo hoc libro asserit, *parum referre, an in Eucharistia panis maneat, vel aufferatur*, magis tamen rationi congruum videri, si adstruatur *panis carneus, & vinum sanguineum;* novo hoc dicendi genere Lutherus corpoream, quam panem inter & vinum statuit, unionem exprimebat; hæc autem verba *impanationem* inferre videntur, idque sæpius ipse Lutherus innuit, suaque explicandi methodo

Sæcul XVI A.C.1527.

thodo non raro longius, quam ipsemet intenderat, abripiebatur; nec dubitari potest, quin ejusmodi propositiones, quamdam panis cum carne, & vini cum sanguine mixtionem inferant, quæ admodum crassa, ac nullo pacto toleranda Melanchtoni videbatur, *locutus* inquit, *Luthero super hac mixtione, quæ multis videtur ingens paradoxum, decisive reposuit, nihil se hic mutare velle. Ego vero opportunum non judico, hanc materiam aggredi*, perinde ac si diceret Melanchton, *non consentio Luthero, nec tamen eidem contradicere audeo.*

Lib.4. ep.26.

§. LVI.

Prætensæ Reformationis fundamenta mutuis hisce dissidiis eversa.

Interim hæ disputationes, quæ non sine magna animorum contentione sæpius utrinque agitabantur, reformationem recte sentientibus passim invisam reddebant; credebant enim novi hi reformatores, omnia decidi posse per solam auctoritatem sacri Codicis, præter quem nullum alium judicem admittebant; & nihilominus super ipso hujus sacræ Paginæ sensu continuo inter se litigabant, quinimo utrinque scindebantur circa aliquem illius textum, qui tamen ceteris omnibus magis clarus esse debuis-

debuiſſet, eoquod in eo de ipſa Chriſti Domini ſuprema voluntate agatur. Unde tam illi quam iſti inclamabant: *Clara ſunt omnia, nonniſi lectione opus eſt.* Legit Lutherus tam evidens ſacræ paginæ teſtimonium, & nihil magis impium, ac temerarium cenſuit, quam literalem illius ſenſum negare. Legit & Zwinglius, & nihil credidit magis abſurdum, magisque craſſum, quam eundem ſenſum admittere. Quapropter illis Eraſmus unacum omnibus Catholicis reponebat, *vos omnes provocatis ad Scripturam: uterque ergo, antequam legem mundo præſcribatis, inter vos convenite* (*). Sæcul. XVI. A.C 1527. *Lib.* 17. 3. *l.* 19. 3. & 113 59. *p.* 2102. *& ſeq.*

§. LVII.

Diſputatio a Bernenſibus inſtituta.

Sub idem tempus Bernenſes in Helvetia ignominiam reparare ſatagebant, quam Zwingliani ex ſiniſtro Badenſis diſputationis ſucceſſu (ut ſupra meminimus,) ſibimet ipſis inurebant; quapropter ut Miniſtrorum altercationes ſopirent, die decima ſeptima ſeptembris Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vige- *Sleidan. in Comm. edit.* 1526. *l.* 6. *p.* 182.

(*) *Obſerves velim, quod Continuator totum hunc Paragraphum ex Boſſuetii Meldenſis Hiſtoria Variationum lib.* 2. *mihi fol.* 85. *vix non de verbo tranſcripſerit.*

Sæcul. XVI A.C. 1527.

vigesimo septimo encyclicas dederunt literas, quibus ad septimam Januarii diem anni sequentis disputationem indicebant. Vocaverant ad eam non modo ceteras gentis suæ Tribus, sed etiam Constantiensem, Basileensem, Sedunensem, & Lausanensem Episcopos, quibus publico edicto injunxerunt, ut vel per seipsos, vel per suos Theologos adessent, indicta etiam pœna privationis omnium bonorum, quæ in Helvetia possiderent. Præscribebant autem Bernenses nationis suæ Ecclesiasticis sequentem agendi normam. I. In omni actione non alia allegabitur auctoritas quam Veteris, & novi Testamenti. II. Cuncta in hoc colloquio agitabuntur modeste, absque convitiis, aut verbis mordacibus. III. Cuilibet liberum erit sententiam suam edicere, hancque in rem nominabuntur Scribæ, qui cujuslibet opinionem notabunt. IV. Quæcunque in hoc colloquio decernentur, inviolabili lege in omnibus Helvetiæ Pagis observabuntur. His præmissis exponebantur quæstiones ibidem agitandæ; ut vero, qui interesse jubebantur, præparati accederent, decem divulgabantur propositiones, quas Ministri Bernenses Franciscus Kolbus, & Bertholdus Hallerus ex S. Literis stabilire ac firmare spondebant.

§. LVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. LVIII.

Articuli in hoc colloquio propositi, ac decreti.

Erant autem sequentes articuli: I. Vera Ecclesia, cujus unicum caput est Christus, ex solo Dei Verbo oritur, atque in eodem fundatur, proin aliam vocem non esse audiendam patet. II. Eadem Ecclesia non potest alias ferre leges præter illas, quæ Verbo Dei innituntur, unde traditionibus humanis, quæ Ecclesiasticæ vocantur, credendum non est, nisi quatenus huic Dei Verbo consonæ sunt. III. Christus Dominus pro omnibus totius mundi peccatis satisfecit, quocirca ille renunciat Christo, qui aliam peccata expiandi viam adstruit. IV. Ex S. Literis probari nequit, vere ac realiter Corpus & sanguinem Christi recipi. V. Ritus Missæ, in qua Christus exhibetur, ac offertur Patri cœlesti pro vivis & mortuis, sacræ Paginæ adversatur, ac injuriam infert Sacrificio, quod Christus Dominus pro nobis obtulit. VI. Solus Jesus Christus tanquam interceſſor, & generis humani Advocatus apud Deum Patrem invocandus est. VII. In sacris literis expressum non habetur, post hanc vitam dari locum, in quo animæ purgentur, atque

Sleidan. l. c.

Sæc. XVI. A.C.1527.

atque inde infertur preces, ceremonias, anniversaria pro mortuis celebrata, cereos, lampades, & alias ejusdem generis res defunctis nihil prodesse. VIII. Statuæ atque imagines ad cultum fidelium propositæ sacræ paginæ repugnant. IX. Nulli cujuscunque sit conditionis vel status matrimonium interdicitur, eoquod S. Scriptura id non modo permittat, sed & ad evitandam fornicationem præcipiat. X. Impudici, & fornicarii ex sacræ Paginæ testimonio ab Ecclesia sunt separati, atque ideo nihil magis Presbyteratus ordini adversatur, quam quod Sacerdotes in turpi & impuro Cælibatu vivant.

§. LIX.

Bernenses a ceteris Helvetiis de impediendo hoc colloquio datis literis admoniti.

Sleid. ibid. p. 183.

Has propositiones Bernenses Helvetii ad omnes reliquos Pagos transmittebant, eosque hortabantur, ut & ipsi colloquium accederent, & adeuntibus itineris securitatem procurarent. Verum Lucernenses, Suitii, Sylvenienses, Tugienses, Gloronenses, Friburgenses, Urienses, & Soloturni literis ad Bernenses datis eos impense monebant, ut ab instituto desisterent, ac fœderis inter

ter se initi memores Badensis Disputa- Sæc. XVI.
tionis conclusioni insisterent, quam ip- A.C. 1527.
simet utpote præcipui illius auctores approbassent; addebant etiam, minime licere ulli populo, aut Provinciæ normam Religionis ac doctrinæ mutare, sed hoc pertinere ad Concilium Generale. Postmodum illos obtestabantur, ac effictim rogabant, ut a tam horrendo scelere desisterent, ne se seduci permitterent ab exili exterorum numero, qui unice ad turbandam fidem intenti essent, potius vero in Patrum suorum, ac Majorum fide immoti persisterent, in qua tam celebre sibi nomen acquisivissent, cum toties de hostibus suis victoriam reportantes plurimum ditionis suæ imperium protendissent; quapropter se sperare ajebant, quod benigne ab eis excipiendi forent, cum valde æqua sit eorum petitio, si vero secus fecerint, declarabant, quod nec Oratores suos ad colloquium decernere, nec illis, qui Badensi conventui non intererant, liberum transitum concedere possint.

Præterea præfati quatuor Episcopi ad Bernensium epistolam dato responso demonstrabant, sacram Scripturam, etsi maximæ foret auctoritatis, nequaquam tamen pro sola habendam esse regula, quam in dijudicandis ac definiendis fidei controversiis sequi oporte-

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

ret; quemlibet enim in suo sensu abundare sacramque Paginam pro suo arbitrio interpretari dicebant. His subjungebant, Bernensem conventum nequaquam legitimum esse judicem in quæstionibus, quæ fidem, & Scripturæ sacræ sensum concernunt, imo non modo judicem non esse legitimum, sed etiam omnino suspectum; Bernenses enim, eoquod Zwinglio, & Oecolampadio favere constituissent, abs dubio illis quoque causam adjudicaturos. Indicabant insuper aliam viam a lege divina stabilitam, per quam fidei controversiæ definiri, ac dubia dilucidari possent; nimirum causam ad summum Pontificem referant, ejusque decisionibus sese submittant; potissimæ enim hæreses, quæ hucusque Ecclesiam infecerunt, ex sacris literis perperam intellectis aut explicatis ansam traxerunt; denique concludebant Episcopi, quod Tribunal a Bernensibus propositum nullatenus revereri valeant, eoquod ei nullum omnino in rebus fidei judicium ferendi jus, aut auctoritas suffragaretur. Ast pia hæc monita suo caruere successu, & Bernenses his omnibus contemptis præstituta die suum celebrarunt colloquium, ad quod tamen Episcoporum nullus, etsi vocati essent, accessit.

§. LX.

Sæc. XVI.
A.C. 1527.

§. LX.

Religionis mutatio in Suecia.

In Suecia Guſtavus Rex novis Lutheri opinionibus deluſus, totus in eo erat, ut ſuos quoque ſubditos eidem, in quam prior ſe præcipitem egit, ruinæ involveret. Unde Olai Petri, qui Lutheri affecla erat, ſuggeſtionibus ſtimulatus, Epiſcopos in fide conſtantes e Regno expulit, ex tribus duas decimarum partes ad alendum exercitum Eccleſiis abſtulit, atque argentea templorum vaſa ad ſolvendum æs alienum, quo Regnum gravabatur, impendit. Præterea Epiſcopos vi compulit, ut ei arces Eccleſiæ proprias cederent, Nobilibus vero conceſſit, ut bona, quæ Majores eorum oppignoraverant, ab Eccleſiaſticis ſoluto pignoris pretio repetere poſſent; hanc legem Epiſcopi, pauciſſimis exceptis, ipſimet conſenſu ſuo firmabant.

Luccenius l. 6 rer. Suev. Joa. Magn. hiſt. Suec. l. 24. Flor. Raym. l. c. l. 4. c. 15.

§. LXI.

Depreſſa Epiſcoporum auctoritas.

Cum vero Cleri ac præcipue Præſulum, inſuperhabitis hiſce vexationibus, ingens adhuc eſſet auctoritas, Rex eos, ut impiis ejusmodi conſiliis

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

resistendo impares essent, magis magisque deprimere constituit. Hunc in finem Ordinum comitia Arosiæ celebranda indixit, ac convenientibus cunctis Regni Proceribus, lautissimum adornavit convivium, sedium vero ordinem ita immutavit, ut a Rege proximi sederent Senatores, regnique Proceres, ac demum hos sequerentur Episcopi, Equites, tandemque Sacerdotes, ac Cives, licet pro veteri more Præsules utrinque Regis latus stipassent, eo autem absente, Archiepiscopus, etiam præsente Regni Administratore primum locum occupasset. Postera die Episcopi hanc agendi rationem indignati, in Ecclesia S. Ægydii unacum toto Clero conventum agebant, clausisque januis, quid hac in re agendum, deliberabant. Hos inter Lincopingensis Episcopus pronunciabat, haud sibi ignota esse Regis consilia; illum enim non aliud moliri, nisi ut Episcopos, quos jamjam honoribus suæ dignitati debitis, bonis, ac arcibus spoliasset, demum etiam ad simplicium Presbyterorum ordinem deprimeret, hacque via omnem eis auctoritatem adimeret.

§. LXII.

Sæc. XVI. A. C. 1527.

§. LXII.

Lincopingenſis Epiſcopi conſtantia.

Ad hæc Petrus Aroſienſis Epiſcopus, aliusque Prælatus reſpondit, quod Regis mandato ſeſe ſubjicere parati eſſent. Horum verborum indignitate Lincopingenſis Epiſcopus tantopere commovebatur, ut ei palam declararet, nonniſi a ſtultis, atque inſenſatis hominibus ejusmodi conſilia ac verba expectari poſſe. „ Si nobis, proſequebatur „ Epiſcopus, Rex bona noſtra vi eripe- „ re voluerit, eripiat, per me licet, id „ tamen nobis conſentientibus nun- „ quam faciat; & ſi demum nos ad vi- „ lium mancipiorum conditionem re- „ digat, num propterea Eccleſiæ liber- „ tatem ore & opere tueri non audebi- „ mus? „ Ceteri hoc ſermone excitati in eandem cum Epiſcopo ſententiam abibant, ac juramento ſpondebant, ſe ſemper ſummi Pontificis obſequio addictos fore, nec unquam quamdiu vita ſuperſtites eſſent, ullum Lutheranæ hæreſis articulum adoptaturos; interim vero, ſalva Religione, tempori ceſſuros, donec vera Religio prævaleret, ut brevi fore ſperabant. Verum haud diu firma perſtitit pia eorum voluntas; cum

Loccen. l. cit.

Sæc. XVI. A.C. 1527.

enim Rex in quodam conventu proposuisset, ærarium hostium invasionibus necnon ambitione Præsulum atque Episcoporum esse exhaustum, ac proin ad belli expensas, Legationes, arcium munitiones, Regii Principis nuptias, Aulicorum sustentationem, necnon ad præmia Nobilibus, & de regno bene meritis debita, Regi nova suppeditanda esse subsidia, facile tam Nobiles, quam plebæi amplioris præmii spe pellecti, unaomnes lubenti animo Regis petitioni concesserunt.

Solus Lincopingensis, cujus constantiam, animique firmitatem ceterorum ignavia minime corruperat, intrepide Regi sese opposuit, „Rex potentissime, „ inquit, tibi tanquam supremo Principi „ nostram fidem, obedientiam, ac sub„ missionem jurato obstrinximus, ea ta„ men lege, ne nobis quicquam præci„ pias, quod Conciliis, ac summorum „ Pontificum Decretis adversetur; no„ bis integrum non est Ecclesiarum Pa„ trimonium, & bona nostra, quæ ad „ illas spectant, alienare; tenemur non „ modo dare Cæsari, quæ sunt Cæ„ saris, sed etiam Deo, quæ sunt Dei.„ Rex hujus sermonis vi tactus, ad Senatores suos, Proceresque se convertit, eorumque sententiam rogavit, sciscitatus, quid ipsis de Episcopi oratione videre-

deretur? Ad hæc Turcio Hanſonius, quem Loccenius Turro-Joannem appellat, ſupremus Mareſcallus ceterorum nomine perorans inquit, æqua ſunt Lincopignenſis Epiſcopi verba, idem etiam omnes mei ſocii ſentiunt. His Rex magis adhuc ira accenſus, non ſine ſtomacho confeſſum reliquit, atque ad arcem ſeſe recepit. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. LXIII.

Supremus Mareſcallus cum ceteris ſeſe ſubmittens.

Verum Turcio Hanſonius biduo poſt Nobilium, Senatus, populique precibus expugnatus, Regis voluntati ceſſit: mox vero ad Regem decernebantur inter Proceres nobiliſſimi, qui ejus iram placarent, rogarentque omnium nomine, ut ad comitia redire velit. Simulabat primo Guſtavus eorum votis reluctari, verum quarto poſt die ad conventum reverſus eſt, ubi cuncta ad ejus ſententiam gerebantur.

§. LXIV.

Edictum pro Rege ſancitum, moxque effectui dandum.

Igitur promulgatur edictum, quo Epiſcopis divitiarum copiam imminuere

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

sanciebatur, eo obtentu quæsito, quod hæ nonnisi ad luxum, vitæ licentiam, & eorum rebellionem opportunum illis suppeditarent medium; illis igitur non nisi ea, quibus honeste vivere possent, relinqui præcipiebatur. Præterea sancitum, cunctas fidei controversias duntaxat a celebribus Theologiæ Doctoribus decidendas, in Ecclesiis tantummodo purum Verbum Dei prædicandum, ac denique illos, qui Regi minus affecti essent, severe puniendos esse. Quantocius hoc edictum effectui datur, ac ipse Rex cum equitum agmine cunctas percurrit Provincias, ut hujus legis executionem urgeret. Unde omnes Episcoporum reditus, qui honestæ sustentationi supererant, Regis ærario addicuntur, ac præter arces, ferme tredecim millia possessionum seu prædiorum, quæ ad Clericos spectabant, Regi, Equitumque Ordini traduntur. Paulo post Gustavi Regis exemplum sequebantur Olaus Petrus, pluresque alii Doctores Lutherani, qui in præcipuis Sueciæ Ecclesiis Rege præsente ad populum dicebant: Parochorum quoque potissimi publice Lutheri hæresin amplectebantur, ac Dei cultum in lingua vulgari introducebant. Inter hosce tumultus Lincopignensis Episcopus in Poloniam secessit, ceterique Præsules in suis ædibus lati-

latitantes quiete subsistebant. Plurimi autem Religiosi, & quidem alii liberioris vitæ studio, alii vexationum metu adacti, e suis monasteriis excedebant. Episcopus quoque Scarcensis necnon supremus Maresscallus cum aliis Catholicis in fide magis constantibus Dalecarliam profugerunt, ubi factionem suorum conflabant, quæ tamen brevi a Gustavi exercitu dissipata est. Postquam igitur Rex omne periculum eluctatus erat, aperte se Lutheri asseclam exeunte hoc anno profitebatur, ac Olaum Petrum Stockolmiensi Ecclesiæ, Laurentium vero Petrum Upsalensi Archiepiscopatui præficiebat. Sæc. XVI. A.C. 1527.

§. LXV.

Varii Cardinales a Clemente VII. creati: Electio prima quinque Cardinalium.

Quamvis Clemens Papa a primis Pontificatus sui auspiciis semper assiduis agitaretur tumultibus, nihilominus quarta etiam vice quosdam Præsules ad Cardinalium dignitatem promovit. Hos inter in prima electione, quam die tertia Maji feria sexta habuit, quinque creavit Cardinales, quorum primus erat Benedictus Accoltius patria Florentinus, origine autem Aretinus. Is pri- *Ciacon in vit. Pontif. tom. 3 p. 477. Ughel. tom. 5 Ital. Sacræ.*

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

primo Gadenſem, poſtea Cremonenſem, ac denique Ravennatem rexit Eccleſiam, poſtea Cardinalium Collegio adſcriptus, titulum S. Euſebii adeptus eſt. Alter erat Auguſtinus Spinola Savonnæ natus, Peruſienſis Epiſcopus, ac Presbyter Cardinalis tit. S. Cyriaci. Tertius fuit Nicolaus Gaddi itidem Florentinus, Ferinenſis Epiſcopus, Cardinalis Diaconus tit. S. Theodori, poſtea D. Mariæ in via lata; præfuit etiam Sarlatenſi Eccleſiæ, ac demum Archiepiſcopatui Coſentino. Quartus nominabatur Hercules Gonzaga de Mantua, Franciſci Mantuani Marchionis, & Iſabellæ Eſtenſis Filius, ejusdemque urbis Epiſcopus, Tarraconenſis Archipræſul, ac Cardinalis Diaconus tituli S. Mariæ Novæ. Quintus denique creabatur Marinus Grimani patria Venetus, Aquilejenſis Patriarcha, primo Cardinalis Presbyter tit. S. Vitalis, poſtea S. Marcelli, & S. Mariæ Trans-Tiberim, qui legatione in Umbria fungebatur, atque in Marchia Tarviſana Cenedanus, ac denique Portuenſis Epiſcopus renuntiatus eſt.

§. LXVI.

Altera creatio octo Cardinalium.

Ciacon. l. cit. p. 488. & ſeq.

Die vigeſima prima Novembris ſummus Pontifex in arce S. Angeli altera

tera jam vice octo Cardinales creabat. Hos inter primus erat Antonius Sanseverinas patria Neapolitanus, Hierosolymitani Ordinis Eques, Presbyter Cardinalis tit. S. Susannæ, postea S. Apollinaris, & S. Mariæ Transtyberim. Præfuit Episcopus Ecclesiæ Conversanæ, Prænestinæ, Sabinensi, & Portuensi. Alter erat Vincentius Caraffa Neapolitanus, Presbyter Cardinalis ad S. Pudentianam, postea tit. S. Priscæ, & S. Mariæ Transtyberim, rexit Ecclesias præter alias Albanensem & Prænestinam. Tertio loco vocabatur Andreas Matthæus Palmerius itidem Neapolitanus, Archiepiscopus Materanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis, postea Sarni, Lucernæ & alibi Episcopus. Quartus eligebatur Antonius a Prato natione Gallus in Arvernis apud Isiodorum natus, Franciæ Cancellarius, Senonensis Archiepiscopus, atque in Galliis Papæ Legatus. Quintus erat Henricus de Cardona Hispanus Urgellæ natus, Episcopus Barcinonensis, Presbyter Cardinalis tit. S. Marcelli, postea Montis regalis Archiepiscopus, ac Siciliæ Prorex. Sextus fuit Hieronymus Grimaldi patria Genuensis, Venesri Episcopus, Cardinalis Diaconus tit. S. Georgii in Velabro, postea Barensis Archiepiscopus. Septimo loco Papa ad purpu-

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Sæcul. XVI. A.C.1527. purpuram evexit Pyrrhum de Gonzaga, Mutinenſem Epiſcopum, ac tit. S. Agathæ Diaconum Cardinalem. Poſtremus erat Sigismundus Pappadoca Nobilis Neapolitanus, Venuſinus ac Tropeenſis Epiſcopus, qui tamen in patria ut Epiſcopus vivere, quam Vaticana purpura decorari maluit.

§. LXVII.

Duo Cardinales in bina promotione creati.

Ciacon. l.cit. p.446.& 500 Tertia Cardinalium electio facta eſt die ſeptima Decembris, cum Papa adhucdum in arce captus detineretur, ubi nonniſi unicum creavit Cardinalem. Is erat Franciſcus Quignones natione Hiſpanus, Comitis de Luna Filius, primo ſupremus FF. Minorum Miniſter, ac demum Cardinalis tit. S. Crucis in Jeruſalem. Hujus Viri electionem Carolus V. Imperator inſolito prorſus gaudio excepit eundemque a confeſſionibus ac conſiliis aſcivit.

Die vigeſima Decembris idem Papa jamjam in libertatem aſſertus alteram habuit Cardinalium promotionem, in qua tamen nonniſi Franciſcum Cornarum ſeu Cornelium ad purpuram nominavit. Is erat patria Venetus, ac primo titulum S. Pancratii, poſtea S. Cæciliæ

Cæciliæ, tum S. Praxedis, ac denique S. Mariæ transtyberim assumpsit. A puero inter arma adoleverat, atque Abduensi interfuit prælio, in quo Galli de Venetis victoriam reportabant. Fratrem habuit Andream Spalatrensem Archiepiscopum, qui in Lateranensi Concilio sub Pontificatu Leonis X. ingentem nominis sui famam sibi comparabat. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. LXVIII.

Cardinalis Jacobatii obitus.

Excedebat novorum Cardinalium numerus dignitates, quæ in sacro Purpuratorum Collegio vacabant. Hoc enim anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo septimo nonnisi quatuor eorum obiisse reperiuntur. Hos inter primus erat Dominicus Jacobatius patria Romanus, Christophori Jacobatii Filius. Vir erat ingenii excellentia insignis, qui fœdere nunquam interrupto scientiam cum virtute conjungens præcipue in juris Canonici studio eminuit. Anno Salutis millesimo quadringentesimo octogesimo quinto ab Innocentio VIII. Consistorialis Aulæ Advocatus, dein Romanæ Rotæ Auditor anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio renunciatus, postea

Ciacon. in Leon. X. to. 3 p. 383.. Ferd. Ugel. in addit. ad Ciacon. Auberi vit. Card. Panv. de Rom. S. Pontif.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

ſtea Anno milleſimo quingenteſimo tertio, Vaticanæ Baſilicæ Canonicus promulgatus eſt. Præfuit Lucerinæ, Maſſanæ, & Groſſetanæ Eccleſiis, poſtquam ſub Sixto IV. Innocentio VIII, Alexandro VI, Julio II, ac denique ſub Leone X. ſummis Pontificibus in variis Romanæ Curiæ negotiis egregiam navabat operam. Tandem ab eodem Leone X. die ſecunda Julii Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo Cardinalium Collegio adſcriptus eſt. Ejusdem Menſis die Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo ex monumentis Vaticanis Jacobatium deceſſiſſe comperimus, Ciaconius tamen, Cabrera, aliique obitus ſui tempus ad Menſem Januarium anni ſequentis revocant. Sepultus eſt in Eccleſia S. Thriphonis; ita enim ipſus teſtamenti tabulis diſpoſuit, unde nonnullorum error corrigendus eſt, qui eundem in templo S. Euſtachii conditum referunt; quippe hi Jacobatium Cardinalem cum ejus Nepote Chriſtophoro Jacobatio confundunt. Ceterum hic Cardinalis Reipublicæ literariæ reliquit tractatum de Conciliis, qui iteratis prælis excuſus decimum octavum efficit volumen Collectionis, quam Pater Labbæus concinnavit. In eo Jacobatius agit de loco Concilii, inquirit etiam, cui

cui Synodum congregandi potestas competat, quo tempore Concilia celebrari debeant, quinam eisdem assistere teneantur, utrum Papa auctoritatem suam a Generalibus Conciliis derivet, vel ejusdem potestas a Conciliis restringi valeat; an Cardinales, relicto Papa, Synodum congregare, Papa vero hæresis insimulari possit? Denique agit de appellationibus a Papa ad Concilium, ac quærit, ob quas causas Pontifex exauctorari valeat? *Scripsit præterea*, ut inquit Ciaconius, *tractatum de donatione Constantini Imperatoris, necnon alium de utroque gladio in Ecclesia*, neutrum autem horum typis vulgatum arbitror. Sæcul. XVI. A C 1527. *Ciacon. l. c. p.* 384.

§. LXIX.

Scaramutiæ Trivultii Cardinalis mors.

Alter hoc anno obiit Scaramutia Trivultius, qui Patrem habuit Joannem Firmum Trivultium Joannis Jacobi Mareschalli fratrem, Matrem vero Margaritam Velpergiam ex nobilissima Mediolanensium prosapia ortam. Eminebat jurisprudentiæ fama in Universitate Papiensi, ac postea a Ludovico XII. Gallorum Rege in Franciæ Consiliarium adscitus, demum anno reparatæ salutis *Ciacon. l. cit. p.* 382. *Auberyl cit. Franc Sansov. de nobil. Ital Andr. Victorel. in addit. ad Cias.*

Sæc. XVI. A C. 1527.

Panvin. de Rom. Pontif. Ugel. in Italia sacra.

milleſimo quingenteſimo nono Comenſem Epiſcopatum adeptus eſt. Adverſabatur Cardinalibus, qui Piſis contra Julium II. conventum agebant, unde ab eodem Pontifice Romam vocabatur, ut Lateranenſi aſſiſteret Concilio, cui tamen nonniſi ſub Leone X. intereſſe poterat, atque ab eodem ſub annum Domini milleſimum quingenteſimum decimum ſeptimum Cardinalis tit. S. Cyriaci creatus fuit. Seligebat illum Galliarum Rex, ut Romæ regni negotia procuraret; Rexit vero Epiſcopus præter Comenſem, etiam Viennenſem, ac poſtea Placentinam Eccleſiam, quam tamen tribus ante obitum annis Catalano Trivultio ex Fratre Nepoti ceſſit. Aſt pulſis ex Italia Gallis, Scaramutia Cardinalis tum Romæ agens a Franciſco Sfortia Mediolanenſium Duce cunctis beneficiorum ſuorum reditibus ſpoliatus eſt, capto etiam Francisco I. Galliarum Rege in obſidione Papienſi Hiſpani, qui Mediolani Ducatum occuparunt, in retinendis Sacramutiæ proventibus perſtiterunt. Nihilominus tamen Cardinalis Romæ ſubſtitit, donec Borbonii Dux cum exercitu ſuo urbem aggreſſus, obſidionem pararet, tum vero, cum facile Metropolis hujus deprædationem præſentiret, permittente Papa diſceſſit, & ad Diœceſin Veronenſem

nensem se contulit. Ibi in Cœnobio, quod vulgo *Maguzani* dictum, prope lacum Gardæ situm est, obiit die nona Augusti anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo, ibidemque sepultus est sine ulla funebri pompa. Viros scientia claros summopere coluit, eosque ad mensam habere voluit, unde ex eruditis illorum colloquiis plurimum profecit. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

§. LXX.

Ferdinandi Ponzetti Cardinalis extrema.

Inter Cardinales, qui hoc anno decesserunt, tertius erat Ferdinandus Ponzettus, patria Neapolitanus, quamvis eum Florentini scriptores suum faciant civem; contendunt enim illi, Ferdinandum fuisse Filium Francisci Lippi, cujus Avus Neapoli excessit, filius vero Florentiæ natus est Anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, ibidemque inter cives adscitus, suam protraxit familiam, quocirca Florentini Ferdinandum nonnisi origine Neapolitanum fuisse affirmant, idque testatum faciunt ex quodam monumento, quod Romæ in Ecclesia S. Maria de Pace hodiedum visitur. Ceterum Ponzettus plurimos vitæ suæ annos

Ciacon. l. cit. Garimb. l. 6. hist. direpti urbis. Ughel. in Ital sacra. Aubery vie des Card. Scipio Ammirat in hist. Flor.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

nos ad Romanæ Ecclesiæ obsequium impendit, demum vero a Leone X. ærarii Apostolici Præfectus, inde Episcopus Melphitensis, Grossetanus, ac tandem Anno millesimo quingentesimo decimo septimo Mense Julio Cardinalis renuntiatus est. Equidem Garimbertus testatur, Ponzettum professione Medicum, ac divitiis abundantem, sexaginta aureorum millium pretio purpuram emisse, verum exigua admodum fides huic auctori adhibenda, eoquod abs ullo teste talia scripserit, & aliunde ejus fides multum suspecta, & primævo indolis vitio ejus lingua nimium maledica comprobetur. Virum hunc potius meritorum splendore Cardinalitiam dignitatem, quam juxta Ciaconium nonnisi octogesimo ætatis suæ anno obtinuit, plurimum illustrasse, suaque prudentia, ac morum comitate ingentem sibi laudem comparasse constat. Præfuit Ecclesiæ Melphitensi eo tempore, quo hæc civitas a Lautreco Franciæ Regis Belliduce ingenti civium clade per Gallos devastata, ac pene diruta fuit. Germani, postquam Romanam urbem occuparunt, indigno prorsus modo hunc Cardinalem habebant, illumque asino impositum per urbis plateas tanta barbarie ac furore circumvehebant, ut purpuratæ dignitatis contemptum ingemiscens,

scens, ex mœrore animi die secunda Septembris hoc anno decesserit, postquam nonagesimum ætatis suæ annum expleverat. Ciaconius obitus sui tempus ad Mensem Martium anni sequentis rejicit, id tamen adversatur sepulcrali inscriptioni, quæ in templo S. Mariæ de Pace legitur, ubi etiam sepultus quiescit in Sanctæ Birgittæ Sacello, quod a fundamentis extruxerat; hoc vero monumentum Jacobus Ponzettus Melphitensis Episcopus erigi curabat. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Scripsisse fertur tractatum de Sacramentis Adriano VI. Pontifici nuncupatum, item tres libros de venenis; de Physica volumen unum; alterum de origine animæ, ac denique de Philosophia naturali libros sex, quos Romæ edidit Jacobus Mazochius Anno millesimo quingentesimo vigesimo.

§. LXXI.

Francisci Armellini fatum.

Postremus tandem erat Franciscus Armellinus patria Perusinus non adeo nobili prosapia ortus; quippe, si tamen Garimberto fides, parentes ejus divitiis augebantur ex pecuniis, quas ab aliis mutuo acceperunt, ac solutione non facta auffugerunt; recenset idem quoque Scriptor, quod eorum Filius Romam *Ciac. in Leon. X p. 389. Aubery vie des Cardin. Garimbert. l. 6 hist. de dirept. urbis.*

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

delatus ibidem sedem suam fixerit, ac primo litigantium jura apud judices persequi, tandemque plura alia ejusdem generis negotia non adeo honorifica tractare cæperit. Nihilominus sagacitate sua tantum valuit, ut Leonis X. Papæ gratiam aucupatus, non raro eidem pecuniarum suppetias procuraret. Hic vero in favoris præmium Franciscum in Medicæorum familiam adscivit, eumque Mense Julio Anni millesimi quingentesimi decimi septimi Sacro Purpuratorum Collegio adscripsit, creavitque Marchiæ Gubernatorem, ærarii Præfectum, ac S. R. Ecclesiæ Camerarium, de quo officio, ut cum Cardinale Cibo ageret, eidem Papa veniam concessit. Hac vero dignitatum amplitudine Armellinus plurium invidiam, ac hostium suorum indignationem sibi accersebat, imo ipse quoque populus illius nomen exosum habebat, eoquod plurima subsidia, ac tributa civibus imposuisset, unde eorum furorem veritus, sub Adriano VI, qui Leoni X. in Pontificatu successerat, aliquamdiu Roma absens permansit. Referunt nonnulli, quod in quodam Patrum consessu cum de mediis, quibus Sacræ Sedis necessitates sublevari possent, ageretur, Cardinalis Pompæjus Columna audacter enunciaverit, excoriandum esse Armellinum, atque a cun-

a cunctis, quibus detractam ejus cutem videre volupe esset, nonnisi unicum obolum fore exigendum; ex collectis enim hisce pecuniis tantam facile summam cumulatum iri, ajebat, quæ ad sustinendos omnes sumptus necessarios sufficeret. Verum Cardinalis Medicæus Armelinum protegebat, ac ad summi Pontificatus apicem evectus, eundem præter alia pinquiora beneficia Tarentino Archiepiscopatu decoravit. Postea vero unacum eodem Pontifice in arce S. Angeli obsessus, omnes opes suas, quas Romæ habebat, in deplorandа urbis direptione a Cæsareis facta ablatas adeo vehementer doluit, ut præ mœrore animi e vita migraret. Hujus mors forte Pontifici haud ingrata accidit; bona enim ejus plusquam ducentis aureorum millibus æstimata tunc ad libertatis pretium pro parte solvendum impendebantur; nullo enim testamento condito Armellinus Mense Octobri hoc anno satis functus erat. Sæcul. XVI. A.C.1527.

§. LXXII.

Jacobi Hochstrati obitus.

Eodem hoc anno die vigesima prima Januarii celeberrimus Vir Jacobus Hochstratus obiit. Is frequenter admodum in arenam cum Reuchlino & *Valere André bibl. Belg.*

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Luthero descendebat, indeque non modo Lutheranorum, sed etiam eruditorum invidiam in se concitabat, prout ex inscriptione sepulcrali elucet, quam post ejus obitum nonnulli his versibus valde mordacibus adornabant.

Dupin. Bibl. des aut eccl. XVI siecle tom 14 p. 11. Echar. scrip. Ord. Præd. tom. 2.

Hic jacet Hochstratus, viventem ferri, patique
quem potuere mali, non potuere boni.
Crescite ab hoc taxi, crescant aconita sepulchro.
Ausus erat, sub eo qui jacet, omne nefas.

Is ab ejusdem nominis Comitatu, in quo natus erat in Brabantia, Hochstratus fuit appellatus. Emetiebatur studiorum curriculum Lovanii, ubi Anno post Christum natum millesimo quadringentesimo octogesimo quinto liberalium artium Magister creabatur, ac postmodum Coloniæ Institutum S. Dominici professus, gradatim primus Theologiæ Professor ac demum generalis Inquisitor in tribus S. Imperii Electoratibus, Coloniensi, Moguntino & Trevirensi renunciabatur. Vir erat animo intrepidus, qui sese profanis novitatibus toto studio opponebat. Necipse Luthe-

Lutherus eo magis acerbum experiebatur inimicum, quamvis ob agendi vehementiam, qua illum etiam calamo infectabatur, a quibusdam suggillatus fuerit, quorum tamen objurgationes in majorem ejus honorem cedebant. Haud tamen diffitemur, suam scribendi methodum, utpote a sermonis puritate valde alienam, haud immerito ab illius æmulis fuisse notatam; quinimo Aubertus Miræus, licet ceteroquin eidem oppido addictus esset, ingenue tamen fatetur: *Quod pro sæculi illius infelicitate non satis forsitan politiore literatura tinctus, illius ævi sciolis calumniandi occasionem dederit, ac hæreticorum, & hæreseos novitati faventium acerbissimum in se odium concitarit.* Habuit etiam Hochstratus alium inimicum, qui non modo illum in vita molestiis oppressit, sed etiam post mortem famam illius apud posteros denigravit. Is erat Joannes Reuchlinus, qui se ab eo in judicium perperam vocatum summopere indignabatur, quo facto Hochstratus non modo illius ævi doctissimorum invidiam, sed etiam contemptum adversarii sui opera incurrebat, adeo, ut Romam, prout jam alibi (*) meminimus,

Sæc. XVI. A C. 1527.

Joa. Henr. Majus in vita Reuchlin.

(*) Lib. CXXII. Historiæ Eccles. contin. §. LXIII.

Sæc. XVI. A.C 1527.

contendere cogeretur, ubi tamen tantum efficere non poterat, ut Reuchlini liber damnaretur.

Scripsit Hochstratus adversus Reuchlinum primo librum *de destructione Cabalæ*, seu *de perfidia Cabalistarum*, quod opus Anno Christi supra millesimum quingentesimo decimo octavo Antwerpiensibus literis excusum Leoni X. nuncupatum est. Secundo elucubravit Dialogum in caussa Reuchlini, necnon quasdam apologias contra eundem, præter *judicii acta inter Hochstratum, & Reuchlinum*, quæ Anno millesimo quingentesimo decimo octavo typis edita prodiere. Observandum tamen, quod præfatis actis ex eorum lite deductis quædam adjecta fuerit relatio, in qua non pauca eo tempore credita recensentur, quæ tamen manifeste falsa comprobantur etiam ab iis, quibus vel leviter Romanæ Curiæ consuetudines cognitæ sunt. Traducebatur Hochstratus tanquam juratus politioris disciplinæ inimicus, hancque in rem ejus inimici Bernæ librum vulgarunt, cui titulus: *Obscurorum virorum epistolæ ad Ortuinum Gratium.* Adscribebatur hic liber Georgio Benigno Nazarethano Archiepiscopo, (*) ast ille hunc ingenii sui

(*) Infamis hujus Satyræ Auctorem prodit

sui partum esse negabat, non minus ac illum, qui inscribitur: *Dialogus ex obscurorum Virorum salibus cribratus.* Hanc ob rem Hochstratus apologiam suam concinnavit contra dicteria in hisce libris

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

dit Guilielmus Cave, dum in sua Historia Scriptorum Ecclesiasticorum ad Sæculum XV. folmihi 143. de Joanne Reuchlino hæc scribit: *Cucullati gregis malitiam & petulantiam acerrimis satyris (neque enim graviori stylo refutari meruerunt ineptissimi tenebriones) ultus est Reichlinus, inprimis vero edito obscurorum Virorum Epistolarum Volumine, admirabili lepore ac facetiis condito, quibus ad excitandum risum rudis & ridiculus Monachorum & Scholasticorum Latine scribentium Stylus exprimitur. Liber iste avide ab omnibus exceptus & evulgatus mirum quam pupugit cucullatorum animos; Hochstratum vero adeo sauciavit, ut tanquam lethali percussus dolore interierit. Reliqui conjurationis socii a Leone X. Papa demissis tandem precibus obtinuerunt, ut Epistolæ illæ Apostolico edicto legi, divendive vetarentur. Edictum lepido commento elusit Reichlinus. Secundum enim ejusdem farinæ Epistolarum volumen priori tamen longe aculeatius, tanquam ex titulo minime interdictum, imprimi curavit.* Illo nimirum ævo nonnulli, qui se purioris literaturæ Viros jactitabant, Lutheri erroris

Sæcul. XVI A.C. 1527

bris ac præcipue in primo contenta, quæ ipse potius honorem suum vindicare sollicitus, paribus quoque jocis elusit, cum ejusmodi scribendi genus ad ultionem de hisce rabulis sumendam longe

---

erroribus clam præcinnebant, cum vero clandestina eorum consilia a Viris fidei zelo accensis, ac præcipue a Religiosis detegerentur, hinc illi eorum auctoritatem conviciis, calumniis, famosis libellis in vulgus sparsis, necnon atrocibus jocis & ludibriis imminuere, famamque eorum lædere toto studio eo fine nitebantur, ut illi, qui eorum ausibus resistere possent & vellent, ab incautis contemptui passim haberentur, illi vero sub exquisitæ scientiæ ab eis revocatæ obtentu impune erroribus viam sternere valerent. Ita illo ævo accidit; tum enim insurgebant nonnulli, qui Grammatices, eloquentiæ, Græcæ ac Hebraicæ linguæ novasque Philosophiæ scientias plenis buccis deprædicabant, ceteros omnes tanquam rudes idiotas contemnebant, sibique harum scientiarum abusu populi atque incautorum famam conciliabant, inde factum, ut eorum libri, in quibus tamen hæresis venenum jamjam latebat, avidis oculis promiscue legerentur, in varia regna impune inveherentur, ejusmodi Viri velut nova scientiarum Oracula ad Academias recens erectas accerserentur, tandemque hæreticæ opiniones

longe aptius censeret, quam si argumenti, stylique gravitate eos confutasset, cum hac impugnandi ratione abs dubio ad amaros sales rursum hostibus suis ansam præbuisset. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Ceterum Hochstratus adversus Lutherum sex libros colloquiorum cum D. Augustino elucubravit, qui Antverpiæ Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo vigesimo quarto Typis editi fuere. Scripsit etiam contra eundem præ-

niones velut sanioris ac purioris doctrinæ & literaturæ fructus perciperentur, totusque mundus se Lutheranum esse miraretur. Ita nempe nulla ætas magis periculosa, quam illa, in qua scientiarum abusus impune grassantur, quot, quantosque Viros jam a recta fidei semimita abduxit nova Philosophandi ratio, quæ præter sentiendi libertatem sensim fidem eliminat; unde hodierno ævo tam effrænis sacros Ecclesiæ ritus contemnendi, traditiones, ac pia historiæ sacræ monumenta rejiciendi libertas ortum duxit, quam ex ipso artis criticæ abusu? Hæc sunt mala eo magis fidelibus noxia, quo minus ob honestatis ac utilitatis speciem eorum periculum animadvertitur, primumque venena ita subdole tecta nocuisse sentiuntur, postquam communi malo nullum ultra remedium supersit.

Sæcul. XVI. A.C. 1527

præter tractatum *de fide & operibus*, Dialogum *de veneratione, & invocatione Sanctorum* eodem anno typis impressum; quinque tractatus *de libertate Christiana, & Purgatorio* Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto excusos; ac denique libellum cui titulus: *Contra octo Lutheranorum blasphemias.* Præter alia nonnulla composuit opuscula, inter quæ merito recensetur, *Margarita Philosophiæ moralis*, quæ duodecim libris constat, ac Antverpiensibus literis Anno millesimo quingentesimo vigesimo primo impressa publicam lucem aspexit. Reliquit quoque posteris *defensionem Principum Alemaniæ contra eos*, qui illos criminantur, eoquod ultimo supplicio interfectorum corpora absque sepultura in patibulis suspensa relinquant; denique concinnabat sermonem contra eos, qui ad maleficia recurrunt, necnon alium adversus *Presbyteros concubinarios.* Idem etiam Hochstratus ceteris acrius insectabatur Erasmum, eumque appellat Coriphæum totius tragœdiæ, quæ contra ipsum Lovanii concitata fuerat. Publici etiam juris fecit Coloniæ idem Scriptor judicium, quod in caussa S. Dionysii Areopagitæ Parisienses Theologi adversus Lutherum Anno Christi supra millesimum quingentesimo vigesimo primo pronuncia-

Erasm. ep. 13 l. 19. p. 829. ex Mense Majo 1527.

ciarunt, & habetur in secundo Tomo operum Lutheri, latinæ editionis Jenensis, necnon in apparatu Patris Nourrii. Sæcul. XVI. A.C. 1527. *P. Nourri apparatus ad Biblioth. max. Veter. Patr. an.* 1694.

§. LXXIII.

Bedæ molimina pro condemnandis omnibus Erasmi libris.

In Galliis Natalis Beda Theologiæ Doctor, ac Facultatis Parisiensis Syndicus nondum contentus erat, quod ejus instinctu Erasmi colloquia unacum propositionibus inde depromptis censuris perstricta, ac damnata fuerint; quapropter omnia opera hujus Auctoris altera jam censura notari procurabat, quæ quidem a Facultate jam hoc anno die decima sexta Decembris pronunciata nonnisi quarto post anno promulgata fuit. Hanc in rem Beda rursum eadem accusationum capita produxit, *diversis tamen paululum verbis*, ut inquit Erasmus in quadam epistola. Ceterum Beda nullum omnino artificium prætermisisse videtur, ut illius, qui ex alieno libro propositiones deprompsit, infidelitatem imitetur; studiose enim supprimit ea, quibus verus accusati sensus vindicari, & accusatoris calumnia detegi posset, addidit vero de suo, quæcunque *Chevellier. orig. de l'imprim. Erasm. l. 19. ep. 162. p. 877 ep. 71. p. 886. ep. 13. l. 24. p. 1309.*

Sæcul. XVI. A. C 1527.

cunque ad comprobandam accusationis æquitatem opportuna censuit, ad alienum quoque sensum detorsit ea, quæ in longe alio prolata fuere. Utebatur insuper alia adhuc arte; quippe quosdam selegit articulos, quos latine redditos ad Curiam transmisit, ut Proceres totamque Franciam contra accusatum concitaret, huncque auctorem Regis Christianissimi Curiæ exosum redderet; eo enim ex fine carpsit titulum Regis Franciæ, quem Erasmus Angliæ Regi, cui librum suum nuncupavit, adscribere audebat. His artificiis suffultus Beda, quodammodo voti sui compos factus Theologicam Facultatem induxit, ut Mense Decembri adversus Erasmi librum censuram pronunciaret.

§. LXXIV.

Parisiensis Facultatis censura adversus libros Erasmi,

Argentre coll. jud. de nov. error. tom. 2. p 53. & seq.

In ea præprimis Facultas hunc in modum edifferit: *Cum a nobis Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto circa finem Julii a multis & gravibus personis quæreretur, quid sentiendum foret de quibusdam propositionibus excerptis ex Paraphrasibus Desiderii Erasmi in novum testamentum, & similiter de aliquibus aliis extractis ex quodam ejus libello dictarum pro-*

propositionum defensivo, qui dicitur Elenchus, nec non & paucis aliis in quibusdam illius Libri repertis: Nos rationem reddere volentes, de ea quæ in nobis est fide; re diutius atque maturius perspecta, tandem super dictis propositionibus ita respondendum censuimus, ut sequitur, præposito tamen prius indice eorum, quæ hic tractantur. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

INDEX.

De parvulis baptizatis.
De Morte Christi.
De jejunio & delectu ciborum.
De juramento.
De Reparatione injuriæ.
De Matrimonio.
De Fide.
De quibusdam desideriis spectantibus ad fidem.
De Lege veteri.
De Auctoribus Librorum novi Testamenti.
De Symbolo Apostolorum.
De traductione Sanctarum Scripturarum in linguam vulgarem.
De his, in quibus a communi usu Ecclesiæ Latinæ Paraphrastes recedit in suis Paraphrasibus.
De quibusdam propositionibus, quæ positæ videntur ex inadvertentia vel Paraphrastæ, vel typographorum.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

De quibusdam propositionibus, in quibus non satis Officio Paraphrastæ Scriptor Paraphrasis respondet.
De meritis.
De fiducia bonorum Operum & meritorum.
De fiducia corporalium cæremoniarum, & Statutorum Religionis.
De Oratione vocali.
De Cœlibatu Sacerdotum.
De peccato Originali.
De pœna filiorum temporali propter peccatum parentum.
De pœna Hæreticorum.
De defectu Vigoris Evangelii.
De Sabbatho.
De Ecclesia.
De Beata Virgine Maria.
De Angelis.
De S. Petro.
De S. Paulo.
De Dionysio Areopagita.
De Theologia Scholastica.

De Baptismo Parvulorum.

In prima propositione Erasmus accusabatur hæc docuisse: *Mihi videtur non mediocriter conducere, si pueri baptizati, cum jam ad pubertatem pervenerint, jubeantur concionibus adesse, in quibus illis dilucide declararetur, quid in se contineat profes-*

sio

ſio Baptiſmi: Deinde diligenter privatim examinentur a probis Viris, ſatisne teneant ac meminerint ea, quæ docuit Sacerdos. Si comperiantur ſatis tenere, interrogentur, ratumne habeant quod Suſceptores illorum Nomine polliciti ſint in Baptiſmo. Si audita profeſſione non approbent, quod geſtum eſt per Vicarios, omnia tentanda ſunt, ne quis reſiliat a prima fide. Quodſi non poteſt obtineri, fortaſſis expediet illum non cogi, ſed ſuo relinqui animo, donec reſipiſcat, nec ad aliam interim vocari pœnam, niſi ut ab Euchariſtia ſumenda, reliquisque Sacramentis arceatur. Ceterum nec a Sacris, nec a concionibus excludatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1527

Hanc propoſitionem Doctores hac cenſura perſtringunt: *Conſilium hoc impium eſt, & in perniciem vergit fidelium, viam aperit abolendæ fidei Chriſtianæ*, unde decidunt, *quod parvuli ad adultam ætatem pervenientes non minus poſſint cogi ad fidem ſervandam, quam olim parvuli Judæorum circumciſi ad Legem Moſaicam: nam cum fide habeatur, Baptizatos parvulos eſſe fideles, filios Dei, & hæredes Regni cæleſtis, fide quoque tenendum eſt eosdem jam adultos eſſe de gremio Eccleſiæ, ideoque eisdem legibus eſſe obnoxios, quibus ceteri orthodoxi adſtringuntur, haud ſecus quam aliarum Communitatum parvuli, ubi ad pubertatis annos pervenerunt, legibus ſuarum politiarum devinciuntur, quamvis in illas*

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

formaliter per se non consenserint. Declararunt idem nonnulli summi Pontifices, tanquam contra Hæreticos procedi oportere adversus eos, qui cum parvuli essent, baptizati sunt; ubi autem doli facti sunt capaces, ad ritus se converterunt Judeorum.

De morte Christi Domini.

Sequens propositio concernit mortem Christi, de qua Erasmus hæc dixisse dicitur: *Jesus suam mortem non Lugubrem, sed gloriosam esse voluit, sed adorari, ut quæ sponte pro salute totius mundi suscipiebatur.*

Hæc Propositio hoc modo notatur: *Etsi pretiosa est mors Christi, & gloriosa ut quæ mortem & mortis destruxit autorem, non continuo non est & ipsa Lugubris & fidelibus deflenda, pro quorum salute exhibita sponte est. Nam cum per regium Prophetam Christus conqueratur dicens:* Sustinui, qui simul contristaretur & non fuit, qui consolaretur, & non inveni. *Et per Zachariam prædictum sit:* Dolebunt super eum sicut doleri solet in morte Primogeniti, *piæ quoque Matris suæ animam in filii passione doloris gladius juxta Vaticinium Simeonis pertransierit, planum est, quod Christus suam Passionem & mortem minime vetuerit defleri, sed cum illa peccata voluit lugeri, propter quæ expianda moriebatur tan-*

Ps. 68. *v.* 21. *Zachar. c.* 12. *v.* 10.

tanquam cauſſam tanti doloris, quandoquidem attritus eſt, ut ſcribit Iſaias propter ſcelera noſtra & livore ejus ſanati ſumus. *Proinde cum hæc propoſitio Catholicorum Doctorum Sententiæ, univerſalis Eccleſiæ ritui, quo ſingulis quibusque ſextis feriis in memoriam Dominicæ Paſſionis, a carnibus abſtinetur, nec non & rectæ ſacræ Scripturæ intelligentiæ adverſetur, temeraria eſt, impia, & Hæretica.*

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Cum vero Eraſmus hanc quoque propoſitionem addidiſſet: ***Si Chriſtus ſuam mortem vulgari more lugeri voluit, cur bajulans crucem reprehendit filias Hieruſalem?***

Ideo Theologi hanc cenſuram ſubjiciunt: *Noluit ſe Chriſtus a filiabus Hieruſalem defleri, ut infirmum aut non potentem ſe ab illatis malis deffendere, quem admodum illæ erant deflendæ ob imminens Hieroſolimitanæ civitatis excidium: neque tamen eam ob rem id fieri prohibuit, quod natura ſuggerit, ratio ſuadet, ſacra eloquia comprobant, Chriſtianos videlicet Chriſti membra Chriſto capiti ſuo conformari, eidemque patienti & dolenti compati & condolere, quemadmodum ſuo generali ritu Eccleſia obſervat. Hac autem interrogatione oppoſitum innuens hic Scriptor, neque Scripturam, quam aſſumit intelligens, manifeſte aberrat.*

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

De Jejunio & delectu ciborum.

Circa hoc argumentum Eraſmus arguebatur, ſequentem tenuiſſe ſententiam: *Mihi purioris Chriſtianiſmi videtur, magisque conſentaneum Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ, ſi nulli certum cibi genus præſcribatur, ſed admoneantur omnes, ut quisque pro corporis habitu veſcatur, quæ maxime conducunt bonæ Valetudini, non ad luxum, ſed ad ſobrietatem cum actione gratiarum ac ſtudio bonæ mentis.*

Hæc propoſitio, inquit Facultas, *Eccleſiaſticam diſciplinam evertit, ac Aerii, Joviniani, Valdenſium, & Lutheri hæreſi conſentit.*

Præterea hanc in rem Eraſmus ſcribebat: *Approbo, quod dicis: eſca non commendat nos Deo, quid enim illius refert piſcium, an quadrupedum, an volatilium carnibus veſcamur? Nihil enim horum pietati quicquam vel addit, vel adimit. Horum delectus ſuperſtitioſum facere poteſt, pium nequaquam, Chriſtus nullum horum diſcrimen docuit; proin temeritatis ſit, ſiquis homunculus conetur quemquam hujusmodi conſtitutionibus onerare, pro ſuo quisque corporis affectu veſcatur, quibus velit, modo ſobrie, parceque ſuper omnibus gratias agens Deo.*

Triſtia

Triſtia ſunt jejunia, quæ præſcribit lex, & ob hoc ingrata Deo, qui diligit hilarem datorem. Sæcul. XVI. A. C. 1527.

Omnes hæ propoſitiones damnantur tanquam hæreticæ, temerariæ, Eccleſiæ legibus injurioſæ, erroneæ, & S. Literis contrariæ.

De Juramento.

De hac materia quinque propoſitiones referuntur, quarum prima eſt: *Lex Evangelica, quo tutiores ſint homines a perjurio, prorſus damnat omne jusjurandum, ut jam fas non ſit jurare.*

II. Chriſtus in totum vetat jurare.

III. Chriſtus prohibet jurare, quod non prohibuerat lex prior.

IV. Non minus eſt Chriſtianus ſimplici verbo obſtrictus, quam Judæus per omnia ſacra dejerans.

V. Non opus eſt in contractibus admiſcere jusjurandum, execrationes, aut aliud ſimile, quod & promittentem obſtringat metu, & ſtipulanti faciat fidem.

Ex his prima & ſecunda damnantur tanquam *Legi Evangelicæ, ejusque Legislatori Chriſto injurioſæ, & a ſana Scripturæ intelligentia alienæ, de damnata Catharorum, Valdenſium, aliorumque hæreticorum doctrina deſumptæ.* Tertia dicitur erronea, eoquod *eadem ſint præcepta moralia*

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

ralia in utraque lege per Evangelium a Christo confirmata. Quarta itidem ut erronea rejicitur, *cum deroget honori Dei, cujus auctoritas interponitur per juramentum, ratione cujus novum vinculum obligatorium inducitur.* Ultima denique *falsa est universaliter intellecta, & ad errorem Wiclefi accedit.*

De reparatione injuriæ.

Asserit Erasmus: *Nisi Christus humanum affectum, quo ipsum Apostoli diligebant evidenter castigasset, existimassemus nobis licere adversus violentiam armis nos defendere, ac vim vi repellere. Nunc autem cum Petrus reprehensus sit, quod adversus impios & sceleratos pro innocentissimo Viro strinxerit ferrum, quæ poterit esse posthac causa, ut homo Christianus injuriam repellat?*

Hæc propositio sequenti notatur censura: *Quamquam inter Christianos, quantum fieri potest, fugienda sint bella, & lites, hæc tamen propositio, ut jacet, innuens nunquam licitum esse bellum adversus impiorum violentiam, quasi nunquam juris ordine servato se defendendo justa subsit belli causa, enervat omnem politiam & a lege naturali & divina discrepat. Alioqui non commemorarentur in libris numerorum, Josue, Judicum, Regum, & Machabæorum multa bella, quæ ex divina Ordinatione gesta sunt.*

Scri-

Scriptis præterea per Apoſtolos & alios ſanctos Viros hæc propoſitio obviat, atque hæreſi conſentanea eſt Pauperum de Lugduno ac Lutheri; neque Scriptorem excuſat, quod adjicit: Quæ poterit eſſe poſthac cauſſa, ut homo Chriſtianus injuriam repellat? *Cum in præcedenti parte clare tradat ſimpliciter, non licere nos armis defendere, aut vim vi propulſare; unde manifeſte colligitur ſenſus Autoris. Neque etiam ea ratione Petrum Chriſtus reprehendit, quaſi nunquam liceat vim vi, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, rejicere, ſed quod ipſum defendere niteretur, perinde ac ſi aliquo Chriſtus indigeret humano ſubſidio, nec mortem juxta Patris decretum absque contrapugnatione acceptaret voluntarie.* Sæcul XVI. A. C. 1527.

De Matrimonio.

Quatuor propoſitiones de Matrimonio perſtringuntur. Harum prima eſt:

Quæ alteri Viro ſui fecit copiam jam uxor eſſe deſiit, & Matrimonii jus ademit ſibi, diviſa carne, quam Deus unam & indiviſam eſſe voluit.

II. Inter Evangelicos una duntaxat cauſſa dirimit Conjugium, hoc eſt, violata Conjugii fides.

III. Uxor, quæ ſui corporis copiam fecit alteri, jam, etiamſi non repudietur, deſiit eſſe uxor; & Maritus, qui ſui corporis

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

copiam fecit alienæ, jam ante divortium maritus desiit esse.

IV. Quemadmodum ignis non est ignis, nisi caleat, ita conjugium non est conjugium, nisi ex duobus fiat unus, ex tribus, vel ex quatuor una caro fieri non potest.

Hæ quatuor propositiones, inquit Facultas, *quatenus per eas prætendi videtur, matrimonium per adulterium dissolvi quoad vincula, hæreticæ sunt: est enim vinculum matrimonii jure divino indissolubile, ut ad Corinthios scribens Apostolus demonstrat, cum inquit:* Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio: Non ego, sed Dominus, Uxorem a Viro non discedere: quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari; *& rursum*: mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; *& eadem omnino est ratio de viro, sicut de muliere, quia in ejusdem B. Pauli sententia*, sicut mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, ita vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

1. *Cor.* 7. *v.* 10.

Ibid. c. 7. *v.* 39.

Tanta præterea indissolubilitas est matrimonii, ut nec per hæresim, quæ est fornicatio spiritualis, dissolvatur.

De Fide.

Ex iis, quæ Erasmus de fide docuit, quinque extrahebantur propositiones.

I. Fides,

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

I. Fides, quæ friget absque charitate, nec se profert, ubi res postulat, ne fides quidem est, tantum est inane fidei nomen.

Ex Erasmo in ep. Jacob. c. 2.

II. Fides & charitas natura conjunctissima sunt, & alterum ab altero divelli non potest. Et paulo post: *Charitas fidei comes individua.*

III. Certum est utramque alteri individuam esse comitem.

Hæ tres propositiones sunt hæreticæ & sententiæ Apostolorum Pauli & Jacobi contrariæ. Paulus namque fidem sine charitate posse esse ostendit, cum inquit: Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. *Cor. c. 13. v. 2.* *Jacobus etiam in eo capite, in quo dicit* fidem sine operibus mortuam esse, *appellat fidem simpliciter illam, quæ est sine operibus, dicens:* Quid proderit fratres, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum? *Unde patet, quod fides absque charitate aut operibus bonis fides appellanda est.*

IV. Fides sola purificat corda, redditque idonea, quibus credantur Philosophiæ cœlestis arcana.

V. Sola credulitas via est ad immortalitatem.

VI. Quid exigit Christus a suis nisi fidem?

Has

Sæcul XVI. A.C. 1527

Has propositiones Facultatis Theologicæ Doctores his verbis perstringunt: *Tametsi requiritur fides ad assequendam beatam immortalitatem & ad cordium purificationem, ut docent sacræ Litteræ, non tamen eam solam ad hoc requiri astruunt, sed potius oppositum, unde ait Jacobus Apostolus:* Videtis, quoniam de operibus justificatur homo & non ex fide tantum; *& Paulus:* Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. *Quare hæ propositiones cum hujusmodi conclusione positæ Scripturis non consonant, quæ ubique bona opera prædicant, & offendiculum eædem propositiones natæ sunt præstare pusillis, quasi videlicet non sint necessaria fidelibus bona opera, sed sola fides sufficiat ad salutem.*

De quibusdam desideriis ad Fidem spectantibus.

Ex Erasmo in ep. ad Cor. c. 1. & seq.

Affirmabat Erasmus: *I. Utinam illud saltem aperuisset Paulus, a quibus, quo tempore, quo cultu, quo ritu, quibus verbis consecrari soleat panis ille mysticus & sacro sanctum Dominici Sanguinis poculum.*

Censet Facultas, quod *curiosum sit hoc desiderium & futile, atque impium; sufficienter enim sunt per Scripturam sacram determinata, quæ pro salute fidelium expedivit per eam determinari.*

II.

II. Utinam Paulus aliquantoplus lucis nobis aperuiſſet, qualiter extent animæ ſemotæ a corpore & ubinam exſtent, an fruantur immortalitatis gloria? An impiorum animæ jam nunc crucientur, an eis ſubveniant noſtræ preces, aut alia beneſacta; an indulgentia ſummi Pontificis ſubito liberentur a pœnis, quando video multos ſuper hisce rebus ambigere, aut certe diſputare. Quod ſupervacaneum foret, ſi Paulus aperte definiviſſet. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Ad hanc Propoſitionem Facultas dicit: *Supervacaneum eſt hoc deſiderium & periculoſum. Multis ſiquidem occaſionem afferre poteſt ſcandali, tanquam quæ illic ponuntur ſufficienti Scripturarum Teſtimonio non ſubfulciantur, cum tamen illa omnia ſatis ſint per ſacra eloquia definita, excepta ultima particula de indulgentiis. Neque tamen propterea aſſerendum eſt, quod ſemper per indulgentias ſubito a pœnis liberentur; nec hoc in ſuis bullis Pontifices prætendunt, aut ex vi hujusmodi bullarum Pontificiarum ſane intellectarum id habetur.*

De Lege Veteri.

Quantum ad hunc articulum idem Auctor hæc docuit: *Cum lex terorem incuteret potius, quam amorem, quid ſupererat niſi poſteaquam per legem didicerant homines ſe peccatis obnoxios, nec potuiſſe* *Ex eodem Paraph. in Evangel. Marci c. 1.*

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

tuisse ab his temperare, simulque scirent Dei severi vindicis judicium neminem posse effugere, nisi ut trepidarent, horrerent, ac desperarent. Quis autem eum amare potest, quem horret?

II. Lex Moysis suis umbris, victimis ac terroribus fecit hypocritas.

III. Lex cupiditates irritabat potius, quam coercebat.

IV. Præceptum illud habetur in lege præcipuum: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

V. Adolescens audierat Christum docentem, præcepta legis Mosaicæ non esse satis ad consequendum Regnum Cœlorum.

VI. Sincera charitas si adsit, quid opus est legis præscriptis?

VII. Verbosissima lex est.

VIII. Judæi pro tempore crassa Religione, vel superstitione magis cohibebantur.

Ex hisce octo propositionibus prima juxta Facultatis sententiam est Deo legique, quam nobis reliquit, injuriosa, altera itidem Legi Mosaicæ, Deoque injuriam inferre dicitur. Tertia tanquam falsa rejicitur, eoquod lex sancta sit & justa, potius ad cohibendas quam irritandas passiones proposita. Quarta tanquam veritati dissona damnatur, cum nullum exstet præceptum, vi cujus inimicos nostros odio habere teneamur. Quinta cum ingenti temeritate censetur pro-

prolata. Sexta ad Beguardorum errorem accedere creditur. Septima, impie ac fine reverentia enuntiata rejicitur. Octava denique iisdem ferme terminis velut Veteri legi injurioſa reprobatur. Sæcul. XVI. C.A.1527.

De Auctoribus librorum novi Teſtamenti.

De hoc argumento quinque propoſitiones a Doctoribus proſcriptas reperimus. Prima erat hæc: *Non ſtatim dubius eſt in fide, qui de Auctore libri dubitat.* *Eraſmus in Elencho.*

„ Hæc propoſitio inquit Facultas, „ temerarie & erronee aſſeritur, quia, „ poſtquam Eccleſia ſacros libros ſub „ nomine talium Auctorum ſuo uſu uni- „ verſali recepit, & ſua probavit defi- „ nitione, non jam fas eſt Chriſtiano „ dubitare, aut eos in dubium revocare.„

II. Epiſtola, quæ fertur ad Hebræos, multis argumentis conjici poteſt non eſſe Pauli, cum ſtylo rhetorico verius, quam Apoſtolico ſit ſcripta.

„ Hæc propoſitio juxta Facultatis „ judicium arroganter & ſchiſmatice „ aſſeritur contra determinationem Ec- „ cleſiæ in Conciliis Nicæno, Laodi- „ cenſi, Carthaginenſi III. & in Conci- „ lio ſeptuaginta Epiſcoporum factam.„

III.

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

III. De Epistolæ ad Hebræos Auctore semper est dubitatum, & ipse, ut ingenue fatear, adhuc dubito.

„ Hæc propositio eadem censura, „ qua prior, perstringitur. „

IV. De secunda Petri diu dubitatum est.

„ De hac propositione Facultas ita „ pronuntiat: *Hanc Epistolam sub nomine „ B. Petri etiam jam olim Ecclesia suo usu „ recepit, & definitione Conciliorum Lao- „ dicensis, Carthaginensis III. & Gelasii „ Papæ necnon decreto Innocentii magni com- „ probavit.* „

V. De Apocalypsi diu dubitatum est non dico ab hæreticis, sed ab Orthodoxis Viris, qui Scriptum tamen ut a Spiritu sancto profectum amplectebantur, de Scriptoris nomine incerti.

Circa hanc propositionem Facultatis Doctores ita discurrunt: *Liber Apocalypsis aperte cognoscitur a B. Joanne Evangelista editus, tum ex Ecclesiæ usu, tum ex ejusdem definitione in Conciliis Carthaginensi III. atque Beati Gelasii necnon in Synodo IV. Toletana. Idem rursus testantur Innocentius I. Dionysius Areopagita, Irenæus, Justinus, Damascenus, aliique. Deinde patet ex ipso ejusdem libri contextu, nam in illo Scriptor esse dicitur Joannes, qui perhibuit testimonium Verbo Dei, quique ea de caussa in Pathmos Insulam relegatus*

tus est: quæ profecto de alio a Joanne Apostolo & Evangelista nequeunt intelligi. Sæcul. XVI. A.C 1527.

De Symbolo Apostolorum.

Circa Symbolum Apostolorum incusabatur Erasmus hæc dixisse: *1. Symbolum an ab Apostolis proditum sit, nescio.* Ad hanc propositionem Doctores Facultatis hæc pronunciant: *Cum Symbolum ab Apostolis editum esse & promulgatum, sit fide tenendum, teneant quoque Catholici Doctores, Clemens hujus nominis primus Romanus Pontifex, Augustinus, Ambrosius, Leo itidem primus, & alii uniformiter, unumquemque Apostolorum, quod sensit, dixisse dum illud conderent; hæc nescientia impietati deserviens scandalose proponitur.* Huic Facultatis censuræ haud immerito adjicere possumus, quod S. Augustinus, Rufinus, S. Leo, Maximus Taurinensis, Fortunatus, S. Petrus Chrysologus præter infinitos propemodum alios Auctores unanimi suffragio tanquam rem omnino certam habuerint, quod hoc Symbolum in Apostolorum Concilio fuerit editum, ac insuper hæc sententia ipsa Ecclesiæ definitione atque usu sit comprobata, hinc eam in dubium vocare, omnino temerarium esse videtur. Præterea Rufinus, aliique Scriptores nonnulli censebant, quod Apo-

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

ſtoli ipſomet, in quo Chriſtus mortuus eſt, anno nimirum paulo poſt deſcenſum Spiritus Sancti hoc Symbolum condiderint: Baronius tamen, aliique conjiciunt, quod non niſi ſecundo anno, quo Claudius regnabat, ſeu paulo ante diviſionem Apoſtolorum idem Symbolum fuerit editum. Utut res ſe habuerit, id nobis certum videtur, quod vix vero ſimile ſit, quod quilibet Apoſtolus ſigillatim ſuum articulum enuntiaverit, prout tamen id aſſerunt S. Leo, & Fortunatus, necnon Auctor ſermonis centeſimi decimi quinti, qui S. Auguſtino adſcribitur: Veritati itaque longe magis conſonam eſſe cenſemus illorum opinionem, qui hosce articulos ex communi omnium Apoſtolorum conſenſu ac collatione fuiſſe conditos affirmant.

De verſione Sacrarum Scripturarum in linguam vulgarem.

Quinque contra hujus verſionis auctoritatem proſcribuntur propoſitiones, in quarum prima Eraſmus ſic loquitur: *Sacras Literas cupio in omnes verti linguas.*

II. Exclamant indignum facinus, ſi mulier aut coriarius loquatur de ſacris Literis.

III.

III. Me Auctore sacros Libros leget Agricola, leget faber, leget Latomus.

IV. Neque Ezechielis Prophetæ, neque Cantici Canticorum, aut cujusquam Librorum Veteris Testamenti Lectionem ulli hominum interdixero.

V. Indecorum, vel ridiculum potius videtur, quod idiotæ & mulierculæ, psitasi exemplo, Psalmos suos & Precationem Dominicam immurmurant, cum ipsæ, quod sonant, non intelligant.

Circa primam propositionem Facultas ita pronuntiat: *Quamvis in quamcunque linguam vertantur sacræ Literæ, suapte natura sanctæ sint & bonæ, quanti tamen sit periculi permittere passim lectionem earum in linguam vulgatam traductarum, absque ulla explicatione simplicibus eis abutentibus, satis indicarunt hæretici, qui inde occasione sumpta multos errores disseminarunt, quapropter temere esset omnibus promiscua S. Scripturæ lectio permittenda.*

Ad alteram propositionem Facultas hæc asserit: *Indignum facinus est, quod idiotæ & simplices suo judicio sacras Literas legant, de illis differant, aut disceptantes de earum difficultatibus tractent: nec tamen inde prohibetur conferre inter se de iis, quæ in concionibus publicis audierunt ad morum correctionem, & ad compunctionis & devotionis excitationem, ut magis ac magis*

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

in eis charitas accreſcat, humilitas ſolidetur, atque opera carnis mortificentur.

De tertia Facultatis Doctores hoc judicium ferebant: *Simplices eſſe tanquam parvulos lacte non autem cibo ſolido nutriendos: quapropter non eſſe medium hujusmodi ſimplicibus aptum, quod indiſcriminatim quosvis ſacros libros legant, ſed convenientiſſimam eſſe auditionem Verbi Dei, & frequentationem prædicationum, nec eis prohiberi uſum nonnullorum ſacrorum librorum, qui cum explicatione morum ædificationi ſunt accommodati, dummodo tales libri legantur pie ac ſobrie citra ſupercilium & arrogantiam.*

Quarta propoſitio hac cenſura notatur: *Cum Sedis Apoſtolicæ decreto multorum librorum lectio Laicis interdicta ſit, atque apud Hebræos prohibita fuerit lectio multorum talium librorum ac primi capitis Geneſis ante annum ætatis triceſimum, hinc prædicta propoſitio temerarie & imprudenter aſſeritur.*

Ultimo tandem Facultas de quinta propoſitione ita pronuntiat: *Hæc propoſitio ſimplices, idiotas, & mulierculas ab oratione vocali perperam retrahit, eſtque impia & erronea, viam præbens ad errorem Bohemorum, qui Officium Eccleſiaſticum idiomate vulgari celebrare conati ſunt. Neque enim per verba orationis ſolum prætendit Eccleſia, quod ſerie verborum illorum eru-*

erudiamur, sed ut ejus fini nos conformando veluti ipsius membra divinas laudes pronuntiemus, debitas gratiarum actiones persolvamus, & nobis necessaria imploremus. Unde propter talem orantium intentionem affectus inflammetur, illuminetur intellectus, humana inopia sublevetur, atque gratiæ & gloriæ fructus comparentur. Quæ certum est orantes per tales orationes vocales, quamvis verba non intelligant, prætendere.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

De his, quæ in Paraphrasibus Erasmi mutata fuere.

Notat insuper Facultas quasdam contortas locutiones, ac mutationes, quas Erasmus suis Paraphrasibus intruserat; sic utitur dictione *sermo*, cum in primo capite S. Joannis dicatur: in principio erat *Verbum.* Referens verba Institutionis Evcharisticæ ex prima Epistola ad Corinthios cap. 1. ponit verbum *frangitur*, cum tamen legamus: *quod pro nobis tradetur.* Insuper in cap. 1. S. Joannis particulæ *sic* substituit verbum *si.* In capite quarto Epistolæ ad Philippenses non legit: *Germane compar*, sed *germana conjunx:* in capite decimo quarto S. Joannis non ei placet verbum *Paraclitus*, hinc ponit nomen: *Paracletus*: item Luc. 1. & Tit. 2. scribit *Servator* pro *Salvator*, *Betheida* pro *Bethsaida* Joan. 5.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Bethabara pro *Bethania* Joan. 1. ac denique *Melite* pro *Mitilene*.

De quibusdam propositionibus ex Paraphrastæ vel Typographorum inadvertentia depravatis.

Reprehenditur etiam Erasmus de quibusdam erroribus, qui ex incuria irrepserunt: hos inter observatur. I. Quod Auctor in caput decimum S. Matthæi dixerit, sanctum Judam Apostolum fuisse Jacobi filium, cum tamen illius frater fuerit. II. In capite secundo Lucæ Erasmus posuit *Bethleem* pro *Nazareth*, cum tamen S. Lucas ita scribat: *Reversi sunt Parentes Jesu in civitatem suam Nazareth.* III. In caput 1. Joannis Nomen *Nathanael* transmutavit Erasmus in Nomen *Philippus.* Plures insuper ejusmodi errores notabantur: postremo autem Facultas hunc articulum absolvit adductis quatuor propositionibus, de quibus affirmat: *Quod Erasmus minus recte Paraphrastæ officio functus sit, eoquod sensum, ubi aperire debuisset, non aperuerit, cum tamen per alios Catholicos Doctores clare explicetur: nam certum est, quantum ad primam, non licere viro ducere aliam uxorem, propria etiam adulterante, cum sit omne vinculum Matrimonii inter Fideles jure*

jure divino & naturali indissolubile, nisi interveniat Religionis solemne votum, post Matrimonium ratum & non consummatum. Sæc. XVI. A.C 1527.

Quantum vero ad secundam, certum est diem & horam ultimi judicii nosse Filium Hominis secundum Humanitatem, cum ipse sciret omnia, quæ ventura erant super eum, & dederit Pater omne Judicium Filio, ut Filius Hominis est, licet illud non dederit, ut ante constitutum tempus passim hominibus dies & hora illa judicii reveletur. Matth. 19. & 24.

Quantum autem ad tertiam & quartam, ideo orare dicitur Spiritus sanctus, & ingemiscere, qui sua gratia fideles orantes reddat, & ingemescentes pro suis iniquitatibus & peccatis, aut aliis piis & justis caussis, ut uniformis est Catholicorum Doctorum explicatio & sententia. Rom. 8.

De Meritis.

Videtur Erasmus omnem meritis virtutem abrogare, hinc Facultas octo illius propositiones damnavit. Harum prima est: *Merita vix constituere potest S. Augustinus. Hæc propositio*, inquiunt Doctores, *ad impiam Lutheri doctrinam de fide & operibus accedit.*

II. Christus liberat universos ab omnibus animarum morbis, tantum ut morbum agnoscamus & fidamus Medico.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

III. Apostoli denuntiabant omnibus, ut pœnitentiam agerent anteactorum malorum, neque quisquam fideret suis factis, sed tantum promissis Evangelicis.

IV. Deus a peccatoribus, nec holocaustomata requirit, nec Donaria, tantum agnosce morbum, & confide de medico. Hæ ultimæ tres propositiones a Facultatis Doctoribus hac censura perstringuntur.

Quamquam plurimum conferat ad impetrandum a Deo, quod petitur, ardor fidei, & simplex ac pura fiducia in Christo, & ejus promissis, illa tamen non sufficiunt, nisi addantur bona opera. Quare hæ tres propositiones, quantum ad tres ultimas earum partes, quatenus prætendunt sufficere ad salutem talem fiduciam in Christo, & ejus promissis, absque bonis operibus, hæresi Lutheranæ de fide, & operibus adstipulantur.

V. Jesus nullum aliud exigit Sacrificium, quam simplicem ac puram erga se fiduciam.

VI. Satis sacrificavit, qui se Deo cum plena fiducia ostendit.

VII. Nullum est opus hominis ita bonum, ut mereatur præmium æternæ vitæ. Hæ propositiones, inquit Facultas, *sunt hæreticæ, & sacris literis contrariæ; illæ enim ostendunt, quod cum divina gratia non possimus vitam æternam promereri contra illud:* Si vis ad vitam ingredi, ferva mandata.

VIII.

VIII. Qui præmii cauſſa certat, non certaturus, niſi ſciat dandum præmium, is ſeipſum præmio fruſtratur. Hujus propoſitionis cenſura eſt ſequens: Sæcul. XVI. A C 1527.

Tametſi principalius Dei amore, quam præmii, debeant homines certare, & bene operari, licitum eſt tamen eis præmio moveri ad bene operandum, & certandum contra tentationes, & oppoſitum aſſerere, erroneum eſt, & Scripturæ adverſatur. Scribit enim Apoſtolus: Debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.

Probantur etiam a Chriſto Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum; *& inclinavit cor ſuum regius Propheta ad faciendas juſtificationes propter retributionem.*

De fiducia bonorum operum.

De fiducia in bonis operibus & meritis nonniſi duas reperio propoſitiones, quarum prima eſt: *Lutherus pie quidem ac chriſtiane diſſeruit de fiducia meritorum, operum & virium noſtrarum, ac de tota fiducia transferenda in Deum, & ejus promiſſa.* *Eraſmus in Elencho.*

II. Periculum eſt meritis fidere. Harum propoſitio cenſura ita ſonat: *Cum redditurus ſit Deus unicuique juxta opera ſua, debent fideles ſecuri eſſe, quod ſi perſevera-*

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

veraverint bene agendo, & divina mandata custodiendo, consequentur vitam æternam. Hoc enim includit ratio spei, proindeque meritis hoc modo fidere non solum possunt, sed & tenentur, alioquin non sperarent. Quare erroneum est asserere, quod periculum sit hoc pacto meritis fidere, nec tamen ea fiducia gratiam & misericordiam Dei excludit, per quas merentur homines, & ad vitam æternam acceptantur. Longe siquidem abest hujusmodi fiducia a præsumptione & ingratitudine. Deo enim omnia bona opera adscribit, ut præcipuo Auctori, & fructum meritorum maxime collocat in divina misericordia, non in propriis meritis, aut humana justitia, quæ nullius est momenti, seclusa divina misericordia, licet cum illa ad salutem ex Dei Decreto requiratur humana operatio, quæ nihilominus Dei donum est, neque tamen ullum est opus hominis, quo regulariter absolute & absque conditione futuræ perseverantiæ securus esse possit de sua salute citra revelationem.

2. Cor. c. 5. v. 10.

Joan. c. 5. v. 29.

2. Petr. c. 1. v. 10.

Ex his clare patet, erroneam esse Erasmi doctrinam, qua tradidit, quod *periculosum sit meritis fidere*, dummodo non excludatur gratia & Dei misericordia, per quas æternæ vitæ præmium promeremur.

De

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

De Ceremoniis Ecclesiæ & Statutis Religionis.

De *fiducia*, ut ait Erasmus, *corporalium Ceremoniarum, & statutorum Religionis* sex propositiones fuerunt damnatæ. *Erasm. in Elencho & Marc. 2. Luc. 19.*

I. Quo magis inhæremus corporalibus Ceremoniis, hoc magis vergimus ad Judaismum.

II. Opto omnes esse tales, ut corporalibus Ceremoniis non egeant admodum, aut non ita multum tribuant.

III. Si Præsules instituerunt aliquid judaicæ observationis propter infirmos, non damno.

IV. Meis Discipulis, ait Christus, nihil istarum rerum præscribo, his vescere, his abstine, nunc quiesce, nunc labora, sic vestire, hoc ne contingas, illud ne contrectes, ne semper maneant imbecilles; si me præceptore semel didicerint hujusmodi rebus corporalibus fidere.

V. Alius ostendit aliquem e Pharisæorum genere nigro pallio, & dicit: Respice, hic est Christus; alius rursus indicat alium candido pallio, & dicit: Ecce, hic est Christus; alius diversos indicans colores & formas vestium clamat: Hic est Christus; alius demonstrat vescentem piscibus, & dicit: Hic est Christus. Hic mihi exhibet spadonem,

Sæcul. XVI. A.C.1527.

nem, & iterum affirmat: Hic est Christus: O judaicum & incredulum genus! vis videre Jesum, conscende arborem, sume tibi oculos Zachæi.

VI. Recte negligitur color aut forma vestis, quoties id commodum est homini.

Ex hisce propositionibus prima damnatur *tanquam impia, hæretica, necnon Wicleſi ac Lutheri erroribus consona.* II. Dicitur esse *temeraria, necnon externum, qui Deo exhibendus est, cultum evertens.* III. Perstringitur velut impia, *atque injuriosa Ecclesiæ, cum Author innuat, Ecclesiæ ritus esse Judaicos, eosque solis infirmis convenire.* IV. Censetur esse *falsa.* V. Notatur, *tanquam impia, eoquod Erasmus impudenter videatur insultare Ecclesiæ, quæ semper in pretio habuit Religiosorum institutа, diversosque eorum habitus, vestesque diversi coloris approbavit.* VI. Denique *propositio*, inquit Facultas, *innuens unicuique Religioso licere suum habitum relinquere, quoties id illi commodum visum fuerit, Ecclesiasticam & Monasticam disciplinam dissolvit, & sanctorum Patrum ac Pontificum & Conciliorum institutis injuriam infert.*

De Oratione vocali.

Totidem quoque propositiones circa orationem vocalem proscripsit Facultas.

cultas. Prima erat hæc: *Christus in orando damnat multiloquium.* Sæcul. XVI. A. C. 1527.

II. Cantiunculârum, clamorum, murmurum ac bomborum ubique plus satis est, si quid ista delectant superos. *Eras. l. cit. annot. 60. & in Matth. c. 6. in 1. ad Cor. c. 14.*

III. Quid aliud auditur in Monasteriis, in Collegiis, in Templis, quam vocum strepitus.

IV. Vulgus non aliud audit, quam voces non significantes.

V. Obsecro, quid sentiunt de Christo, qui illum credunt hujusmodi vocum strepitu delectari.

VI. Cur dubitat Ecclesia tantum Auctorem sequi? aut cur audet ab eo dissentire? de Paulo loquitur.

Harum propositionum prima juxta Facultatis judicium *est erronea, quia Christus Dominus non omne multiloquium in oratione damnavit, sed illud Paganorum, quod ex infidelitate procedit existimantium Deum non aliter audire, aut intelligere orantes, nisi multiloquio utantur.* Secunda, quæ Ecclesiæ cantum ac Musicam damnat, rejicitur tanquam *falso, temerarie & impie asserta, damnatoque hæreticorum errori favens.* Porro postremæ quatuor propositiones damnantur tanquam impiæ, eoquod unice eo tendant, ut modum, quo divinæ laudes decantantur, vilipendant.

De

Sæcul. XVI. A C. 1527.

De Cœlibatu Sacerdotum.

Eraſ. in 1. ad Tim. c. 3. & in Elench annot. 197. l. de interdict. uſu carn. Argent l. c. p. 75.

Circa hoc argumentum duæ tantum perſtringuntur propoſitiones, quarum prima ex explicatione Eraſmi in primam Epiſtolam D. Pauli ad Thimotheum cap. 3. deprompta eſt, altera vero in *Elencho* Eraſmi habetur. Prima eſt hæc:

Quoniam in Epiſcopo pudicitia magnam habet commendationem, ſi non continget, qui voluptatem hanc in totum contemnat, illud fuerit ſpectandum, ut fuerit, aut ſit unius uxoris maritus.

Altera ita ſonat: *Hodie ducunt apud Græcos Epiſcopi uxores etiam poſt ſuſceptum ordinem.* De prima propoſitione Facultas ita pronuntiat: *Hoc conſilium ordinationi Eccleſiæ de cælibatu Sacerdotum derogat, perinde acſi melius eſſet, eam Sanctionem non eſſe conſtitutam, hinc impium eſt, ſplendori pudicitiæ Eccleſiaſticæ adverſum, & de damnata Wicleſi & Lutheri doctrina deſumptum.* Alteram Facultas dicit *temere aſſertam.*

Inſuper in additionibus ad hasce cenſuras, tertia adhuc circa idem argumentum reperitur propoſitio ex Eraſmi libro *de interdicto uſu carnium* deprompta, in qua Auctor ita aſſerit: *Multæ cauſſæ ſuadent mutationem legis cælibatus in Eccleſia.*

sia. Hæc Propositio, inquit Facultas, *falsa est, vehementer scandalosa, & in Ecclesia sancta schismatis Lutherani ac hæresis ejusdem impiæ nutritiva: eoquod multæ sint, & efficaces causæ ad sanctam legis cœlibatus Sacerdotum observationem retinendam, & nullatenus mutandam, nullæ econtra, quæ justæ sint, oppositum suadeant.* Sæcul XVI. A.C.1527.

In eadem hac censura Facultas observat, quod *nec ipsis quidem Græcis Sacerdotibus post susceptum sacrum Ordinem nova nuptiarum fœdera inire unquam licuerit: unde si id a Græcis inviolabiliter observatum est, quanto firmiori jure Sacerdotes Ecclesiæ Latinæ, quæ voto continentiæ se devinxit, ad hoc adstringuntur.*

De peccato originali.

Occasione hujus peccati Erasmus textum S. Pauli ad Romanos cap. 5. *In Adam omnes peccaverunt*, intelligere videtur de peccato actuali, quod genuino Apostoli sensui adversatur; non enim veritati consonum est, quod *omnes homines peccato actuali deliquerint; quippe Parvuli nondum usum rationis consecuti, actuali peccato nunquam fuerunt obnoxii. Hujus loci expositio*, inquit Facultas, *Pelagianorum errori favet*, qui peccatum originale negabant. *Eras. in ep. ad Rom. c. 5.*

De

Sæcul. XVI. A.C.1527.

De pœna filiorum temporali propter peccata parentum.

Circa hoc argumentum Eraſmus hanc tenuit ſententiam: *Non punit Deus liberos ob delicta parentum, quemadmodum docet lex, niſi filii parentum æmulentur vitia.*

Hæc propoſitio, affirmat Facultas, *univerſaliter* intellecta, prætendens Deum nunquam punire liberos temporaliter, niſi ſcelera eorum imitentur, ac ſi illud repugnet divinæ juſtitiæ, aut æquitati naturali, eſt hæretica & ſacræ Scripturæ adverſatur, quæ frequenter ſic punitos liberos indicat. Sic enim ſunt pueri ſubmerſi in diluvio cum parentibus, ſic in Pentapoli igne extincti, ſic denique filius David parvulus propter adulterium, & homicidium ejus mortuus eſt. nec lex docens filios pro iniquitatibus parentum non plecti, intelligi debet de pœna temporali, ſed de æterna.

De Pœna Hæreticorum.

Eraſm. in Matth. c. 13. & in ſupput.

Prima propoſitio erat hæc: *Servi, qui volunt ante tempus colligere Zizania, ſunt ii, qui Pſeudo-Apoſtolos, & Hæreſiarchas gladiis & mortibus exiſtimant e medio tollen-*

tollendos, cum Paterfamilias nolit eos extin- Sæcul. XVI.
qui, ſed tolerari, ſi forte reſipiſcant, & ex A.C. 1527.
Zizaniis vertantur in triticum; quod ſi non reſipiſcant, ſerventur ſuo judici, cui dabunt pœnas aliquando.

Hæc propoſitio, juxta Facultatem *Eſt error Catharorum, Valdenſium, & Lutheri, generalibus Conciliis, & legibus Imperialibus damnatus.*

II. Ego Principes ad trucidandos hæreticos, nec hortor, nec dehortor. Quid Sacerdotalis ſit officii demonſtro.

Definit Facultas *Eccleſiaſticis licere juxta Juris diſpoſitionem indicere bella, aut ad indicenda per temporales Magiſtratus inducere adverſus Turcas & Judæos, non minus utique illis licebit in notorios hæreticos. In cujus rei comprobationem cum Præſulibus adfuit B. Dominicus ei bello, quod contra Albigenſes hæreticos geſtum eſt, & ubi Principes ſæculares graviter delinquerent, non exterminando hæreticos in perniciem Reipublicæ Chriſtianæ conſpirantes, & in ſuam hæreſim plurimos pertrahentes, tenerentur omnibus modis illos inducere Orthodoxi Epiſcopi ad id faciendum, alioqui ipſi peccarent. Quare hæc propoſitio quatenus prætendit nunquam Sacerdotalis, aut Epiſcopalis eſſe officii Principes inducere ad extirpationem Hæreticorum, impie nec utiliter profectibus conſulit Chriſtianorum, veræ fortitudinis robur in adverſarios fidei enervans.*

Sæcul. XVI. A.C.1527.

III. Quis unquam audivit Orthodoxos Episcopos concitasse Reges ad trucidandos Hæreticos, qui nihil aliud essent quam Hæretici.

Hæc propositio declaratur *contraria dispositioni Juris naturalis, divini, & humani.*

IV. Docet Augustinus ferendos Hæreticos, donec citra gravem Ecclesiæ concussionem possint tolli: sed tolli Augustinus intelligit a Communione separari.

Facultas declarat sanctum hunc Doctorem *relicta priori sententia contrarium multis in libris docuisse.*

V. Per Evangelium vitari jubentur Hæretici, non exui. Ast, inquit Facultas, *Evangelium non abrogat leges civiles, quæ conformiter ad jus naturale Hæreticos morte plectendos decernunt.*

VI. An leges Ecclesiæ sunt quempiam ultricibus flammis tradere?

Respondet Facultas, *Ecclesia non vult per Ecclesiasticos leges hasce civiles executioni demandari.*

VII. Veteribus Episcopis ultima pœna erat anathema.

Hæc Propositio a Doctoribus sequenti censura perstringitur: *Propter infestationem Tyrannorum in primitiva Ecclesia non poterant Hæretici severiori pœna mulctari, quam excommunicationis, postea tamen cum Principes sæculi Ecclesiæ colla submi-*

ſubmiſere, perſpecta contumacia, atque impietate Hæreticorum neceſſarium fuit, nedum conveniens in illos gladio temporali animadverti. Præcedentes autem quatuor propoſitiones errori ſuffragantur præfatorum Hæreticorum negantium, licere, & expedire hæreticos contumaces extremis ſuppliciis coerceri, quando nulla inde ſequitur perturbatio Reipublicæ, & hoc expoſcit ſalus multorum.

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

De defectu vigoris Evangelici.

De hac materia Eraſmus hanc effutiit propoſitionem: *Nullis ſæculis defuerunt homines, apud quos Evangelio ſuus conſtiterit honos, ſed tamen his annis 400. vigor illius apud plerosque refrixerat.* *Eraſm. præpoſ. in Joan.*

De hac propoſitione Facultas ita cenſet: *Hæc propoſitio, quantum ad ultimam partem*, ſcilicet, ſed tamen his annis 400. &c. *deſignans his annis quadringentis viros defuiſſe, quibus Evangelio ſuus conſtiterit honos, temere aſſeritur, cum his annis quadringentis viri fuerint non pauci ſanctitate & eruditione conſpicui, quales fuerunt Bernardus, Hugo & Richardus de ſancto Victore, Petrus Lombardus, Gratianus, Thomas Aquinas, Bonaventura, Alexander de Hales, Guilielmus Pariſienſis, Nicolaus de Lira, Joannes Gerſon, Thomas Walden, & plerique alii.*

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

De Sabbato.

Eraſ. in Ev. Marc. c. 2.

Futurum eſt, inquiebat Eraſmus, *ut vere piis quævis dies ſit æque ſacra.* Hujus propoſitionis cenſura eſt ſequens:

Hæc propoſitio, innuens cultum diei Dominicæ & aliorum feſtorum ab Eccleſia utiliter, & ſancte inſtitutorum aliquando in Eccleſia militante abolendum, quod in magnam vergeret perniciem Chriſtianiſmi, irrationabiliter aſſeritur, conformiter ad errorem Beguardorum, qui dicunt tertium Præceptum Decalogi ſcilicet: Sabbata ſanctifices, *jam ceſſare quantum ad juſtos.*

De Eccleſia.

Id. in Marc. c. 3.

Eccleſia Chriſti, neque ſurdos, neque mutos, neque cæcos, neque debiles, neque claudos recipit, hujusmodi autem habet Synagoga.

Huic aſſertioni hæc Facultatis cenſura eſt adſcripta: *Hæc propoſitio ſic indiſtincte poſita, innuere videtur, ſolos juſtos eſſe de Eccleſia militante; de illa enim ſit ibi ſermo: Hoc autem non conſonat Doctrinæ Evangelicæ, quæ comparat Regnum Cælorum, quod eſt Eccleſia militans, ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, & agro Dominico, in quo cum tritico ſunt Zizania.*

De

Sæcul. XVI. A.C. 1527.

De B. Virgine Maria.

Contra B. V. honorem Eraſmus ſequentes protulit propoſitiones: I. *Divini favoris eſt, ait Gabriel ad Mariam, quod offertur, non tui meriti.* Hanc propoſitionem Facultatis Doctores hoc modo perſtringunt. *Eraſm. in Lucam c. 1. & in elencho & in Joan. c. 2.*

Si prætendatur ſuppoſita liberali beneficentia divina, reſpectu Incarnationis, quod beata Virgo nullo modo meruerit eſſe Mater Dei, cujus oppoſitum Eccleſia decantat, falſa eſt propoſitio & ſacroſanctæ Virginis honori derogans.

II. *An in pueritia & infantia Chriſti perfecte fuerit revelatum Beatæ Virgini Chriſtum eſſe Deum & hominem, mihi non liquet.*

Hæc propoſitio, ait Facultas *craſſam ignorantiam Evangeliorum arguit in ita loquente, cum credendum ſit Beatæ Virgini Mariæ, tum perfecte revelatum extitiſſe Chriſtum eſſe Deum & Hominem. Hoc illi Angelus, Elizabeth, Reges, Paſtores, Simeon & Prophetæ ſatis indicarunt.*

III. *Patris Gloriæ quoties erit ſerviendum, nihil opus eſt tua interpellatione.*

Hæc propoſitio inquit Facultas *itidem impia eſt, ritui Eccleſiæ contraria, & hæretica.*

Sæc. XVI. A.C. 1527.

De Angelis.

Erasm. in elencho annot. 152.

An Angelus sit simpliciter homine dignior nescio, inquit Erasmus.

De hac propositione Doctores ita sentiunt: *Miseranda ignorantia ita dubitantis, cum etiam id aperta Scriptura explicet, de quo dubitat. Diminutum siquidem ab Angelis Filium Hominis, contestatur regius Propheta, cum inquit:* Minuisti eum paulominus ab Angelis.

Ps. 8. v. 16.

De S. Petro.

Erasm. in Matth. c. 16.

De hoc Sancto Erasmus hæc profert: *Petrus dicens Christo: Tu es Christus filius Dei vivi, certa & indubitata sententia professus est illum esse Messiam a Prophetis promissum singulari quodam amore Filium Dei.* Hæc explicatio a Doctoribus hac censura notatur:

Hæc propositio perperam explicat Evangelicam sententiam, præbens occasionem male sentiendi de divinitate Filii Dei cum Nestorio; non enim singulari quodam amore Dei in ipsum, Christus est Filius Dei, neque adoptione, & gratia, sed origine & natura.

De S. Paulo.

Erasm. ad Phil. c. 4. v. 3.

Circa hunc articulum Facultas rursum agit de textu, in quo D. Paulus scribens

bens ad Philippenſes quemdam, cujus nomen ignoratur, his verbis precatur: *Te rogo Germane compar adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio.* Cum vero Eraſmus in ſua Paraphraſi loco verborum latinorum: *Germane compar*, juxta Græcum textum legeret, *vera Germana Conjunx*, hanc explicationem Facultas ſequenti Cenſura perſtringit. Sæcul. XVI. A. C. 1527.

Temerarie a communi lectione latina Paraphraſtes in Paraphraſi latina recedit, quam paſſim ſequuntur Catholici Doctores Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, & complures alii; neque audiendos cenſet Hieronymus eos, qui Paulum habuiſſe uxorem confingunt; quod omnes velit eſſe ſicut ſeipſum: De innuptis item & viduis loquens, bonum *dicat* illis eſſe, ſi ſic permanſerint, ſicut ipſe. *Id autem nequaquam diceret, ſi uxorem ipſe haberet.* 1. Cor. c. 7. v. 8

De S. Dionyſio Areopagita.

De hoc Sancto Eraſmus hæc edixit. *Dionyſius, qui in ſecunda Hierarchia, id eſt Eccleſiaſtica, priſcos Eccleſiæ ritus ſatis copioſe deſcribit, eruditis recentior quispiam fuiſſe videtur, quam fuit Areopagites ille.*

Facultas vero pronuntiat: *Non vero eruditis, ſed temerariis & novitatum ſtudioſis videtur non eſſe Dionyſius Areopagi-*

Sæc. XVI. A.C. 1527. *tes, qui libros Eccleſiaſticæ Hierarchiæ conſcripſerit; quandoquidem ab ipſo Dionyſio Areopagita fuiſſe conſcriptos conſtat primum ex ipſis Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & aliis ejusdem Autoris Libris: Deinde clarorum virorum teſtimonio idem comprobatur, poſtremo ſeptima Generali Synodo id fit dilucidius, in qua magnus Dionyſius appellatur is, qui libros ſcripſit Eccleſiaſticæ Hierarchiæ.*

Equidem ea erat illo ævo Facultatis ſententia; hodierno tamen tempore, quo ad criticæ artis pondus cuncta librantur, hæc opinio deſeritur; certum enim eſt, quod hi libri a cuncta retro antiquitate incogniti prima vice nonniſi Anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo ab hæreticis Severianis fuerint allegati in quodam colloquio, quod hi cum Catholicis Epiſcopis in Palatio Juſtiniani Cæſaris habebant: præterea omnibus perſpectum eſt, quod nec Euſebius, nec S. Hieronymus ullam horum operum mentionem fecerint, pariter omnes Scriptores veteres, qui de Sancto Dionyſio Areopagita mentionem inſerunt, de præfatis ejusdem libris nil memorant. Denique hodiedum oſtenditur, quod libri, qui S. Dionyſio adſcribuntur, nonniſi ſæculo quinto fuerint enarrati, eisque primum ineun-

ineunte sæculo sexto ingens auctoritas attribui cæperit. Sæcul. XVI. A.C. 1527.

De Theologia Scholastica.

Contra Theologiam Scholasticam ex Erasmo quinque propositiones damnatæ proferuntur, quarum prima est. *Theologia potius ars cæpit esse, quam scientia, potius humana pertractans, quam divina.* II. *Hanc Theologiam vitiarunt Doctores, tandemque eo deventum, ut divinæ Scripturæ regula nunc huc, nunc illuc detorta nostris deserviret affectibus.* III. *Illa pristina studiorum simplicitatem sustulit, quæ nonnisi per linguarum, ac bonarum, ut vocant, literarum cognitionem revocari potest.* IV. *Novam de rebus divinis loquendi metodum introduxit, quæ plures quæstiones & atrociores tumultus excitavit in orbe, quam olim Arianorum temeritas.* V. *Multa definimus, quæ citra salutis dispendium ignorari possunt, v. g. quid discernat Patrem a Filio, quid ab utroque Spiritum Sanctum, quid interfit inter Filii Nativitatem a Patre, & Spiritus processionem, utrum Spiritus a Patre & Filio procedentis unicum sit principium, an duo.* *Erasm. in præfat. in S. Hilarium.*

Alias insuper propositiones Facultas damnavit tanquam temerarias, econtra autem Theologiam Scholasticam summopere extulit, quam ab Erasmo pluri-

Sæcul. XVI A.C. 1527.

bus in locis suorum operum fuisse depressam haud diffiteri possumus.

§. LXXV.

Aliæ propositiones ex Erasmo damnatæ.

Argentre p. 174.

Postquam hæc censura in Sorbonnæ Collegio die decima sexta Decembris Anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo pronunciata fuit, eadem Facultas subjunxit quasdam propositiones, quas per oscitantiam scribæ ad calcem primæ editionis additas fuisse constat. Inter has duæ erant *de Misericordia Dei*, quarum prima ita profertur: *Quantis malis patent, qui fiduciam posuerunt in mentis ac factis suis? II. Psalmista inquit, Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, cum audis* bonæ voluntatis, *excludi intelligis fiduciam meritorum. Hæ propositiones*, ait Facultas, *si fiduciam piam, & humilem respuant, aut inficientur, Lutheri impietati suffragantur; talis vero fiducia non modo utilis est, sed & necessaria ad habendam vitam æternam.* Propositio sequens est *de Cælibatu Sacerdotum*, de qua jam supra actum fuisse meminimus. Postremæ vero propositiones, quæ ex præfatione Erasmi in S. Hilarii opera decerptæ sunt, concernunt denuo Theologiam Scholasticam;

Psal. 5. v. 15.

inquit

inquit enim Erasmus. *I. S. Hilarius haud quaquam erat ignarus, quam periculi plenum sit de rebus ineffabilibus loqui, incomprehensibilia scrutari. II. Summa nostræ Religionis pax est, & unanimitas. Ea vix constare poterit, nisi de pauciſſimis definiamus, & in multis relinquamus cuique liberum judicium.* III. *Hoc eruditionis est Theologicæ, nihil ultra quam sacris literis proditum est, definire.* IV. *Multa problemata magis conveniret rejicere ad tempus, cum videbimus Deum de facie in faciem.* V. *Pudet, Rabinos alicubi nihil habere, quod respondeant.* Omnes hæ propositiones pari censura, ac supra relatæ perstringuntur. Sæcul. XVI. A. C. 1527.

§. LXXVI.

Erasmus apud Parisiensem Senatum de Beda Syndico questus.

Paulo ante latam hancce censuram nunciabatur Erasmo, quod Parisiensis Facultas Theologica quasdam propositiones ex ejus libris decerptas examini subjiciat, imo earum nonnullas jamjam damnasset; quapropter is die decima quarta Novembris anno Christi milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo ad Parisiensem Senatum literas dedit, quibus de Natalis Bedæ Syndici ausibus querebatur, simulque Curiam roga-

Sæcul. XVI. A.C. 1527. rogabat, ut interpoſita auctoritate ſua præfatum Doctorem juberet, ne ultra adverſus eum judicio contenderet, „non „ equidem vereor, inquiebat, Eraſmus, „ ſed veneror Pariſienſis Facultatis „ Theologicæ judicium, nec etiam do- „ ctrinæ meæ veritati diffido, multis ta- „ men argumentis mihi cognita eſt Be- „ dæ violenta agendi ratio, ejusque „ pertinacia, nec me latet, multos ex „ Facultatis Doctoribus adverſum me „ conſpiraſſe, ceteros vero, quibus non „ idem cum Beda ſenſus eſt, obmute- „ ſcere, veriti, ne aut odium aut vexa- „ tionem ſibi accerſerent; mox enim ac „ nonnulli me defendere aggrediebantur, eis objiciebatur, quod ipſis etiam „ Lutheranis pejores eſſent; nec deſunt, „ qui politioris ſcientiæ ignari, doctri- „ nam meam capere nequeant, deni- „ que cenſura adverſus me lata eo con- „ cepta eſt artificio, ut facile etiam ma- „ gis ſinceri ac docti Viri in errorem „ deduci poſſent; nonnullæ enim pro- „ poſitiones nonniſi truncatæ proferun- „ tur, quæ a prioribus vel ſequentibus ſe- „ paratæ perverſum, conjunctæ vero „ ſanum omnino ſenſum exhibent.„ Hæc ille, (*) an vero Curiæ Senatores hujus

(*) Quo autem loco, Continuator ſubdole reti-

huius epistolæ rationem habuerint, vel quid demum hac in re decretum fuerit, ignoratur; id tamen certum est, quod insuperhabitis Erasmi querelis censura fuerit promulgata, ut supra retulimus. Sæc. XVI. A.C. 1527.

§. LXXVII.

Apologia contra hanc censuram.

Ex hac censura Erasmi hostes non parum elati, eum calumniandi ansam captabant, nec tamen defuit celebris quidam nostri ævi Scriptor, qui Erasmi Orthodoxiam contra hanc censuram vindicare nitebatur. Percipiamus illius hac in re judicium. „ Quod Theologicæ Facultatis censuras attinet, inquit præfatus Auctor, nihil detrahimus submissioni, quæ ejusdem membris scientiæ fama celeberrimis debetur; nihilominus jure merito affirmare possumus, quod summi Pontifices, Reges, Principes, Cardinales, Episcopi, omnesque doctiores Ecclesiæ Catholicæ Viri Erasmum tam amplis celebrarint elogiis, ut eorum auctoritas hujus censuræ vim æquare, ac finistram, quæ adversus eum quorumdam menti jam ante insita fuit, opinionem

Apologie ou justification d'Erasme per M. Marsolier en 1713 p. 190.

reticet, ne Lector Erasmi propositiones a Facultate merito damnatas deprehendere possit.

Sæcul. XVI. A C. 1527.

„ nionem imminuere possit. Non e-
„ quidem affirmare audemus, Erasmum
„ nunquam errasse, aut ejus Scripta
„ nævo carere, sive argumenta, quæ
„ pertractat, sive scribendi methodum,
„ quam in maximo librorum, quos edi-
„ dit, numero tenuit, consideremus;
„ imo nec ipse Erasmus se nonnunquam
„ hallucinasse diffitetur. Nihilominus
„ etsi quandoque a receptis opinioni-
„ bus aberrasset, quamplurima tamen
„ alia adeo eleganter atque exquisite
„ conscripsit, ut omnes, quibus unquam
„ perstringi poterat, censuræ tantum
„ nec effecerint, nec imposterum effi-
„ cere poterint, quominus inter doctis-
„ simos ac celeberrimos, quos Deus
„ Ecclesiæ suæ dedit, viros numerare-
„ tur. Quapropter jam olim de qua-
Dupin. Bibl. des aut. Eccl. tom. 14. p. 77. dans l'histoire d'Erasme
„ dam censura in Erasmum lata Xime-
„ nius Cardinalis hæc verba pronuncia-
„ bat: *Aut eo melius scribite aut non pro-*
„ *hibete illos, qui Dei beneficio in scriben-*
„ *do facultatem habent.*

„ Nullo igitur pacto Erasmum ab
„ omni errore immunem fuisse contendo
„ (& quis demum de hoc gloriari po-
„ terit?) id tamen merito affirmare
„ possum, quod illius ævo plura Docto-
„ rum disputationi relicta fuerint, quæ
„ hodierno tempore in dubium vocare
„ haud ultra licet, eoquod sentiendi li-
„ bertas

„ bertas a Concilio Tridentino ſublata, Sæc. XVI.
„ & credendi certitudo magis definita A.C. 1527.
„ ſit. Præterea Eraſmi ætas haud
„ parum redolebat illam præteritorum
„ ſæculorum ignorantiam, quæ inter
„ plebæjos plurimas novitates introdu-
„ xerat. Veteris diſciplinæ rara admo-
„ dum erat cognitio, quocirca cuncta
„ credebantur eſſe nova, ſuſpecta, ac
„ reprehenſione digna, ſi nulla de illis
„ mentio ante duo vel tria ſæcula fuit
„ facta; quæ vero uſu invaluere, tantam
„ obtinebant auctoritatem, ut illis, ſive
„ demum abuſus, ſive legitima conſue-
„ tudo fuerint, ſeſe opponere nemini
„ liceret. Haud diffitemur, inter tot
„ homines ſuis opinionibus præventos
„ fuiſſe nonnullos, qui ceteris majori
„ perſpicacia pollebant, aſt hi numero
„ pauciores erant, cum tamen in præ-
„ ſenti temporum viciſſitudine res ple-
„ rumque ex opinantium numero ac
„ multitudine decidantur, nec ſuffragia
„ examinentur, ſed duntaxat numeren-
„ tur. Fatemur etiam, quod quædam
„ Facultatis cenſuræ etiam excedant
„ ea, quæ a Tridentino Concilio defi-
„ nita fuere, nulloque ferme negotio
„ oſtendere poſſemus, quamplurimos
„ tam fidei puritate quam ſcientiæ fama
„ clariſſimos Eraſmi ætate idem cum
„ illo ſenſiſſe, & quidem in multis etiam
„ arti-

Sæcul. XVI A.C. 1527.

„ articulis, ob quos Eraſmus cenſoria „ virga notatur. „

Ceterum quod Eraſmus ſeſe judicio Eccleſiæ ſubjecerit, teſtatum facit epiſtola, quam ad Bilibaldum Amicum ſuum hoc anno Baſileæ dedit. *Nec mihi non ſufficiunt verba Chriſti*, inquit Erasmus, *ſed virum videri non debet, ſi ſequor interpretem Eccleſiam, cujus auctoritate perſuaſus, credo Scripturis Canonicis* (idem jam pridem S. Auguſtinus ante Eraſmum nos docuit) *Fortaſſe plus vel ingenii, vel roboris eſt aliis, ergo nulla in re tutius aquieſco, quam in certis Eccleſiæ judiciis. Rationum & argumentorum nullus eſt finis.*

Lib. 20. ep. 3.

§. LXXVIII.

Eraſmus de arctiori cum hæreticis ſocietate poſtulatus.

Præterea alterum accuſationis caput, quo Eraſmi fides ſuſpecta reddebatur, erat obſequioſa converſandi ratio cum hæreticis; Vitio vertebatur, quod illi ejus eruditionem magnis paſſim laudibus efferre viderentur, ipſe vero literarium cum illis commercium haberet, ac multa manſuetudine & moderatione uteretur, eoquod hæreticos ad ſinum Eccleſiæ nullo aptiori medio revocari poſſe crederet. Hæc Eraſmum egiſſe ac ſenſiſſe, haud diffitemur. Num vero homi-

homines venerari non possumus, quin & ipsorum errores ratos habeamus? Tamdiu doctus ille Vir cum hæreticis comiter egit, quamdiu illos lenitate ad saniora reduci posse sperabat, ubi vero hanc quoque viam incassum adhiberi compererat, haud ultra quicquam eis indulgebat, imo & palam adversus eos insurgebat; Hanc agendi rationem in Erasmo ipsemet Carolus V. Imperator commendabat, hancque in rem ad eundem die decima tertia Decembris hoc anno epistolam dedit, eo ipso tempore, quo in Sorbonna de proscribendis ejus libris agebatur (*). Sæcul. XVI. A.C. 1527.

Postquam enim Cæsar Erasmo grates egerat, eoquod ei significasset, quod Lutheri hæresis inclinare inciperet, Carolus palam professus est, quod non modo *Ep. Erasm.* 415.

(*) Observes velim, quod in tota Londinensi collectione omnino nulla reperiatur epistola a Carolo V. ad Erasmum scripta; habetur quidem lib. 18. epist. 31. quædam Erasmi epistola, & hæc quidem unica, ad quemdam Medicum, sed in eo nec verbulum de iis, quæ Continuator recitat, habentur, aut ergo hæc testimonia non sunt legitima, aut saltem Continuator diligentius annotare debuisset loca, in quibus ea reperiri valent.

Sæc. XVI. A.C.1527.

do ipse sed universa Christiana Respublica, tantam felicitatem eidem in acceptis referre teneatur. His Cæsar disertis verbis subjunxit, quod Erasmus in hac occasione solus plura præstiterit, quam Imperatores, summi Pontifices, Principes, Universitates, omnesque Viri longe doctissimi illo ævo efficere potuerint. Inde vero sibi coram Deo & hominibus immortalem gloriam comparaverit. Postea Cæsar Erasmo tam prosperos successus gratulatur, eumque admonet, ut feliciter cæpta prosequeretur, eidemque spondet, quod in tam sancto proposito illum totis viribus suis adjuvare velit.

Hoc elogium satis superque est ad reprimendos omnes illos, qui Erasmum insimularunt, qnod Luthero faviſſet, si autem hujus rei testimonium magis adhuc luculentum desideretur, sufficit ea ponderare verba, quæ Erasmus in quadam epistola ad quemdam Medicum data protulit. „ Novum hoc Evangelium „ inquit Erasmus, novum progignit ho„ minum genus, scilicet obstinatos, im„ pudentes, hypocritas, maledicos, „ mendaces, & sycophantas, Viros, qui „ inter semetipsos dissident, aliis vero „ molesti sunt, seditiosos, furiosos, & „ fraudulentos, quos tantopere abomi„ nor, ut si vel unica mihi cognita es„ set

„ set civitas, in qua ejusmodi homines Sæcul. XVI.
„ minime reperirentur, vellem ibidem A.C. 1527.
„ domicilium meum figere.„

Certo hæc descriptio non manifestat indolem cujusdam Viri, qui se Lutheranorum ac Zwinglianorum amicum profitetur.

§. LXXIX.

Dissidia Lutheranos inter & Zwinglianos.

Haud immerito (si tamen ab exterioribus signis judicium petere fas est) Erasmus ad Cæsarem perscripsit, quod novi Evangelii progressus tandem mutuis decrescant dissidiis, quibus Sectatorum Principes circa Eucharistiæ articulum se invicem proscindunt. Lutherus enim substantiam panis unacum Corpore Christi permanere contendebat, Zwinglius ex adverso Eucharistiam non nisi signum ac figuram esse docebat. Credebat Lutherus nihil magis temerarium, magisque impium esse, quam literalem sensum negare. Zwinglius vero nihil magis absonum, ac crassum reputabat, quam eundem admittere. Erasmus, quem uterque suæ sectæ aggregare gestiebat, unacum omnibus Catholicis ad eos dicebat: *Vos omnes provocatis ad Scripturam,* vosque veros il- *Lib. 28. 3. & 29. 113. & 31. 59. p. 2102. &c.*

Sæc. XVI. A C. 1528.

lius interpretes esse, jactitatis: *Uterque ergo, antequam legem mundo præscribatis, inter vos convenite* (*). His auditis ambo, quod inter se convenire non possent, pudore suffundebantur, & quamvis exterius ignominiam suam operire niterentur, nihilominus reipsa in mente sua haud aliter sentiebant, ac Calvinus quondam calamo expressérat, hæc ad Melanchtonem amicum suum perscribens: *Maximopere interest, ad futura sæcula nullam divisionum nostrarum suspicionem pervenire; plus enim, quam concipi potest, ridiculum est, nos, dum toti mundo adversamur, tam parum inter nos ab initio Reformationis convenire.*

§. LXXX.

Bellum ab Hassiæ Landgravio, & Electore Saxoniæ adornatum.

Sleidan. in comm. l. 6. p. 188. Melanchton l. 4. ep. 70. Cochl. in actis Lutheri ann. 1528. p. 183. & seq. Raynald. an. 1528. n. 42.

Interim Philippus Hassiæ Landgravius novi Evangelii sectator longe studiosissimus ejusmodi tumultus probe prospexerat; unde primis jamjam annis, in quibus hæc dissidia fervebant, ea compone-

(*) Continuator oblitus erat, quod hæc jam priori §. LVI. ex Bossuetio descripserit; reliqua vero itidem ex eodem Auctore deflaravit.

ponere ſtuduit. Cum vero ſuorum fa- Sæcul. XVI.
ctionem numero & potentia prævalere A.C. 1528.
cerneret, ac Cæſaris, Principum Catholicorum, Ferdinandi, Electoris Brandeburgici, Guilielmi & Ludovici Bavariæ Ducum, necnon Moguntini Electoris, aliorumque minis terreretur, novi fœderis ſocietatem pangere conſtituit. Ad hoc conſilium Landgravium & Saxoniæ Electorem excitabat Otto Packius inſignis fraudum Architectus, qui dum Cancellarii vices apud Georgium Saxoniæ Ducem agebat, utrique Principi ſuggeſſerat, non modo in eorum ruinam, ſed adverſus ipſam quoque Religionem Principes Catholicos inita inter ſe ſocietate conſpiraſſe; huic autem mendacio ut auctoritatem conciliaret, formulam effinxit præfati fœderis, ejusque autographum ſe exhibiturum promiſit. Hac fraude deluſi ambo Principes, brevi obliviſcebantur præcepti, quod Lutherus velut reformationis ſuæ fundamentum inculcabat, ſcilicet nullum in armis quærendum eſſe præſidium. Igitur Landgravius, ac Saxoniæ Elector commentitium hoc fœdus inter Principes Catholicos initum obtendunt, copias conſcribunt, ubique encyclicas emittunt literas ac palam contra eos conqueruntur. Hæc res Principes Catholicos ſumma admiratione defixos

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

tenebat, cum vero de ejusmodi conjuratione nequidem somniassent, nullo negotio inustam labem a se amoliti sunt. Paulo post Landgravius confictam fœderis formulam ad Georgium Saxoniæ Ducem ejus Socerum transmisit. Dux quantocius Landgravio hunc in modum respondit: *Velit Dilectio vestra ostendere mihi mendacem virum illum hujus formulæ architectum, ut & ego, & quilibet ab eo cavere sibi sciat. Nisi enim id a Dilectione vestra impetravero, moveri possem ad suspicandum, quod ipsamet effinxerit hoc scriptum, atque ita velit captare occasionem, vestram inimicam voluntatem contra me, & totam Germaniam inchoandi.*

Cum igitur Packius hujus fœderis authographum, ut ante promiserat, exhibere non posset, detecta falsitate lis utrinque composita, & Packius de crimine falsi convictus ab ipso Landgravio derelictus fuit, demum vero postquam aliquamdiu in exteris Regionibus vagaretur, Antverpiæ extremo mortis supplicio mulctatus obiit.

§. LXXXI.

Pax ingenti pecuniarum summa coempta.

Cochl. ib. p. 285.

Ceterum quamvis Principes ac Germaniæ Episcopi luculento prorsus argu-

argumento convincerentur, quod hæc armorum ſocietas nonniſi commentitia, nec unquam ab eis mente concepta fuiſſet, proin ipſorum innocentia toti orbi patefieret, nihilominus Haſſiæ Landgravius cunctis hiſce rationibus nondum ſibi ſatisfactum ratus, a quibusdam Epiſcopis ingentes pecuniarum ſummas extorſit, quibus ſumptus in conſcribendo exercitu factos reſarciret, quamvis ipſe fateretur, quod falſis relationibus deceptus arma ſumpſiſſet. Numerabant itaque Moguntinus Archiepiſcopus quadraginta aureorum millia, totidemque Epiſcopus Herbipolenſis, & viginti millia Bambergenſis. Hi enim, quamvis ab eo fœdere omnino immunes eſſent, malebant tamen auro pacem redimere, quam injuſtum ſuſtinere bellum, id eo vel maxime, quod Cæſar abſens eſſet, nec Fœderati Suevi illis tam ſubito opem ferre poſſent, eorum vero ſubditi magna ex parte Lutheri erroribus infecti eſſent. Igitur hi Præſules hac pecuniarum jactura ſuas ditiones a deprædationibus, ac devaſtationibus liberabant, quæ ſemper bella, præcipue ubi agitur de Religione, conſequuntur, conſervabant inſuper inter ſubditis ſuos tranquilitatem, totamque Germaniam a plurimis præſervabant tumultibus, qui abs dubio ſub ſpecioſo

Sæc. XVI. A.C. 1528.

Sleidan. l. 6. p. 188.

Sæcul. XVI. A. C. 1528.

tuendæ puritatis Evangelicæ prætextu eo crudeliores fuissent, quo magis Lutherani ubique se pro Verbi divini integritate decertare, perperam jactitabant.

§. LXXXII.

Turpis Landgravii quæstus a Melanchtone reprobatus & a Luthero laudatus.

Melanchton l. 4. ep. 70. l. 3. ep. 16. ibid. ep. 70. & 72.

Melanchton hasce exactiones a Landgravio factas minime approbabat, nec tamen facinus alia ratione excusare poterat, quam futilem hanc caussam allegando, Landgravium id egisse *ex pudore malo*, eoquod se deceptum fuisse, fateri erubescceret. Verum graviores longe curæ agitabant Melanchtonis animum; coram suis enim jactitabat, Papatum sine bello ac sanguinis profusione destructum iri. Præterea antequam Landgravius has turbas concitaret, ac paulo post rusticorum seditionem accenderet, Melanchton ad eundem Landgravium hæc perscripserat, *omnia citius perferenda, quam pro defendendo Evangelio ad arma veniendum;* nunc vero eo res deveniebat, ut iidem, qui paulo ante pacis conservatores haberi gestiebant, nunc primi bellorum incentores essent, & quidem nonnisi ex falsis rumoribus, prout ipsemet Melanchton fatetur, ac propte-

propterea ingemiſcens exclamat: *Obruor dolore conſiderans, quo ſcandalo bona cauſſa gravetur!* Sæcul. XVI. A.C. 1528.

Ex adverſo Lutherus longe alia fovebat conſilia; licet enim inter ipſos Proteſtantum Scriptores communis eſſet ſententia, quod fœdus Catholicorum Principum nonniſi inane commentum fuiſſet, Lutherus tamen illud verum haberi voluit; quapropter plures dedit literas, multosque ubique divulgavit libellos, quibus adverſus Georgium Saxoniæ Ducem impudentius furens, eum vocare non erubuit, *ſtultorum ſtultiſſimum, Moabum ſuperbum, majora ſemper viribus tentantem*, comminatus *porro, ſe Deum contra eum oraturum, ac poſtea moniturum Principes, ut ejusmodi homines exterminent, qui quieſcere nolunt, niſi ſanguine Germaniam madere ſentiant.* Verius dixiſſet Lutherus, timeo, ne Lutherani, ut Germania ad triſtem hunc ſtatum redacta videatur, illam in eum conjicere ac ruinam incipere debeant ab extirpandis Principibus, qui ſeſe eorum conſiliis opponunt. Dux enim Georgius haud minori ſtudio Lutheranis ſeſe opponebat, quam Elector Saxoniæ huic ſanguine junctus eisdem favebat; hanc ob rem Lutherus Ducem indigno prorſus modo habuit, ut patet ex epiſtola, quam de eo ad Wenceslaum

Sleidan. ib. Dav. Chytr. in Sax. ad ann. 1528. p. 312. & 982. Luth. in ep. ad Vencesl. Lyncum to. 2.

Cochl. l. cit. p. 187. 188.

Sæcul. XVI A. C. 1528.

laum Lincum Apoſtatam Auguſtinianum perſcripſit. Data eſt hæc epiſtola Menſe Junio die Dominica poſt Feſtum S. Barnabæ. Ceterum Lutherus in hac eadem epiſtola hunc fidei deſertorem appellavit, *Servum Chriſti in Evangelio, ac Fratrem ſuum.*

§. LXXXIII.

Diſputatio Bernenſis.

Sleid. comm. l. 6. p. 183. Vid. ſupra Lib. LXV. Raynald. hoc anno num. 18 Cochl. de act. Luth. l. c. p. 188.

Ineunte hoc anno non minus nominata, quam ſimul ſcandaloſa habebatur Bernenſium diſputatio, quæ encyclicis literis die decima ſeptima Septembris Anni milleſimi quingenteſimi vigeſimi ſeptimi a Bernenſi Pago indicebatur. Agebat tum Moguntiæ Joannes Cochlæus, cum vero probe proſpiceret atrocem omnino injuriam, quæ ex ejusmodi colloquio Religioni Chriſtianæ inferretur; ideo nulla mora datis ad Bernenſes literis eos hortabatur, *ut divinæ legis, auctoritatis Eccleſiæ, Sedis Apoſtolicæ, & legum Imperialium rationem haberent, nec tot ſæculis probatos æque ac receptos fidei noſtræ articulos per infauſtam hanc diſputationem in dubium revocarent. Maxime vero reprobavit methodum judicandi in hoc colloquio, eoquod rejecta omni traditione, ac Doctorum Eccleſiæ expoſitione, ſoli textus Sacræ Paginæ tam novi*

novi quam veteris Teſtamenti inter partes diſcernere ac judicare deberent. Quando-quidem, inquit Cochlæus, *ipſa Sacra Scriptura ſecundum ſe ſit res inanimata, quæ eloqui non poſſit, nec judicare, utra partium ipſam rectius intelligat, aut exponat, neque clamare poſſit contra eos, qui ei vim faciunt, aut retortam velut per capillos in devium ſenſum trahunt. Lex autem divina,* proſequitur idem Doctor, *nequaquam ſtatuit talem diſquirendi modum, ſed juſſit, ſi quid ambiguum fuerit, ut illud proponatur ſummo Sacerdoti, qui pro tempore fuerit, ut ejus ſtetur judicio, & qui acquieſcere illi noluerit, morte moriatur* (*).

Sæc. XVI. A. C. 1528.

§. LXXXIV.

Initia diſputationis Bernenſis.

Verum Bernenſes non modo Cochlæi, ſed & ceterarum Helvetiæ Tribuum monita flocci habebant, ſuamque diſputationem præſtituta die ſeptima Januarii hoc anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo octavo inchoabant. Protrahebant ſuas altercationes ab hac die usque ad vigeſimam ſextam ejusdem Menſis

(*) *En! qualiter ex Dei præſcripto Deutr. 17. hæretici contumaces plectendi ſint. Qua ratione ergo S. Inquiſitionis tribunal ſugillari poterit?*

Sæc. XVI. A.C. 1528.

Menſis: convenerant quoque turmatim Baſileenſium, Scaphuſienſium, Tigurinorum, & Abbatiscellenſium Deputati. Aderant etiam S. Galli, Mulhuſii, & Griſonum Legati. Suos pariter Oratores ablegabant urbes Imperiales, Argentina, Ulma, Auguſta, Lindavia, Conſtantia, & Gena: Epiſcoporum tamen nullus nec per ſe, nec per Oratores ſuos huic conventiculo intereſſe voluit. Solus Conradus Tregarius Ordinis S. Auguſtini Alumnus pro tuenda fide accesſerat; turpe enim exiſtimabat, ſi Catholicorum nullus in hoc conſeſſu compareret; aſt ille, quamvis natione Helvetus proin eorum popularis, indigno prorſus modo receptus, ſecedere compellebatur. Cum vero hæretici numero, ac potentia longe majores eſſent, facili negotio diſputantium ſuffragia ad ſectæ ſuæ deciſionem inclinabant. Primi Bernenſes Theologi diſputationi initium fecere. Hi erant Franciſcus Kolbus, & Bertholdus Hallerus. Inter ceteros vero præprimis Zwinglius, Oecolompadius, Bucerus, Capito, Blaurerus, pluresque alii *Sacramentarii* ſuo quoque ſuffragio ea firmabant, quæ ab aliis fuere prolata. Verſabatur totius diſputationis cardo circa articulum de Euchariſtia, cujus Orthodoxam Catholicorum Doctrinam cum Conradus Trega-

Sleid. l. cit. Cochl. ut ſupra. Melchior Adam in vita Halleri.

Tregarius tueri vellet, quantocius silere jubebatur; caussabantur enim, illum aliis rationibus, quam ex S. Codice petitis uti voluisse, mox tamen accersebant Andream Althamerum, qui nomine Catholicorum æque ac Lutheranorum præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia propugnabat, hancque in rem libros edebat. Sæcul. XVI. A.C. 1528.

§. LXXXV.

Approbatio decem articulorum.

Zwinglius prolixum valde sermonem de cœna habuit, quo suam opinionem explicare, ac stabilire conabatur; ast nondum plene in eandem sententiam itum erat ab omnibus congregatis, ut ingenue fatetur Bucerus. Nihilominus decem approbarunt articulos, quapropter Bernensis Magistratus aliæque urbes edicto prohibuerunt, ne deinceps subditi eorum Episcopis obedirent; deinde Missæ Sacrificium, preces pro defunctis, Statum Monasticum, aliosque usus atque Ecclesiæ Catholicæ ritus per totam eorum ditionem abrogarunt. Sequebantur Bernensium exemplum Constantienses, qui jam antea magna ex parte novi Evangelii dogmata approbare cæperant, nunc vero itidem imagines & altaria demoliti sunt, necnon *Sleidan. l. c. p. 184. Cochl. p. 190.*

Sæcul. XVI. A C 1528

necnon Missæ cæremonias aboleverunt, instigante Ambrosio Blaurer, qui ex Abbatia Alberspacensi prope Wittembergam Religionis suæ desertor Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio Lutheri libris seducebatur, suumque monasterium relinquens, aliquamdiu apud quosdam sibi sanguine junctos diversabatur. Cum autem cœnobii sui Abbas illum vehementer urgeret, ut ad suum reverteretur monasterium, ille se rediturum spopondit, sub iis tamen conditionibus, quæ eidem concedi haud poterant; quapropter a fide vera defecit, ac Constantiæ, quo se receperat, Lutheri errores sermonibus suis divulgavit, inde vero Bernam delatus disputationi unacum Zwinglio & aliis interfuit. Hunc fidei desertorem Calvinus in suis epistolis valde amplis celebrat encomiis.

Crusius in annal. Suev. Melch. Adam in vit. Ger. Theol.

§. LXXXVI.

Nova reformatio a Bernensibus adoptata.

Bernenses, ut perpetuam abjuratæ Christi Fidei memoriam posteris relinquerent, diem & annum, quo in suo Pago sacra ejurarunt, cuidam columnæ aureis literis studiose insculpebant, eodemque tempore nuncium mittebant fœderi,

Cochl. de act. & script. Luth ann. 1528. p. 190. Raynald. hoc an. n. 19. & 21

fœderi, quod olim cum Galliarum Rege inibant; merito enim seſe indignos reputabant, ut a vera Chriſti ſide deficientes ſub Regis Chriſtianiſſimi vexillis militarent, ejusque juſſa acciperent. Ceterum approbatis decem hiſce articulis, novam, ut obſervat Cochlæus, inſtituerunt reformationem, in qua præceperunt. *I. Acceptarentur decem illi articuli. II. Subditi ipſorum nulli ex quatuor Epiſcopis obediant in cauſſis Eccleſiaſticis, veluti in rebus Matrimonia concernentibus, excommunicationibus, & abſolutionibus, vel in receptione S. Chriſmatis, oblationibus, & decimis. III. Abſolverunt a juramentis Epiſcopo præſtitis Decanos, Paſtores, Prædicatores, & quoslibet Eccleſiæ Miniſtros. IV. Præceperunt omnibus ſubditis ſuis, ut Miſſas, & Altaria in Eccleſiis penitus abolerent, imagines quoque per totum eorum territorium demolirentur, prout jam antea factum eſſet in urbe ipſa. Deinde abrogarent exequias, defunctorum anniverſaria, & ſuffragia, dedicationes templorum, habitus Monachorum & Monialium, uſum ſacrarum veſtium, dies jejuniorum, & feſta Sanctorum. V. Permiſerunt Sacerdotibus uxores, novas nuptas Monachis, ſacrilegos maritos Monialibus. Denique, ut fidei ſuæ incertudinem*, inquit Cochlæus, *ac conſcientiæ palpitationem, metumque proderent, declararunt, ſeſe, ubi meliora docti fuerint,* Sæcul. XVI. A.C. 1528.

ea

Sæcul. XVI. A. C. 1528

ea libenter amplexuros esse, eamque novam Reformationem suam velle vel augere, vel minuere.

Scripsere adversus novum hoc reformationis genus ipse Cochlæus: Eckius vero calamum strinxit contra Bernensem hanc disputationem, qui etiam præter decem illos articulos adhuc alios viginti quinque errores, quos Bernenses in hoc colloquio receperunt, commemorat præter decem articulos, qui sibimetipsis adversantur, necnon quindecim S. Scripturæ textus, quos inter disputandum adulterarunt. Cochlæus vero articulatim cuncta novæ reformationis capita confutat, ac prolixius discurrit contra nuptias Monachorum, & Monialium.

§. LXXXVII.

Lutheri scripta adversus Zwinglium, & Anabaptistas.

Cochl. l. cit. p. 192.

Cum Zwinglii & Oecolampadii factio indies numero crescceret, magnosque in Helvetia progressus faceret, Lutherus rem edoctus hoc anno adversus ambos hosce Hæresiarchas librum conscripsit, cui titulus: *De Cœna Christi confessio Lutheri.* In eo opinionem suam circa multos fidei articulos declarat, suosque æmulos vocat Sathanæ mancipia.

pia. Verum hi Luthero vicem repen- Sæcul. XVI.
dere haud cunctabantur. Ceterum Lu- A.C. 1528
therus in prima libri sui parte fidei suæ confessionem profert, quam pro suprema suæ mentis sententia tam in vita quam post mortem haberi jubet. Ibidem omnino negat liberum arbitrium, atque inquit: *Rejicio simul ac damno, quod vigiliæ, Missæ ac anniversarii dies pro defunctis sint utiles, atque affirmo, illos esse Diaboli nundinas. Nego, quod sancti sint invocandi, quod extrema unctio, Matrimonium, & Ordo Sacerdotalis Sacramenta sint.* Denique in hæc verba prorumpit: *Quamvis magnus, gravis, turpisque peccator fuerim, atque juventam meam damnabiliter consumpserim, ea tamen sunt maxima peccata mea, quod tam sanctus Monachus fui, & tot Missis ultra quindecim annos Dominum meum offendi.*

Edidit insuper Lutherus alium librum Germanice scriptum *de communione sub utraque specie,* quem itidem confutavit Cochlæus.

Paulo ante idem hæresiarcha pariter Germano sermone concinnavit li- *Cochl. ibid. p. 178.*
brum contra Anabaptistas; eorum enim quamplurimi Luthero objectabant, quod ipse harum omnium diversarum Sectarum auctor esset, licet infelices hosce tam atrociter puniri quereretur, *quibus tamen* (ut ajebant illi) *satis pœnarum fo-*

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

ret, esse in inferno æternaliter. Id tamen primis in hoc Lutheri libro notatu dignum occurrit, quod cum primam discutiat Anabaptistarum propositionem, qua Baptismum parvulorum ex eo rejiciunt, quia cum Ecclesia Catholica nihil commune habent, mox Lutherus ex eadem ratione probet, quod Sacrum etiam Codicem, pluraque alia præclara mysteria rejicere deberent; eodemque loco Lutherus præter morem suum Romanam Ecclesiam, ac supremum Pontificatum extollat, *Nos fatemur*, inquit *sub Papatu esse bona Christiana, nec omnia rejici deberet propter odium Papæ, imo omnia bona Christiana, atque etiam inde ad nos defluxerunt: Nempe confitemur in Papatu veram esse Scripturam sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum Altaris, veras claves ad remittenda peccata, verum prædicandi officium, verum Catechismum, veluti orationem Dominicam, ac decem præcepta, & articulos fidei.* Adeo nempe sibimetipsi Lutherus in libris suis contradicebat. In reliqua autem libri parte totus in eo erat, ut Anabaptistas confutaret, quamvis ceteroquin eos quoque a culpa excusare niteretur.

Ulemb. in vit. Luth. c. 19.
Raynald. hoc ann. n. 28.

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI. A. C. 1528.

§. LXXXVIII.

Anabaptiſtarum ſupplicium.

Interim Anabaptiſtæ in Helvetia indies numero invaleſcebant. Cum vero eos in ſua ſecta magis magisque obfirmatos cerneret Magiſtratus Tigurinus, ſeverum oppido edictum contra eos promulgavit, atque ex illis plurimos carcere, minusque reos exilio, ſeditionis vero auctores mortis ſupplicio mulctavit; quocirca ceteri ad Groningenſem Toparchiam confugere compellebantur, inde vero per plura Helvetiæ loca ſeſe diffundentes omnia ſus deque vertebant. Præcipui horum tumultuum Auctores erant Georgius Blaurok, Conradus Grebelius, & Felix Manzius. Horum primus, cum inquieti ingenii vir eſſet, atque ad Münzeri exemplum ſibi per Principum everſionem chimæricum Regnum polliceretur, eo impietatis prolapſus eſt, ut ſibimetipſi attribueret ea omnia, quæ Chriſtus Dominus de ſe ipſo in S. Literis edixerat, atque ideo ſe Dei panem, ac Baptiſmi reſtauratorem appellitabat. Grebelius itidem, & Manzius contra Magiſtratus, & Principatus declamabant, hosque aboleri petebant; inſuper eis tributa pendere prohibentes, cuncta omnibus communia fieri con-

Meshov. hiſt. Anab. l. 3. Raynald. ad ann. 1528. n. 76.

Sæc. XVI. A.C. 1528.

tendebant. Abundabant Basileensis, Scaphusiana, & S. Galli Tribus, plaraque alia loca ejusmodi fæcis hominibus; qui ubique Baptismum iterabant, populumque adversus Magistratus ad seditionem commovebant, quin Principes ulla legum severitate eorum petulantiam cohibere possent.

Ulemberg. l. cit. c. 18. Joan. Faber lib. contra Casp. Schwenkfeld.

Hos inter Balthasar Hubmeyerus Waldustæ natus, cujus alibi meminimus, Tiguro pulsus in Moraviam secesserat, ubi errore suo Jacobum Hutterum infecit, tandem vero captus, Viennæ in Austria Anno priore rogi supplicio affectus est. Manzius vero ejus Discipulus itidem jussu Tigurini Magistratus comprehensus, eodem anno aquis submersus obiit. Blaurokius virgis cæsus ex Tigurino Pago relegatus fuit, demum vero in Tyroli infausta morte periit. Casparus denique Schwenkfeldius Nobilis Silesita Anabaptistarum societati sese adjunxit, novosque errores prioribus superaddidit; quippe non modo parvulorum Baptismum damnavit, sed etiam a Christo Domino naturam humanam excluſit, Magistratuum auctoritatem rejecit, Sacram Scripturam nonnisi mortuam literam appellavit, privatis vero potius contemplationibus, & visionibus credendum docuit. Composuit pro tuenda Lutheri doctrina librum, quem

quem Wratislavienſi Epiſcopo nuncupavit, poſtmodum vero novam confiavit ſectam, hoc autem anno patria ſua expulſus fuit. Sub idem tempus David Georgius, qui in Belgio hæreſin ſuam propagavit, Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo octavo Delphiis virgis mulctatus, demum vero lingua ejus perforata, ſexennali exilio puniebatur. Prædicabat etiam in ſuperiori Germania Anabaptiſtarum doctrinam Melchior Hoffman, ſed brevi Argentinæ in vincula conjectus hæſit. JacobusKautz eosdem errores Wormatiæ ſpargebat, inde vero ab Electore Palatino ejiciebatur. Denique Helvetia, Germania & Belgium ejusmodi fanaticis hominibus ubique replebatur, qui omnes a nemine miſſi, nulla ſcientia tincti, quicquid inſana eis Phantaſia dictitabat, effutiebant, ubique ſeditiones commovebant, ac millenis ſacrilegiis, & abominandis ſceleribus ſacra quæque fœdabant. Sæcul. XVI. A.C. 1528.

In Gallias quoque hoc anno Lutheri hæreſis manifeſtius irrepere cæpit; quapropter Borbonius Cardinalis nomine totius Cleri in quodam Pariſienſi conventu ad finem prioris anni habito Franciſcum Regem ſmpenſe rogabat, ut pro munere ſuo tanquam Rex Chriſtianiſſimus malo adeo ingenti congruum

Sæc XVI. A.C. 1528.

opponeret remedium. Jusserat itaque Rex promulgari edicta longe severissima contra eos, qui novos errores disseminasse, ac diversas a sana fide opiniones tenere convincerentur. Jam anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo primo Lutherus, & Zwinglius celeberrimos, quos habebant, discipulos suos in Franciam emittebant. Convenerant postea utriusque hæresis Sectatores Argentinæ in æde Martini Buceri, qui tum dubius hærebat, imo longo post tempore fluctuabat, utrum Lutheri vel Zwinglii sectæ nomen daret; unde Buceri assecłæ sese nominabant Luthero-Zwinglianos, ne varietate dogmatum factionis suæ unitatem destruerent. Inde factum, ut Parisiensis Universitas brevi exteris repleretur, qui in Nobilium amicitiam sese insinuantes, sacri Codicis libros pro suo arbitrio interpretabantur, eorumque explicationes Græco, ac Hebraico textui consonas esse mentiebantur.

§. LXXXIX.

Provinciale Concilium Senonense Parisiis celebratum.

Labb. Coll. Conc tom. 14 p. 432.

Hæresis latius in Francia propagatæ periculum tandem Cardinalis de Prato Senonensis Archiepiscopi fervorem,

rem, ac fidei ſtudium excitabat. Is tum Franciæ Cancellarius plus ceteris apud Franciſci Regis Senatum gratia, & favore pollebat; unde totam Regiæ auctoritatis amplitudinem impendendam cenſebat, ut recens hæreticorum progenies in ſuo ortu ſupprimeretur. Cum igitur eo tempore Senonenſem Archiepiſcopatum regeret, ac Pariſienſis Epiſcopus tum nonniſi ejusdem Suffraganeus eſſet, Lutetiæ Pariſiorum in Eccleſia FF. Eremitarum S. Auguſtini Provinciæ ſuæ Concilium congregavit. Convenerant præter Generalem Vicarium (*) ſex Epiſcopi ejus Suffraganei, nimirum Carnutenſis, Meldenſis, Pariſinus, Aurelianenſis, Nivernenſis, & Trecenſis. Agebat hæc Synodus præprimis de duobus articulis, nimirum de damnatione errorum Lutheri, ac de reformatione Eccleſiæ in rebus, quæ diſciplinam & mores ſpectant. Dabatur huic Concilio initium Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo, ſeu octava ante Paſcha die tertia Februarii, eodem autem anno die nona Octobris illud abſolvebatur. Eminuit inter ceteros in hac Synodo tam profundæ eruditionis laude, quam tuendæ

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

(*) Is erat Petrus de l'Etoille, ſeu Stella Generalis Vicarius Epiſcopi Aurelianenſis.

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

disciplinæ ac conservandæ fidei studio celebris Jodocus Clicthovæus Novoportuensis in Flandria natus, Parisiensis Facultatis Theologicæ Doctor.

§. XC.

Epistola Synodalis hujus Concilii.

Item Archiepiscopus Senonensis nomine ac consensu hujus Concilii scripsit epistolam, in qua præprimis ita pronuntiat: *Ecclesia universa errare non potest, utpote quæ regitur Spiritu veritatis; hinc excommunicamus, & anathematizamus omnem hæresim. Universos insuper, qui aliter quam Romana credit, & prædicat Ecclesia, & credere pertinaciter attentant, a communione fidelium separatos declaramus.*

Postea recenset Hæreticorum errores de Sacramentis, ac prosequitur hunc in modum: *Affirmant laicos & mulierculas æque atque Presbyteros posse absolvere; permittunt laicis sicut Sacerdotibus Eucharistiæ consecrationem. In Clericis in Sacris Ordinibus constitutis cælibatum non admittunt. Monachis aliisque voto adstrictis libertatem lasciviendi indulgent. Romanorum Pontificum decreta, decretales epistolas, etiam & Canones conciliares enervare contendunt. Sacram Scripturam relicto sensu Patrum Orthodoxorum vellicare, & ad suum sensum reprobum contorquere nituntur.* Has

ob

ob rationes prosequitur Archiepiscopus, Sæcul XVI.
Veriti, ne hoc venesicum virus in nobis cre- A.C.1528.
dito Domini agro radices ageret, antiquos Canones ex potestate nobis concessa renovamus, ac juxta sacrum Lateranense Concilium excommunicamus omnem hæresim, extollentem se adversus Orthodoxam, & Catholicam Ecclesiam. Universos insuper, qui aliter quam Romana Ecclesia credunt, eos a communione fidelium separatos decernimus. Si autem ad unionem Fidei Catholicæ redire noluerint, perpetuo carceri deputentur ad agendam pœnitentiam in pane doloris, & tristitiæ. Damnati vero de hæresi, si laici sunt, statim judicio sæculari relinquantur; si Clerici, a suis Ordinibus degradentur, ut eos sæcularis Judex ad suum forum recipiat.

Ceterum, quia Episcoporum numerus ad degradationem per sacros Canones requisitus non facile potest adunari, concedimus, ut cum Sacerdos fuerit exauctorandus, possit accersitis Abbatibus aliisque Prælatis solus Episcopus illum degradare. Qui vero in hæresim semel abjuratam reciderint, sæculari judicio sine ulla audientia relinquantur. Declaramus eos, qui in judicio hæresin abjurarunt, & post in eandem vel aliam relabuntur, vel hæreticos acceptant, vel eis favent, licet prius hæresis crimen non plene contra ipsos probatum fuisset, velut relapsos haberi. Cum tamen Ecclesia redeunti non claudat gremi-

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

um, si pœnitentiæ signa apparuerint, pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta ipsis relapsis non sunt deneganda. Hæreticorum bona si laici sint, fisco sæculari, si vero Clerici, applicentur Ecclesiis, a quibus stipendia receperunt. Confiscationis autem executio non fiat per judicem sæcularem, nisi prius a Judice Ecclesiastico super crimine sententia fuerit pronunciata. Præcipimus etiam, ut congregationes hæreticorum occultæ prohibeantur, ac ne quis Lutheri libellos legat, vel circumferat. Ordinamus insuper, quod Suffraganei nostri sub pœnis a jure statutis exigant Sacramentum de prodendis hæreticis, ac conventicula illicita facientibus; ac præcipimus, ut Rectores civitatum fideliter & efficaciter Ecclesiam in negotio hæresis pro viribus adjuvent, atque ut Suffraganei hoc nostrum tam salutare, tamque pro conditione temporum necessarium statutum suis statutis synodalibus adjiciant, ac in prima eorum Synodo faciant publicari.

Cap. super eo de hæret. in 6.

Cap excommunicamus 1. §. Quia vero. & §. moneantur *de hæreticis.*

§. XCI.

Particulare hujus Synodi decretum de fide Ecclesiæ, ejusque infallibilitate.

Condidit hæc Synodus sexdecim Decreta de fide, ex quibus primum concernit unitatem, & infallibilitatem Ecclesiæ. Hac in re declarat, quod *Ecclesia sit Christo desponsata in fide, proin ab ea*

Sæcul. XVI. C A. 1528.

ea per infidelitatem, aut ullum circa mores errorem nunquam divelli possit; ea quippe columna est, & firmamentum veritatis bene fundata supra firmam petram; in quam licet descendant pluviæ, irruant venti, inundent flumina, everti tamen non poterit, neque portæ inferi prævalebunt adversus eam. Ea est Tabernaculum Dei cum hominibus, extra quam nemo salvus esse potest, una igitur sancta est, & infallibilis Ecclesia, quæ nec a charitate decidere, nec ab orthodoxa fide deviare valet, cujus auctoritatem, quî in fide & moribus secutus non fuerit, infideli deterior habetur.

De visibilitate Ecclesiæ.

Alterum Decretum manifestæ impietatis convincit eos, qui unitatem & Sanctitatem Ecclesiæ inficiantur, postea illam esse visibilem demonstrat contra Lutheranos, qui eam *invisibilem, totamque spiritualem, ac proin nobis incognitam* confingunt. *Nam quis*, prosequitur Synodus, *futurus contentionis modus, ubi provocatur ad Judicem, qui nec inveniri nec internosci posset. Atqui, inquit Christus:* Si te corripientem frater tuus non audierit, dic Ecclesiæ. *Quid autem crassius, aut quid inutilius fingi poterit, si prorsus occulta sit, & imperveſtigabilis Ecclesia. Quisquis igitur invisibilem, incertisque sedibus errantem*

Sæcul. XVI. A C. 1528

rantem Ecclesiam dixerit, non modo hæresin dixisse, sed hæresum omnium puteus fuisse judicetur.

De Auctoritate S. Conciliorum.

Tertium Decretum declarat: *Absurdum videri, si tanto studio Deus veteri Synagogæ adfuit, ut si quid in lege difficile vel ambiguum occurreret, quod citra controversiam a judicibus absolvi non posset, designato tamen cœtu non careret, cujus arbitrio res tota finiretur, Ecclesiam tamen longe Synagoga potiorem ita necessariis destituat auxiliis, & prorsus non habeat, cui suborta de fide quæstione tuto satis inniti possit. Proinde cum certa sit, & infallibilis Ecclesiæ regula, ea profecto sacris generalibus Conciliis auctoritas derogari non potest, quæ proxime universalem repræsentant Ecclesiam. His igitur ea decernendi, quæ ad sinceritatem fidei, extirpationem hæresum, Ecclesiæ reformationem, & morum integritatem pertinent, potestas adimi nequit. Sancta itaque & inviolabilis est Conciliorum universalium auctoritas, cui quisquis pertinacius refragatur, hostis fidei jure optimo censeri debet.*

De Libris Canonicis.

In quarto Decreto ita statuitur: *Cum non humana voluntate allata sit Prophetia,*

tia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sint sancti Dei homines, omnis Scriptura divinitus inspirata utilis sit ad docendum, arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum. Ast nihil minus mutilum, & prorsus invalidum esset argumentum ex Scripturis sumptum, si pro cujusvis arbitrio, quod adductum fuerit, sacrum aut profanum, canonicum aut apocryphum habeatur. Obortis igitur de fide dissidiis frustra sæpe Scriptura consulitur, nisi Ecclesiæ certa & infallibilis litem dirimat auctoritas, quæ Canonicum librum ab apocrypho, Catholicum sensum ab hæretico discernat. In enumerandis itaque Canonicæ Scripturæ libris, qui præscriptum Ecclesiæ usum & auctoritatem non sequitur, sacrum Carthaginense Concilium tertium, Innocentii, & Gelasii decreta, & denique definitum a S. Patribus librorum Catalogum respuit, aut in exponendis Scripturis proprii Spiritus judicium sequitur, is veluti schismaticus ac hæreticus reprimatur.

Sæcul. XVI. A C. 1528.

De Traditione.

Quintum Decretum concernit Traditiones, earumque necessitatem, atque auctoritatem confirmat, eoquod S. Paulus eas non tantum traditiones jubet a Thessalonicensibus observari, quas per Epistolam, sed etiam quas per omnem sermonem didicissent. Neque prætermisisse putandus est cetera,

2. Epist. 2. ad Thess. c. 2. v. 15. 1. Cor. c. 11. v. 34.

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

cetera, quæ circa Eucharistiæ Sacramentum Corinthiis sese dispositurum, cum venisset, ultro spoponderat, quorum plurima licet a Christo forte non sint instituta, id tamen ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderint, veluti quod ipse Christus tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit. Oportet igitur nos auctoritati Patrum, consuetudinique Majorum per tantam annorum seriem protelatæ, etiam non percepta ratione credere, eamque ut antiquitus tradita est, jugi observantia ac reverentia custodire. Quam si quis eo prætextu pertinacius rejiciat, quod non legatur in Scripturis sacris, ut Hæreticus, & Schismaticus habeatur.

De Constitutionibus, & consuetudinibus Ecclesiasticis.

Sextum Decretum loquitur de Constitutionibus, & consuetudinibus Ecclesiæ, quas cum debita submissione recipi vult, *eoquod a summis Pontificibus, & sacrosanctis Conciliis statutæ sint, quæ, qui spernit, Christum spernit; atque ideo D. Paulus hominem contentiosum, qui legem illam de velandis mulieribus non probavit, quod ea forte non inniteretur Scripturæ, Ecclesiastica consuetudine refellendum censuit.*

1. *Cor.* c. 11. v. 16. Si quis autem, *inquit Apostolus*, videtur contentiosus esse, nos talem consuetudi-

tudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. *Oportet itaque Præpositis obedire, qui pervigilant quasi rationem pro animabus nostris reddituri, & si quid instituerint, quamvis hujus rei certum de Scripturis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam hac in re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ placet Ecclesiæ, quam ipsa Scripturarum commendat auctoritas.*

Sæcul. XVI. A.C. 1528

De jejunio, & abstinentia.

Septimo Decreto anathemate percelluntur illi, qui quadragesimale jejunium, aliasque abstinentias ab *Ecclesia præscriptas non observant, cum nihil aptius retundendæ carnis petulantiæ potuerit institui, eoquod id genus dæmoniorum, (ut ad Spiritum dictum Christi referamur) jejunio tamen & oratione pellatur. Si quis igitur Aerianorum errorem mille abhinc annis damnatum, & a Joviniano, Vigilantio, Waldensibus, Wiclefistis, Hussitis, ac novissimis istis diebus a Luthero, & sequacibus suscitatum secutus quadragesimale jejunium, & cetera Ecclesiastica jejunia, vel præscriptas a Patribus abstinentias non observaverit, sacrorum Conciliorum auctoritate anathema sit.*

De

Sæcul. XVI. A. C 1528.

De Cœlibatu Presbyterorum.

De Cœlibatu Sacerdotum Decretum octavum tractat, ac declarat, quod *Sacerdotio Christi, utpote sublimiori & excellentiori superinductas aliquando fuisse de jure nuptias, exemplo careat, & tanquam ab Apostolis interdictum secundo Carthaginensi Concilio prohibeatur. Neque enim potuit quicquam illo sanctius institui, quo Ministri sacris Altaribus puriores accedant, & jugi pene Sacramentorum administrationi reddantur aptiores. Quisquis igitur Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos lege cœlibatus non teneri docuerit, aut liberas illis concesserit nuptias, inter Hæreticos numeretur.*

De Votis Monasticis.

Nonum Decretum concernit vota perpetua, & in his potissimum monastica, quæ nullatenus libertati Christianæ adversari ostendit: *Nulla enim major datur libertas, quam cum repressa carnis tyrannide corpus in obsequium Christi traditur, nec tam concupiscentia ducimur, quam Spiritu; ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas.* Inde ergo concludit Decretum, ejusmodi vota omnino obstringere. *Si quis vero secus fecerit, aut hæretica pravitate corruptus secus facere licitum esse docuerit, is velut juris tum divini tum naturalis infra-*

infractor ſacroſanctis Conciliis injurius con digna per ſuos Superiores animadverſione plectatur. Sæcul. XVI. A. C. 1528.

De Sacramentis.

Decretum nonum de argumento agens damnat eos, qui eorum numerum diminuunt, aut illa gratiam conferendi virtutem non habere affirmant. Poſtea ad ſingula deſcendens de Baptiſmo inquit, *per hoc lavacrum regenerationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum, juſtificati gratia ipſius, hæredes ſumus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* De Sacramento Ordinis docet, quod Chriſtus quosdam Sacerdotes & Miniſtros Chriſti conſtituat, proin & cum impoſitione manuum gratiam conferat. De Sacramento Evchariſtiæ inquit, quod realiter verum corpus, & verum Chriſti ſanguinem contineat, illisque, qui hoc Sacramentum digne recipiunt, vitam æternam procuret. De Confirmatione ait: *Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, ut poſt Baptiſma hoc Sacramento confirmemur ad pugnam, eoque roboremur: cujus conferendi poteſtas Epiſcopis a Chriſto conceſſa, donum Dei eſt.* Pœnitentiæ Sacramentum neceſſarium eſſe declarat illis, qui poſt Baptiſmum peccarunt: *Illa eſt ſecunda*

Sæcul. XVI A.C 1528.

post naufragium tabula, quæ salutem operatur, neque enim cor contritum & humiliatum despicit Deus. Confessio autem nec humanum nec recens inventum esse potest, quam Christus Dominus instituit, & præcepit, ac tot tantisque fulcitur Scripturarum oraculis, & per Apostolos ad nos usque deducta, atque ab universali Ecclesia inviolabiliter observata fuit, unde a cunctis Christi fidelibus sectanda. Unctionis vero extremæ Sacramentum Christus apud S. Marcum cap. 6. insinuavit, & S. Jacobus clarius Christi præceptum indicavit: *Unde liquido constat, illam etiam ceterorum Sacramentorum instar remissionem peccatorum operari.* Denique *Matrimonium verum est Sacramentum, per quod conjuges benedictionem cælestem consequuntur. Qui id negat, inter hæreticos habeatur.*

De Sacrificio Missæ.

Undecimum Decretum loquitur de Sacrificio Missæ, *quod summopere nobis necessarium, tantisque Scripturæ testimoniis roboratum est. Nam Christus accepto pane gratias egit, & fregit, deditque discipulis suis dicens, hoc est Corpus meum, quod pro nobis datur, & ab Evangelicis Sacerdotibus jugi semper observantia præcipit fieri in suam commemorationem. Hoc enim holo-*

cau-

cauſtum, hæc victima pro peccato, hæc ho- Sæcul XVI.
ſtia pacifica, hoc juge Sacrificium, hæc mun- A. C. 1528.
da oblatio eſt, quam in omni loco Malachias prædixit offerendam, repudiatis legis antiquæ Ceremoniis. Qui contrarium ſenſiſſe præſumpſerit, manifeſtam hæreſeos labem incurrit.

De ſatisfactione, purgatorio, & precibus pro defunctis.

Duodecimo Decreto confutatur Lutherus, *qui ſimul cum culpa ſemper omnem cujusvis pœnæ temporalis reatum aboleri contendit, purgatorium tollit, & quo laicos gravius in Clericorum odium exaſperet, ſacrificia, oblationes, omnesque pro defunctis orationes recens eſſe Sacerdotum commentum impudenter aſſeverat.* Decernit igitur Synodus, *culpa per pœnitentiam abolita, frequenter ſupereſſe temporalis pœnæ reatum, velut quasdam peccati reliquias, quæ per dignos pœnitentiæ fructus veniant expiandæ. Sancta igitur & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis ſolvantur, quisquis itaque Catharorum, Armeniorum, Wicleſi, Bohemorum, Lutheri, aut Waldenſium exemplo hos errores cum ſacro Conſtantienſi Concilio non damnavit, hæreticæ pravitatis pœnas incurrat.*

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

De cultu Sanctorum.

Tertiodecimo ſtabilitur cultus Sanctorum, ac declarat Synodus, *quod Sancti preces noſtras audiant, noſtrisque calamitatibus tangantur, & de noſtra felicitate lætentur*, id vero probat ex libro Tobiæ, per Angelos, qui Abrahamo comparentes pro ſalute Sodomitarum cum eo deprecabantur, necnon ex ipſis Chriſti Domini verbis in Evangelio: *Majus erit gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam &c.*

Neque propterea minus eſt Chriſtus mediator Dei & hominum, ſi juxta Aureliaſ. *Conc. Aurel.* nenſis Concilii inſtitutionem in litaniis ad *c. 23. alias 29.* aliquos *Sanctorum convertamur*, *Chriſto de conſecr.* *tamen accepta ferantur omnia*, *Sancti igi-* *diſt. 3. cap.* *tur noſtris afficiuntur incommodis*, *noſtras-* *Rogationes.* *que audiunt orationes*, *illis ergo cultum exhibere*, *dies feſtos inſcribere*, *eorumque paſſiones in Eccleſia palam legere licet.*

De cultu Imaginum.

Decreto decimo quarto ſtabilitur cultus S. Imaginum, quem nullatenus idolatriam eſſe declarat Synodus, *eoquod nullus Catholicus ſanctam Chriſti venerando Imaginem, aliquod numen illi ſub-*

eſſe

esse putat, aut quasi Deum colit, sed ob recordationem Filii Dei, ut in ejus amore recalescat, cujus imaginem videre desiderat. Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante imaginem prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut passum, aut in throno sedentem recordamur, quique Sanctos ad Sanctitatem reduxit. Accedit alia non inferior utilitas, idoneum scilicet indoctæ plebi rudimentum, ut cum Sancti cujusdam imago sese offert, ea velut archetypo propositæ Sanctitatis imitationem & veram utcunque pietatem rudi quadam introductione simplex populus animetur, & dum ad unius imaginis contuitum se colligit, uno obtutu sibi plura proponat, quam diuturna librorum evolutione comprehenderet.

De libero arbitrio.

Quinto decimo Decreto *ita asseritur liberum arbitrium, ut tamen propterea divina non excludatur gratia;* quod Pelagianorum error esset. Sed juxta sacram Scripturam eo extenditur, ut voluntas humana misericordiæ prævenientis *auxilio suffulta, & interiori quodam & occulto secretioris inspirationis afflatu contecta, sese convertat ad Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gra-*

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

tiam se præparet; quæ tandem accepta sit ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper in promptu sit, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, ut intret in cor, nec denique tale sit trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Frustra enim Stephanus Judæos duræ cervicis argueret, qui semper Spiritui sancto resistèrent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur. Trahit quidem Deus, sed non vi, non unco raptamur. Prædestinat, eligit, vocat, sed eos demum adultos glorificat, qui in fide & charitate radicati per bona opera certam suam vocationem, electionemque fecerint.

De fide & operibus.

Sextum decimum Decretum agit de fide & operibus. *Lutherus enim ita unius fidei patrocinium suscepit, ut solam agnoscat, opera rejiciat, & condemnet. Verum si recte perpendantur, quæ pro fide producuntur ex Scripturis testimonia, reliquæ virtutes non excluduntur, præcipue Charitas, quam D. Paulus multum extollit. Ast Charitas non est otiosa, sed per bona opera sata-*

ſatagit, ut certam vocationem noſtram, electionemque faciat. Non juſtificat igitur ſola fides, ſed magis charitas, nec quævis opera peccata ſunt, ſed eatenus adultis ad ſalutem neceſſaria, ut meriti quoque rationem non reſpuant. Ut denique Synodus hæc Decreta ſolidis initi fundamentis oſtendat, triginta novem errores recenſet, qui illis opponuntur, poſtea vero Principes adhortatur, ut contra hæreticos fidei ſuæ zelum adhibeant, cujus exemplum ut ipſamet illis exhiberet, *omnes in ejus Provincia conſtitutos, qui tam impia dogmata auſu temerario aſſerere, docere, vel ſcribere præſumpſerint, ſententia excommunicationis innodat, necnon & eos, qui illis auxilium, conſilium, aut favorem quovis modo fuerint impertiti. Sub eadem quoque pœna omnibus inhibet, ne Lutheri libros ſive Lutheranorum quorumcunque retinere præſumant, qui ad peſtilentem doctrinam promovendam conſcripti ſunt.*

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

§. XCII.

Decreta hujus Concilii ad mores, & diſciplinam pertinentia.

Eadem Synodus plura adhuc condidit ſtatuta de moribus & diſciplina, quæ quadraginta articulis comprehen-

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

duntur. Primo ſtatuit: *Frequentandas eſſe preces in Eccleſiis pro tranquillo ſtatu totius Eccleſiæ, & Regnorum Orbis Chriſtiani. II. Omnem exactionem pro Sacramentorum, aliarumque rerum divinarum adminiſtratione eſſe ab Eccleſiaſticis ſummopere evitandam. III.* Decernit, *ut Diœceſani ſuos ad aliquem S. Ordinem non prius promoveant, quam viderint literas teſtimoniales Presbyteri Parochialis cum duorum teſtium depoſitione de ſufficientia ætatis promovendi, & de probata ac inculpata illius vita. IV. Nullus ad ſacrum Subdiaconatus ordinem aſſumatur, niſi ſub titulo beneficii, vel patrimonii ſaltem viginti librarum Pariſienſium; hic tamen titulus non ſit confictus, nec ordinatus illum alienet ſine permiſſione Epiſcopi ordinantis. V. Suffraganei literas dimiſſorias non concedant petentibus, niſi de ætate, literatura, moribus, & beneficio ſeu patrimonio prius inquiſierint. VI. Si quos invenerint promotos ante ætatem legitimam, ſuffraganei eos ab executione Ordinum ſuſpendant, uſque dum ad legitimam ætatem pervenerint, pariter ſuſpendant, quos non eſſe literaturæ ſufficientis deprehenderint, donec in ſcientia, quæ ordini eſt requiſita, plene fuerint inſtructi. VII. In Curia Romana Ordinatis non permittant executionem ſuorum Ordinum, niſi viſis diligenter eorum literis. VIII. Diœceſium Epiſcopi ad Parochia-*

rochiales Ecclesias non instituant praesentatos, nisi eos prius sedulo examinaverint, & tamdiu in beneficio administrent, donec sic instituti literaturam sufficientem assecuti, aut ætatem legitimam adepti fuerint. IX. Collatores, prætermissis indignis, idoneos assumant, qui vero post correctionem fuerit repertus culpabilis, a beneficiis conferendis suspendatur. X. Assignentur distributiones quotidianæ pro illis, qui in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis divino Officio assistunt. XI. Compellantur Parochi ad personalem residentiam, nisi caussa probabili intercedente dispensentur. Item suo gregi annuntient decem præcepta Decalogi, & articulos fidei. XII. Admoneant Curati suos Parochianos, ut frequenter peccata sua confiteantur, & Eucharistiam percipiant, saltem semel in anno, ac tempore infirmitatis, aut ubi instat periculum mortis, vel per diversa loca peregrinaturi. Hortentur etiam eos, ut intersint Missæ Parochiali in diebus Dominicis, & festis. Si vero per tres dies Dominicos neglexerint interesse, denuncient statim promotoribus, ut puniantur. XIII. Statuitur, ut in singulis Parochialibus Ecclesiis non solum dicatur Missa Parochialis in Dominicis, sed etiam divina Officia secundum primam fundationem celebrentur. Inhibet etiam Synodus, ne Capellæ de novo erigantur,

Sæcul. XVI. A.C.1528.

Sæcul. XVI. A.C.1528.

gantur, aut dirutæ reædificentur sine Episcoporum licentia. *XIV.* Non liceat in Oratoriis privatis Missas celebrare, prætextu dispensationis Sedis Apostolicæ, nisi prius visis ab Episcopo recognitisque dictis literis; nec etiam in diversoriis aut hospitiis erigantur Capellæ, in quibus viatores passim sacrum celebrari faciunt. *XV.* Ne populus distrahatur a Missa Parochiali, prohibetur, ne in Capellis aliæ Missæ celebrentur, quam quæ de fundatione exstiterint, nec illæ dicantur, nisi post Missam Parochialem. Suffraganei autem non facile admittant fundationes Capellarum, nec consecrent Altaria portatilia absque necessitate. *XVI.* Interdicitur omnis actio, quæ minus decet, aut divinum posset perturbare Officium, quapropter cessent conventicula, & profana colloquia, nec Histriones intrent Ecclesiam ad pulsandum instrumenta musicalia, nec deinceps fiat festum fatuorum. *XVII.* In Ecclesiis psalmodia ea gravitate, distinctoque tono cantetur, ut fidelium devotio excitetur; nec Organicis instrumentis resonet in Ecclesiis impudica, aut lasciva melodia. *XVIII.* Laudes divinæ tractim cum pausa decenti reverenter persolventur, cum dicitur Gloria Patri &c. omnes consurgant, & ad Nomen Jesu caput inclinent; nullus quoque cum horæ in communi cantantur, legat

gat privatim officium. XIX. Admonentur Beneficiarii, aliique in S. Ordinibus constituti, ut divinum Officium verbis distinctis cum pausa recitent, quiscunque vero in Ecclesia Divinorum tempore per Ecclesiam deambulant, aut cum aliis colloquuntur, totius diei distributiones amittant. XX. Qui in horis quibuslibet ante Gloria Patri primi Psalmi, & in Missa ante finem Epistolæ non interfuerint, pro illa hora absentes, ac distributionibus privati censeantur. Ubi vero distributiones statutæ non sunt, omnino de grossis fructibus deputentur, & Decani aut Præpositi tunc solum præsentes censeantur, cum actualiter pro utilitate Ecclesiæ absunt. Sæcul. XVI. A.C. 1528.

XXI. Statuitur, ut singuli Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum post eorum receptionem statim percipiant grossos fructus, aliosque suarum præbendarum, nisi ex fundatione prædicti fructus pro certo tempore aliis Ecclesiis deputentur. Damnabilem judicat Synodus consuetudinem esse, qua prædicti fructus ad certum tempus in utilitatem cedunt jam antea receptis. Præterea Episcopi statim post dissolutum Concilium visitabunt Breviaria, Missalia, Antiphonalia, ac Sanctorum Legendas, & quæ deprehenderint in illis non satis convenientia, tollent. XXII. Abbates, Abbatissæ, Priores, Prioriſſæ, sua

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

sua Monasteria in cultu divino, vita, & moribus, & vestimentis reforment, nec Religiosi vel Moniales sine habitu regulari in publicum procedant, Canonici vero Regulares togam lineam ferre teneantur, ne apostasiæ periculo exponantur; super his per Diœcesanos in suis visitationibus diligens fiat inquisitio, & si quid repererint corrigendum omnino corrigant. XXIII. Admonentur Clerici, ne vestimentis sericis foris aut domi utantur, sed modeste incedant, excipientur tamen ex regio vel ducali sanguine orti, quibus ejusmodi vestes deferre permittitur. Ceterum vestitus Clericorum non sit apertus, sed a collo desuper undique clausus. XXIV. Eorum vestes talares nec nimia amplitudine superfluæ, nec plus æquo constrictæ, nec frunciatæ sint, aut partitæ, nec caligis diversi coloris, non lunatis seu cornutis, aut nimis fenestratis calceis utantur, nec etiam pannos rubeos aut virides induant juxta Concilium Lateranense, ac denique absint affectatæ sordes æque ac exquisitæ delitiæ. XXV. In publico non ludant pila aliisque ludis, qui a sorte pendent, maxime cum laicis: non se admisceant choreis, ludis, nec cantantibus lascivas & profanas cantilenas adsint, denique in omnibus honestatem exhibeant. XXVI. Clerici concubinarii juxta sanctorum Conciliorum

liorum Canones puniantur, contra Clericos autem venatores, vel negotiis sæcularibus implicitos ad pœnam Aurelianensis Concilii & Lateranensis procedatur. Sæcul. XVI. A C. 1528.

XXVII. Juxta Viennense Concilium, si Prioratuum proventus nonnisi pro unius Monachi sustentatione sufficiunt, Episcopus loci hunc prioratum viciniori monasterio uniat, ne ejusmodi Religiosus solus permaneat.

XXVIII. In Monasteriis Monialium tot instituantur Religiosæ, quot de Facultatibus Monasterii commode sustentari possunt, nec pro ingressu aut receptione quicquam sub quovis prætextu exigatur. Si quæ tamen ultra eas recipi petat, pensio exigi poterit, qua cum ceteris Religiosis numerariis alatur. Non tamen in locum numerariarum succedat, sed decedentibus numerariis aliæ novæ & pauperes subrogentur. Provideant etiam Episcopi, ut clausura perpetua servetur. *XXIX. Xenodochia, Leprosariæ, aliaque hospitalia visitentur, nec eorum reditus præter fundatorum mentem in alios usus convertantur. XXX. Synodus ita statuit: cum ex multiplicatione Confraternitatum sæpe monapolia oriri contingat, atque in crapulam converti videantur, sub pœna excommunicationis inhibemus, ne aliqui ejusmodi societates erigant sine Episcoporum consensu. Confratres vero, vel Procuratores teneantur Episcopis statuta, si*

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

si quæ habent, afferre, & de quantitate redituum, eorumque usu rationem reddere. Eligantur singulis annis in Parochiis Procuratores, qui juramentum in initio officii suscepti præstare, & de receptis & solutis rationem expleto officio reddere teneantur.

XXXI. Prohibet Concilium, ne de cetero excommunicationes vibrentur, nisi pro gravi causſa, nec decernantur pro injuriis verbalibus, nisi forte atrocioribus: prævia tamen monitione secundum formam juris. XXXII. Diœcesani aut per se, aut Archidiaconos bis in anno saltem Parochias visitent, si fama fuerit Hæreticos ibi habitare, & compellant subditos, ut si quos sciverint, Episcopis indicent, ut puniantur. XXXIII. Synodus inquit: *Quia intelleximus libros nonnullos scriptos lingua vernacula impios & scandalosos circumferri, aliis scholia quædam & additiones marginales depravatas adjici, ut eam, quam pollicentur, libertatem obtrudant simplicibus, eosque fallacibus errorum involucris involvant, & in errorum labyrinthum conjiciant, ideo prohibemus, nec deinceps imprimantur, vel vendantur libri sacri, aut sanctorum Doctorum, qui vel de fide aut moribus tractant, sine permissu Episcopi sub pœna excommunicationis. Volumus autem tam salubre statutum, quo ejusmodi libri legi aut retineri prohibentur, per singulas Parochias ter aut quater*

quater in anno publicari. *XXXIV.* Præ- Sæcul. XVI.
cipitur, *ne ulli Prædicatores, aut Quæ-* A. C. 1528.
stores ad officium prædicationis admittantur a Curatis, nisi ab ipsis Suffraganeis approbati, & ad hoc nominatim missi sint. Seligant vero Episcopi viros ætate maturos, moribus graves, & in S. Literis eruditos, cessent in Concionibus profanarum legum citationes, Poetarum auctoritates, ridiculi histrionicique sermones.

XXXV. Sint Prædicatorum sermones casti, & alliciant auditores ad amplectendas virtutes, non vero populum more scurrarum, dum ridiculas fabulas recitant, ad risus excitent, aut ab obedientia Superiorum retrahant. XXXVI. Mendicantibus non competat amplior potestas in absolvendo quam Curatis pro casibus ordinariis, nisi fors eis Ecclesiarum Prælati uberiorem specialiter ad casus reservatos dederint. XXXVII. Superiores Monasteriorum in Ecclesiis suis loco ad legendum apto chartam præsentatorum confessariorum nomina continentem affigant, quatenus qui volunt confiteri, sciant, quinam sint approbati. XXXVIII. Abbates, qui contendunt sibi competere munus confirmationis, aut calicum consecrationis, de privilegio suo fidem facere teneantur coram Episcopo Diœcesano. XXXIX. Prohibetur, ne in Sponsalibus, aut nuptiali benedi-

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

nedictione fiant risus, vel alia ridicula verba enuntientur. Monentur vero, quatenus Sponsi jejuni, contriti, & confessi accedant, deinceps benedictio nuptialis non fiat, nisi post ortum solis, ac omnes, qui clandestine contrahunt, sententiæ excommunicationis ipso facto subjaceant. XL. Curent Episcopi, ut lascivæ imagines, & veritati Scripturæ non convenientes ab Ecclesiis tollantur, neve posthac ob miraculum de novo factum Capella erigatur, nisi prius loci Episcopus, quid agendum, cognita caussa decreverit.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXXII.

CLEMENS VII. ROM. PONT.
CAROLUS V. IMP. OCC.

§. I.

Concilium Bituricense.

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

Nonnulli Franciæ Episcopi Cardinalis Prati exemplo animati sese Lutheri erroribus opponere haud segniori studio aggrediebantur. Hos inter præcipuus erat Franciscus Turnonius, qui ab Archiepiscopatu Embrodunensi ad Ecclesiam Bituricensem, ac postea ad Cardinalium dignitatem evectus fuit. Hic die vigesima prima Martii hoc anno Domini millesimo quingentesimo vige-

Labb. Coll. Concil. tom. 14. p. 426. & 430.

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

simo octavo Biturigibus tempore jejunii verni Provinciale coegit Concilium, cui ipsus tanquam Metropolitanus præfuit. Convenerant ejusdem Suffraganei, qui erant Claromontanus, Lemovicensis, Podniensis, Tutellensis, & Sanct-Florensis Episcopi, præter Abbates, Monasteriorum Priores, ceterosque, qui ab hujus Provinciæ Capitulis eo ablegati fuere. Præcipuus hujus Synodi scopus eo collimabat, ut depositum fidei Catholicæ illibatum servetur, mores emendentur, & disciplinæ Ecclesiasticæ vigor foveatur. His ita stabilitis, Patrum cura eo intenta erat, ut satisfacerent Francisco Galliarum Regi; hic enim, ut pro duobus filiis suis, Francisco Delphino, & Henrico Aurelianensi Duce, quos Imperator adhucdum Madriti obsides tenebat, redemptionis pretium persolvere posset (*), postulavit, ut ab *omnibus Clericis tam Regularibus, quam sæcularibus quatuor decimæ super fructibus tam exemptorum, quam non exemptorum Beneficiorum, & Ecclesiasticorum Officiorum, & fabricarum in præfata Provincia existentium, omniumque communitatum, atque aliorum Ordinum, etiam sancti Joan-*

(*) *Ecce! ad quosnam usus, ac publicæ necessitatis expensas pie reservata sint Clericorum bona.*

Joannis Hierosolymitani infra biennium persolvantur, nisi necessitas prædictorum Filiorum citius redimendorum aliud exegerit, ita etiam, ut quælibet decima ad rationem decimæ noviſſime ſolutæ aſcendat, & infra Feſtum beati Michaelis proxime venturum earum ſolutio incipiat. Hanc igitur decimarum exactionem Epiſcopi in unum congregati pendere decreverunt, *factis tamen conteſtationibus, quod per hujusmodi conceſſionem Synodus non intendat contravenire libertati, aut immunitati Eccleſiaſticæ, ſed ſolum conſentiat in caſu, & jure promiſſo, videlicet captivorum Regis, & ejus filiorum redemptione.* Sæcul. XVI. A.C. 1528.

§. II.

Decreta hujus Synodi contra Lutheri errores, & pro correctione morum.

His ita conceſſis Synodus viginti tria condidit decreta adverſus Lutheri hæreſin, necnon pro redintegranda morum diſciplina. Igitur ſtatuit I. *Quod damnatum dogma Lutheri, & ſequacium, a ſacroſancta Sede Apoſtolica jam pridem reprobatum, in publicis concionibus locis & temporibus opportunis, prout expediens Ordinariis locorum videbitur, generaliter tantum reprobetur, non declaratis ſigillatim erroribus, niſi locus aliquis fuerit, ad quem* *Labb. Coll. Concil. l. cit.*

Sæcul. XVI. A.C. 1528. *pervenerint damnati aliqui errores, in quo & errore reprobato nominatim ipsius etiam errores reprobentur.*

II. Decernit: *Injungendum esse curatis, & Parochianorum rectoribus, si quos sciant in sua parochia Lutheranis, aut aliis ejusdem Sectæ, & hæreticæ factionis intoxicatos, aut infectos erroribus, si quos maleficos, sortilegos, incantatores, & alias id genus superstitiones observantes, usu herbarum cum superstitiosa observatione, & sacrilego, ac damnato ritu characterum, etiam usu signorum in occultis revelandis per dæmonum invocationem & aliquorum mixtionem verborum abutentes, revelent Episcopo, aut ejus vicario, sub incursu pœnæ arbitrariæ per Ordinarios decernendæ.*

III. Prohibet: *Ne quis Bibliopola libros Lutheri & sequacium hæresi infectos vendat, neve impressores imprimant, neve habentes apud se detineant, sed intra mensem unum Ordinariis locorum aut Vicariis eorumdem exhibeant, neve aliqui emant. Si quis vero hoc præsenti decreto, & ejus promulgatione admoniti contravenerint, venditores, impressores, emptores & detentores carceribus includantur, & alia pœna arbitraria puniantur.*

IV. Inhibet Synodus: *Ne libri Lutheranæ hæresis aut sequacium, aut alii libri, etiam divini, a latino sermone in linguam*

guam vernaculam pridem, & ab annis octo versi non vendantur, emanturve, nisi fuerint ab Ordinariis locorum recogniti sub pœnis contravenientibus infligendis.

Sæcul. XVI. A. C. 1528.

V. Vetat: *Ne quæstores Indulgentias prædicent, nisi prius fidem fecerint de permissione Ordinariorum, deque probatione, & institutione eorum. Quin etiam habeant articulos chirographo secretariorum signatos: ultra quorum contenta, si quædam publicent, subjaceant pœnæ arbitrariæ, tam rectores Ecclesiarum abusus ipsis fieri permittentes, quam quæstores ipsi delinquentes. Prohibetur etiam, ne aliqui incogniti prædicatores, cujuscunque professionis sint, ad prædicationem admittantur, nisi habita potestate Ordinariorum.*

VI. Mandat: *Ut Rectores Ecclesiarum in sacris celebrandis diebus Dominicis prædicent plebi præcepta legis, Evangelium, aliquid Epistolæ illius diei, aut quod confert ad cognitionem peccatorum, & virtutum: tripartitum etiam Gersonis vulgari sermone versum declarent: quod ut commodius fiat, curent breviores esse in aliis, ut puta in precationibus fieri solitis, ac aliis non necessariis.*

VII. Decernit: *Quod statuta Synodalia in linguam Gallicam vertantur, & conciones Synodales fiant in posterum contextu faciliori, & rudiori sermone, & quem maxime*

Sæcul. XVI. A. C. 1528.

ximè capere poterunt auditores: quibus sub pœnis arbitrariis rectores parochiarum & alii Sacerdotes & Clerici in civitate vel oppido existentes, in quo fiet Synodalis concio, intersint.

VIII. Prohibet: *Ne Clerus aut plebs vagetur & deambulet per templa, interea dum res divina peragitur, aut prædicatio sive mandatorum publicatio habetur.*

IX. Definit: *Ut Decretum Concilii Constantiensis super celebratione conciliorum provincialium tertio quoque anno celebrandorum observetur. Fiant etiam visitationes a dominis prælatis singulis annis, & per se, legitimo cessante impedimento, quoniam ad eos pertinet de ovibus curam sollicitam agere.*

X. Decernit: *Ut acerrima indagatio, inquisitio & punitio fiat contra blasphemos, iram Dei, beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum provocantes.*

XI. Præcipit: *Ut ad majorem Dei reverentiam Rectores Ecclesiarum suo populo persuadeant faciendam genuflexionem, tantisper ac quoties audietur signum aliquod elevationis Corporis Christi seu sacrosanctæ Eucharistiæ.*

XII. Agit de confessione, & statuit: *Ne pœnitentes injunctam sibi pœnitentiam a Sacerdote revelent: neve Sacerdotes ipsi revelent pœnitentias etiam injunctas, aut aliquid*

quid in confessione detectum: quod a quibusdam impune fit in contemptum clavium Ecclesiæ: alioquin si contrafecerint, gravi pœna punientur.

XIII. Innovat *statutum Concilii Constantiensis & pragmaticæ sanctionis de residentia canonicorum & aliorum Ecclesiæ Ministrorum in divino cultu, & etiam de psalmodia lente, & cum certa morula facienda.*

XIV. Jubet Synodus: *Quod imposterum emendæ non dentur ad firmam, nec etiam jus sigilli Dominorum Prælatorum.*

XV. Præcipit: *Quod Breviaria, Missalia, Baptisteria, Processionalia, horæ, & ejusmodi libri, quos vocant usus, non mittantur ad Chalcographiam imprimendi, donec ipsi librarii acceperint exemplaria ab Ordinario aut deputato emendata.*

XVI. Statuit, *quod confraternitates non erigantur inconsulto Ordinario, nec fiant sumptus immoderati præcipue conviviorum, compotationum, chorearum, &c. Convertentur potius pecuniæ confratrum in pios usus. Itemque contractus ficti & usurarii prætextu prædictarum confraternitatum non contrahantur.*

XVII. Decernit: *Numerum dierum festorum esse coercendum: sleturque arbitrio Ordinariorum in ipsis festis abrogandis.*

Sæc XVI. A.C 1528.

XVIII. Vetat Synodus: *Ne literarii studii Magistri suis adjutoribus legant Auctores revocantes a divino cultu, Ecclesiæ ceremoniis, & religionibus sive institutis ab ipsa Ecclesia approbatis: sed potius legantur Scriptores ad animi cultum & linguæ splendorem conducentes.*

XIX. Injungit *Parochis ac Curatis, ut sub pœnis arbitrariis visitent suas curas personaliter semel in anno ad minus, maxime in paschate: salvis tamen in omnibus privilegiatorum exemptionibus.*

XX. Decernit: *Quod dimissoriæ non dentur promovendis, nisi debite examinati fuerint ab Ordinario & idonei inventi. Itemque si qui promoti fuerint ad Ordines sacros non habitis dimissoriis, suspendantur a celebratione Missarum per tempus, quod convenire videbitur Ordinario. Et si jam promoti incapaces inveniantur, corporaliter puniantur arbitrio diœcesani. Non concedantur etiam dimissoriæ ad sacros Ordines non beneficiatis, nisi prius fecerint fidem de titulo patrimonii.*

XXI. Inhibet: *Ne dispensetur a Prælatis, cum habentibus curam animarum, ut relictis propriis ovibus, inserviant alienis.*

XXII. Vult *Moniales cohibere ab exitu Monasteriorum suorum, & compelli ab Ordinariis, ut resideant in claustris suis clausis, undique septis, adeo ut aditus non pateat*

teat ad eas sæcularibus. Et per omnia ob- Sæcul. XVI.
serventur, & exsecutioni mandentur con- A.C 1528.
tenta in capitulo Periculoso, *de statu regularium, in sexto.*

XXIII. Denique statuit, *quod Religiosi extra claustra sua vagantes ab Ordinariis cogantur ad rectam redire semitam, & ad suorum institutorum observantiam.*

Hæc decreta in ultima Sessione fuere prælecta, ac Patrum consensu approbata.

§. III.

Decreta Ejusdem Synodi de jurisdictione, & Clericorum exemptione.

Cum Judices profani Jurisdictionem Ecclesiasticam, & Clericorum libertatem graviter læderent, hujus Synodi Patribus haud abs re fore visum est, si sequens decretum conderetur his verbis conceptum: *Labbe l. cit. p. 429.*

Decernit, & ordinat eadem Synodus, ut super turbatione, quam jurisdictio ecclesiastica a sæcularibus judicibus patitur circa obligationes juramento firmatas cum submissione coërcitionis ecclesiasticæ circa personalium actionum cognitionem inter laicos: circa etiam testamentorum quoad pias causas exhibitionem & exsecutionem: circa in-

Sæcul. XVI A.C. 1528.

ventariorum de bonis mobilibus clericorum per notarios officialium confectionem & litterarum tacitis nominibus monitoriarum publicationem: item circa remissiones, quæ a laicis judicibus fiunt cum onere casus privilegiati: ad hæc circa prohibitiones generales necnon & particulares, quæ tam contra arresta, quam contra ordinationes regias passim fiunt: porrigatur supplicatio domino nostro regi, quatenus super his procedere dignetur, ut libertati ecclesiasticæ & subditorum suorum etiam laicorum commoditati consulatur.

His ita statutis Synodus communi suffragio statuit, ut Francisco Galliarum Regi demissime exponatur, quatenus ipsemet præfatis corruptelis remedium opponere, ac Ecclesiasticam libertatem tueri vellet; eoquod exinde in proprios ejusdem subditos præcipue Laicos maximum emolumentum redundaret. Hanc in rem Synodus quinque decreta edidit hujus tenoris:

I. *Inhibet hæc Provincialis Synodus monitoria generalia, seu tacitis nominibus ab ecclesiasticis judicibus decerni, nisi damnum ratione cujus impetratur, sit æstimationis trium solidorum: nec moniti culpabiles pro minori damno excommunicationis sententia innodentur, atque id in monitoriis literis exprimatur.*

II. *Sta-*

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

II. *Statuit etiam, ut in literis contra participantes excommunicatoriis & aggravatoriis concedendis, eximantur uxor & liberi, nec non ſervitores & ancillæ, quæ ante dictarum literarum impetrationem operas ſuas locaverint.*

III. *Prohibet inſuper notariis, ſcribis, procuratoribus & aliis in eccleſiaſticis curiis practicantibus, pro ſalariis, vacationibus, expeditionibus & actis judicialibus contra partes ſeu clientulos ſuos per viam excommunicationis procedere: ſed tantum per viam interdicti ab ingreſſu eccleſiæ eisdem liceat procedere: donec creſcente contumacia cauſſa cognita per judices aliter exiſterit ordinatum.*

IV. *Item, ut animarum ſaluti conſulatur, decernit pro prima contumacia literas excommunicatorias non eſſe concedendas, ſed tantum interdictum ab ingreſſu eccleſiæ: niſi pro diverſitate locorum morumque. Ordinariis aliter obſervandum videbitur.*

V. *Item ut facilius & rectius Metropolitani judices juſtitiam miniſtrare valeant, ſtatuit informationes & inqueſtas a ſuffraganeis ſeu eorum officialibus in lingua latina aut Gallica eſſe faciendas, aut ſaltem tali idiomate, ut absque interprete facile poſſint in Bituricenſi ſede intelligi.*

§. IV.

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

§. IV.

Decretum de reſidentia Parochorum.

Præterea Synodus aliud condidit decretum, quo præcepit, *ut Parochialium Eccleſiarum Rectores, ceterique animarum curam habentes reſideant in ſuis beneficiis; nec eisdem etiam concedendæ literæ de non reſidendo, nec ipſorum vicariis de regendo, niſi cauſſa cognita: Qua expenſa & vicariis idoneis præmiſſo examine compertis, teneantur prædicti curam animarum habentes ſic per ſe vel ſuos vicarios procedere, ut debita hoſpitalitas, & pauperum ſubventio obſerventur.*

§. V.

Aliud decretum de Cæmeteriis.

Poſtremo tandem Synodus quoddam ſtatutum de Cæmeteriis condidit his verbis: *Ne adeo facile polluantur, aut profanentur cæmeteria, ſtatuit, ut proxime quam citius fieri poterit, ſaltem infra triennium claudantur. Et ſi ii, ad quos ſpectat hæc cura, cauſa ceſſante, facere neglexerint Ordinarii arbitrio puniantur.*

Cunctis hiſce decretis ita promulgatis Patres præſcripſerunt decimas, quas Galliarum Rex pro redemptione utrius-

utriusque Regii Filii exigeret, ac denique Synodo finis imponebatur. Sæcul. XVI. A C. 1528.

§. VI.

Seditio in Provincia Ultrajectina ob Lutheri hæresin exorta.

Jam octingentesimus effluxerat annus, ex quo Episcopis Ultrajectinis supremum hujus Provinciæ dominium tam in rebus sacris, quam profanis non interrupta serie assertum erat; evoluto autem hoc tempore in hanc ditionem Lutherana hæresis irrepsit, eamque suo veneno infecit. Nec id quidem magni laboris impendio stetit; cum enim præter eam vix alia daretur regio, magis ad concitandas seditiones proclivis, hinc facili prorsus negotio Hæretici Catholicos numero æquabant, brevique malum insanabile reddebant, eoquod Henricus de Bavaria, qui a sedis Episcopalis institutione ibidem quinquagesimus octavus Præsul erat, hæreticæ doctrinæ progressibus sese ignava prorsus manu opponeret. Vix in eos inquirere cæperat, qui perversa hæc dogmata spargebant, cum illico Lutherani seditionem moverent; quoniam vero contra Episcopi ac Capituli potentiam bellum sustinendo impares essent, in auxilium vocabant Carolum Egmontium Geldriæ

Joa. Beran. Chronic. Episc. Ultraject.
Gazey hist. Eccl. du Pays-bas.

Sæcul XVI. A.C.1528.

Geldriæ Ducem, qui jam dudum nova Ultrajectinæ Provinciæ acceſſione Ducatum ſuum latius protendere anhellabat. Ergo Carolus ſuis cum copiis accurrit, quæ in urbem nemine obſiſtente introducebantur; poſtmodum Deventriam, & Harderwigam urbes vi occupat, necnon reliquam Provinciæ partem in deditionem accipit, excepta Tylerina arce, quam eapropter obſidere compellebatur. Epiſcopus, ejusque Canonici tam inopino hoſtium inſultu obruti Carolum V. Cæſarem, eoquod Belgii Archidux eſſet, in auxilium vocant, eique exponunt, quod Geldriæ Duces inveterato odio Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam inſectarentur, proin nequaquam tolerandum eſſet, ut iidem Ultrajectinam Provinciam in ſuam poteſtatem redigerent, præcipue, cum ſemper inter Franciæ Reges, & Geldriæ Duces arctiſſima intercederet amicitia.

§. VII.

Imperatoris poſtulatio de Ultrajectina Provincia Belgio unienda.

Le Mire notit. Eccl. Belgic. Val. André topog. Belg.

Equidem hæc ratio Cæſari probabatur; cum vero Ultrajectina Provincia ipſimet vel maxime utilis eſſet, hinc Epis-

Episcopo, ejusque Capitulo hæc verba repoſuit: nil propius eſt, quam quod pacem nobis ſat proficuam cum Galliarum Rege, cui Geldriæ Dux fœdere junctus eſt, ineamus; quapropter Ducem coercere haud poſſumus, niſi ſaltem Ultrajectina ditio Belgii imperio adjungatur. His verbis haud obſcure ſignificabat, ſe in petiti auxilii præmium hujus Provinciæ dominium affectare. Sæcul. XVI. A.C. 1528.

Dura equidem videbatur conditio; de ſuprema enim jurisdictione penitus amittenda agebatur, nihilominus Episcopus, ejusque Canonici, cum nihil intentatum relinquerent, ut Geldriæ Ducem, quantum in ipſis eſſet, opprimerent, ejusque auſibus Cæſarem potentiſſimum hoſtem opponerent, hinc ſeſe Caroli Imperatoris imperio ſubjicere haud detrectabant.

§. VIII.

Ultrajectina Provincia Sacræ Sedis auctoritate Cæſari aſſerta.

Cum vero Ultrajectenſis ditio Belgii Statibus absque Sedis Apoſtolicæ auctoritate uniri haud poſſet, ad Leonem

Sæcul. XVI. A. C. 1528.

nem X. (*) ſupplices literæ expediebantur, qui etiam cuncta, quæ petebantur, lubens conceſſit, eoquod Cæſaris patrocinio indigeret, ut Medicæorum Familiam ad Florentini imperii dignitatem elevaret. Igitur Ultrajectinæ Provinciæ unionem cum Belgio factam auctoritate ſua confirmabat, omnesque, ſi qui forte in his pactis irrepſerint, defectus ex Apoſtolica, plenaque poteſtate ſupplebat. Facta eſt hæc dominii tempora-

De rebus Eccl Ultraj. hiſt. in 4to. impr. ann. 1725 p. 1.

(*) Quam periculoſum ſit in rebus Hiſtoricis ex corrupto fonte aquam haurire, crebræ demonſtrant Continuatoris hallucinationes: Cæſarem inſimulat, quod ex nimia Ultrajectinam Provinciam eripiendi cupiditate auxilium Henrico præſtiterit, & hæc nullus Hiſtoricus teſtatur, & ipſe Lambertus Hortenſius rerum Ultrajectenſium Scriptor, licet Hæreticus, ea reticet; Epiſcopum ea, quæ ex zelo fidei egit, nonniſi in odium Geldriæ Ducis feciſſe, Continuator redarguit; nullum tamen hujus rei teſtem adducit. Denique Leonis X. auctoritatem fuiſſe imploratam ſcribit: cum tamen anno 1528. a Cæſare unionem Provinciæ petitam aſſerat, & ipſum Leonem X. jam anno 1521. mortuum fuiſſe referat; huic accedit, quod primum anno 1529. Clemens VII. Geldriæ Principatus jura in Carolum V. edito diplomate tranſtulerit.

poralis acceſſio ad Belgii ditionem ex conſenſu Caroli V. die vigeſima prima Octobris Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo octavo. Sæc. XVI. A.C. 1528.

§. IX.

De pace Cæſarem inter & Galliarum Regem irrito ſucceſſu actum.

Ratio, quam Cæſar Ultrajectenſi Epiſcopo, ejusque Capitulo proponebat, veritati haud diſſona erat; quippe communis emanabat fama, quod pax Cæſarem inter & Franciæ Regem brevi firmanda foret, totusque difficultatis cardo in eo verti videretur, ut decerneretur tempus, quo Lautrecus, qui Gallicis copiis imperabat, ex Italia revocaretur: contendebat Cæſar, quod Galli primo ex Italia diſcederent, ac demum ambo Regis Filii, qui obſides Madriti hærebant, liberi demitterentur. Ex adverſo Franciſcus Galliarum Rex poſtulabat, ut horum liberatio copiarum diſceſſui aut præmitteretur, aut ſaltem uno eodemque tempore utrumque fieret. Juſta & æqua Cæſareis Miniſtris videbatur Regis petitio; quapropter Carolum urgebant, ut ipſe præter cautionem ab Angliæ Rege præſtitam nil aliud interea peteret, eoquod Henricus

Sæcul. XVI. A.C.1528.

Rex integram datæ fidei executionem in se suscepisset. Verum solus obstiterat Cattinarus Cancellarius, qui bellum omnino prosequendum censebat, prævaluitque ejus sententia. Igitur Angliæ, ac Franciæ Regum Oratores, qui tum Burgi agebant, sat sibi perspectam habebant Cæsaris pertinaciam, qua præprimis articulum de revocando Lautreco adimpleri postulabat; hinc die vigesima Januarii Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo octavo Cæsarem rogarunt, ut eis discedendi veniam concederet; his tamen ita respondit Carolus: prius prospiciendum est securitati meorum Legatorum qui apud vestros Reges agunt.

§. X.

Bellum Cæsari per feciales Angliæ & Franciæ Regum denunciatum.

Post hæc duo Feciales, Guyennus & Clarentius, quos utriusque Regis Legati secum conduxerant, ad alloquium Cæsareæ Majestatis admitti efflagitabant; id etiam datum est eorum precibus Brugi die vigesima secunda Februarii. Igitur Imperator aulam ad audiendos Oratores destinatam ingressus in

in throno consedit; accedunt ambo Fe- Sæcul. XVI.
ciales, qui chlamydem in brachiis ge- A C. 1528.
stantes trina vice genuflexi Cæsarem salutabant, ac proximius ad throni pedes appropinquabant; ubi Clarentius securitatis fidem, quamdiu in Cæsaris imperio morarentur, necnon inde recedentibus publicæ fidei literas ipsis concedi petiit. Annuit Imperator: mox autem Guyennus & Clarentius Epistolam, qua Carolo bellum nunciabatur, prælegerunt. Hac de re Imperator tantopere commovebatur, ut epistola e Fecialium manibus accepta Franciæ, Venetiarum, & Florentiæ Legatos ad viginti omnino leucas ab aula sua abesse, eosque a satellitibus custodiri juberet. Paulo tamen mitius cum Angliæ Legato agebat, spe fretus, hunc Regem ab inito fœdere brevi abducendum. Hoc facto ambo Feciales rursus chlamydem suam induebant.

§. XI.

Crimina Galliarum Regi a Cæsare objecta.

Præterea Cæsar præsentibus cunctis Proceribus jactitabat, quod jam ante duos annos cum primo Præside Gratianopolitano Galliarum Regis Legato collocutus fuerit, eidemque palam *Memoir. du Bellay l. 3. D. Ant. de Vera hist. de Charles V. p. 151.*

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

edixerit, quod paratus esset solus cum solo litem, quam cum Galliarum Rege haberet, armis dirimere; nunc vero sat mirari haud posset, quod Rex, qui tamen se adeo magnanimum venditat, factam provocationem ad singulare certamen acceptare recusaverit. Verum Præses hac super re interrogatus, sine ambage hunc in modum respondit: Haud memini, Cæsarem talia unquam ad me dixisse, & si forte ejusmodi sermonem feciſſet, nunquam tamen hujus provocationis ad Regem deferendæ negotium in me suscepissem; habet enim Cæsarea Majestas suum apud Franciæ Regem Legatum, cui id in mandatis dare potuisset. Franciscus Rex, ut objectum crimen dilueret, Cæsaris Legatum adesse jussit, graviterque de Caroli sermone questus Legato epistolam dedit, eidemque præcepit, ut eam perlegeret, atque ad Cæsarem deferret; utrumque exequi recusabat Legatus, quapropter Rex epistolam ab aliis recitari jussit. Erat hic Legatus Nicolaus Perrenotus Granvellanus haud adeo ex nobili genere in Comitatu Burgundiæ ortus, cetera vero Vir ingenii acie, ac incredibili scientiarum ubertate & copia longe celeberrimus.

§. XII.

Sæc. XVI.
A.C. 1528.

§. XII.

Cæsar a Francisco Rege ad singulare certamen provocatus.

Regis epistola paucis verbis continebat vindicias de probris, quibus eum Cæsar & honoris & fidei suæ oblitum criminabatur; his literis Franciscus Carolum ad singulare certamen provocabat, ut injuriam sibi illatam, suumque honorem gladio repararet. Hanc epistolam Granvellanus ad Cæsarem deferre renuebat, caussatus, legationis suæ tempus exiisse, proin se ad hoc negotium publica auctoritate destitui, quapropter Rex hasce literas cuidam feciali commisit, qui eas Valisoleti Carolo Cæsari tradidit.

Ant. Vera l. c. p. 153. Bellai l. c. Guicc. l. 18. Bouch. part. 4.

§. XIII.

Scheda provocatoria per Fecialem missa.

Ita Rex ad Cæsarem perscripsit: „Nos „ Franciscus Dei gratia Galliarum „ Rex, Genuæ Dominus &c. salutem „ dicimus tibi Carole per Dei gra„ tiam electe Romanorum & Hispa„ niæ Rex.„

„ Notum tibi facimus, ad aures no„ stras perveniisse, quod in cunctis re-

Dupleix hist. de France to. 3. vie de Francois I. p. 372. Vie de Charles to. V. par Grag. Leti tom. 1. p. 33.

Sæc. XVI. A.C 1528.

„ ſponſis a te datis ad Legatos & feciales noſtros, quos ad te ob communem pacis bonum noſtro nomine decrevimus, ad honeſtandam repulſam tuam inani ac infirmo obtentu uſus fueris, atque injuſte nos accuſaveris, „ *quod oblitus fidei datæ aſſertor, tuis exceſſerim manibus perfidiæ reus.* Equidem datam promiſſi fidem ſervare nos haud obſtrictos ſcimus, eoquod vi adacti plura polliciti ſimus; ut tamen læſum honorem noſtrum repararemus, literas tibi mittere compellimur, quibus te ad ſingulare certamen provocamus, ut nomen noſtrum tueamur; ſemper enim nobis honor noſter cordi fuit, illumque adjuvante Deo continue usque ad ultimum vitæ halitum ſollicite conſervare ſtudebimus. *Quocirca ſi noſtrum diſceſſum criminatus ſis, aut criminis, vel ſi quid a nobis commiſſum contra datam fidem, & libertatis noſtræ ſponſionem, vel contra veri Principis officium a nobis perpetratum aſſeras, diſſerte nos te aſſerimus mentiri,* totiesque te mentitum fuiſſe aſſeremus, quoties tu idem de nobis affirmas.„ *Fixum nobis eſt, honorem, atque exiſtimationem noſtram etiam cum vitæ diſcrimine tueri. Et quid „ Verbis, armisque cum tot hominum excidio contendimus? Noſtro duorum, ad*

„ *quem*

„ *quem me provocas, gladio hanc litem di-* Sæcul. XVI.
„ *rimamus, duelloque, quo poſtulas expe-* A.C. 1528.
„ *riamur, utri cauſſa & æquitas faveat,*
„ *huic locum, tempusque deſigna. Si con-*
„ *greſſum hunc differes, ſolisque in famam*
„ *noſtram verbis debachabere, totius ad te*
„ *controverſiæ turpitudinem pertinere de-*
„ *clarabis. Datum in fideli urbe noſtra Pa-*
„ *riſienſi, hac die vigeſima octava Martii*
„ *ante Paſcha Anno Chriſti milleſimo quin-*
„ *genteſimo vigeſimo ſeptimo,* ſeu juxta ho-
„ diernam Gallorum computandi ra-
„ tionem in Galliis uſitatam *Anno Do-*
„ *mini milleſimo quingenteſimo vigeſimo*
„ *octavo.*

FRANCISCUS Rex.

§. XIV.

Franciſcus Rex viciſſim a Carolo Cæſare ad duellum provocatus.

Carolus hac provocatione acceptata haud dudum quid conſilii caperet, ſuſpenſus hærebat, ac de ſuo honore agi ratus, non modo oblatum certamen lubens in ſe ſuſcipiebat, ſed etiam viciſſim Regem ad ſingularem pugnam datis literis provocabat, easque cuidam famoſo Burgundioni Viro tam armorum *Ant. Vera l.c. p. 154.*

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

peritia quam rebus gerendis dexteritate celeberrimo deferendas committebat. In hac epistola præter responsa, quæ Cæsar primario Burdegalensis Provinciæ Præsidi dederat, etiam relatio eorum, quæ Galliarum Rex in Madritensibus pactis promiserat, continebatur, nec minus in hisce literis Imperator Francisco exprobrabat, quod hic insulse admodum ipsum nominaverit Ludimagistrum ob id, quod ad decidendam controversiam, qua de honore agitur, leges ac jura allegasset (*). Postea

(*) Cum Continuator literas, quibus Cæsar Franciscum Regem ad duellum provocabat, non referat; ex iis vero justæ conquerendi caussæ, quas Cæsar habebat, perspiciantur, eas hisce referre haud abs re erit Itaque Imperator per Legatum suum ita Regi respondit: *Falleris, cum me tuum criminari abitum existimas; dilatum accuso reditum. Nonne abs te juramenti fide confirmatum est, in meam te potestatem custodiamque rediturum, nisi sanctæ pacis leges imieres? Si negas, tuis evincam sigillis ac literis. Si concedis, ut debes, quommodo laudati te Principis officium implere asseris, cum in ea re fidem fallas, quæ & obligationis tuæ est, & potestatis? Affirmo, & sine mendacio quidem, turpiter abs te factum, & scelerate, & quoniam duello huic controver-*

Sæcul. XVI. A. C. 1527.

ſtea vero Imperator pro certaminis loco deſignavit illud flumen, quod Fonterabiam alluit, tellusque circumjacens quamdam exiguam Inſulam efformat, Poſtquam igitur Burgundio cum hiſce provocationis literis in Franciam venit, Franciſcus Rex in ampla Palatii aula regio habitu inſignis, ſuper quodam tabulato Cæſaris feciali alloquii copiam dedit. Comitabantur Regem Principes regio ſanguine orti; præſentesque aderant omnes Legati, qui tunc in Regis aula agebant.

Daniel hiſt. de France to. 5 vie de Francois I. p. 598.

§. XV.

---

troverſiæ abſolvendæ aſſentiris, conditionem accipio, locumque ad illud deſigno flumen, quod Fonterabiam inter Andœamque labitur, quem ſane locum recuſare minime poteris: nam ſi & tuam, & obſidum liberorum ei ſalutem, ante biennium credidiſti, nihil erit, cur modo declines. Ne vero diſceptatio mora longiori differatur; mittantur viri nobiles, earumque congreſſionum non imperiti, qui de loco, de armorum genere, deque certo conſtituant tempore. Quod ſi intra diem quadrageſimum ab accepta epiſtola nihil reſponderis, dilationis in te reſidebit turpitudo, atque ad alterum non ſervatæ fidei crimen novum illud adjicies,

Sæc. XVI. A.C.1528.

§. XV.

Cæsaris Fecialis a Francisco I. auditus.

Vix Burgundio destinatum colloquii locum adierat, cum illico Rex eum rupta omni mora interciperet, dicens: præter provocationis formulam, locumque certaminis nil aliud audire volumus. Ad hæc Fecialis repositit, quod equidem duelli literas secum deferret, multa tamen alia adhuc haberet, quæ ex Cæsaris jussu Regi nunciaret. Verum Rex plura audire dedignatus, nonnisi de subeunda singulari pugna, necnon de certaminis loco certior fieri postulabat, hisque dictis quantocius ad aliud cubile sese recepit (*). Insequebatur

(*) Rem hanc Palatius, Massenius, pluresque alii ita referunt: *Legatus provocationis formulam absque ceteris, quæ eidem a Cæsare in mandatis fuere data, sensim exhibere renuebat, hinc Rex cunctabatur, neque Legatum publice auscultabat, nec literas provocationis admisit, sed verbis aliquot commutatis, concione excessit.* Ad hæc Massenius addit, *Laudabilius Reges ambo duellum subterfugere, quam multis ad hoc odiis inflammati provocarunt, ne quod in aliis offensionum vindicandarum genus damnarent,*

batur Regem Burgundio, hæc verba sub- Sæcul. XVI.
jungens. „ Si Regia tua Majestas me A. C. 1528.
„ audire dedignatur, nec ego provoca-
„ tionis literas tradere valeo, minus
„ vero designare certaminis locum,
„ quem tamen, ut Majestati tuæ signifi- *Ant. Vera l. cit. p. 155.*
„ carem, literas mecum defero; illum
„ vero acceptare haud renuas; paucis
„ hisce verbis, ut tibi loci notitiam com-
„ municem, mihi injunctum fuit; de
„ cetero haud tibi integrum esse repu-
„ tes, ut ea, quæ tibi superflua vi-
„ dentur, a necessariis separes, ac in-
„ super scias, quod eadem omnino li-
„ bertate, qua tuus Fecialis in Hispa-
„ nia utebatur, illa, quæ muneris mei
„ sunt, exequi, mihi quoque licitum sit:
„ aut saltem publicas mihi concede li-
„ teras, ex quibus negotii a me gesti
„ series nota fiat. „ Facta est Feciali postremi hujus petiti copia, eidemque valere jusso redeundi facultas, securitatisque literæ datæ sunt. Hic vero, ut Domini sui Caroli Cæsaris honorem, ac itineris sui rationem melius vindicaret,

per

---

mnarent, ipsimet in se committerent. Imo ipse Imperator de Francisco Galliarum Rege hanc pugnam subterfugiente dixit: *Optarem Gallo vel plus audaciæ, & felicitatis, vel minus verborum, & odii inesse.* Vide Palatium In vita Caroli V. ad annum 1558. §. 593. fol. 600.

Sæc. XVI. A.C 1528

per integros tres quatuorve dies apud quemdam Galliarum Regis clientem ſummis precibus inſtabat, ut alloquii copiam obtinere poſſet, palam rurſumque profeſſus, quod in ſuis literis certaminis locum diſertis verbis deſignatum haberet; hunc igitur Rex aut acceptet, aut promulgari permittat, quod declinatæ pugnæ contumelia nonniſi Galliarum Regis culpæ adſcribenda ſit. Ad hæc præfatus Franciſci cliens hunc in modum reſpondit, demandato tibi negotio defunctus es, proin redire poteris; Rex ultra te audire renuit, ſi vero acrius inſtabis, te ſuſpendio multari jubebit. Eodem tempore cliens patibulum erigi juſſit, ut majorem Feciali timorem incuteret, eumque quam citiſſime reverti compelleret. Hic denique fuit exitus mutuæ hujus provocationis, quæ, ut inquit Mezerajus, non niſi ludicræ ſcænæ erant ad oſtenſionem Thraſonum eleganter elaboratæ, quæ denique in vanas atque inanes utrinque minas deſinebant (*).

Mezeray abregé chronol. tom. 4. hiſt. de Francois I. p. 346.

§. XVI.

(*) Hæc de coronatis Verticibus liberius dicta videntur; æquius ſentiunt illi, qui Religione tactum Galliarum Regem literas, in quibus deſignatus erat certaminis locus, non acceptaſſe

Sæcul. XVI. A. C. 1528.

§. XVI.

Henricus VIII. bellum Flandris inferendum a Galliarum Rege incitatus.

Nihilominus mutua, quibus ambo hi Principes flagrabant, odia non nisi funesta erant præsagia acerrimi belli, quod non modo in Italia, sed etiam in Belgio, Burgundia, atque in Pyrenæis montibus accendebatur. Ipse etiam Oceanus, ac mare Mediterraneum bellicis furoribus æstuabat. Præprimis Franciscus Galliarum Rex vehementer Henricum VIII. stimulabat, ut junctis cum eo viribus Flandriam tum militibus destitutam invaderet, ea lege, ut omnes urbes, quæ armis occuparentur, Angliæ Regis imperio adjungerentur, donec circa ea, quæ Hispani Anglis debebant, integra fieret compositio, postmodum vero ambo Reges hasce urbes æquis partibus inter se dividerent: Cum vero Angliæ Rex ex fœdere, quod nuper cum Belgis dissolverat, longe plus damni quam lucri percepisset, eoquod præcipui illius reditus ex suorum subditorum

ceptasse asserunt; saltem Cæsar nullius ignaviæ insimulari potest, qui tempus & locum pugnæ indixit, non autem declinavit.

Sæc. XVI. A.C. 1528.

ditorum commercio cum Flandris provenirent, hanc vero negotiandi facilitatem ſibimetipſi præcidere haud poſſet, quin ſeſe civilis belli periculo exponeret, hinc quadraginta dierum inducias poſtulabat, ut hujus moræ beneficio Mercatoribus commodum bona, quæ in Belgio habebant, extrahendi ſpacium concederet; poſtea vero propoſuit, quod Gallos inter & Belgas per octo Menſes armorum quies eſſet, nec his contentus, cum probe noſſet, quod Galliarum Rex præter aurum nullo alio magis efficaci medio ad acceptandas haſce inducias permoveri poſſet, hinc eidem ſpopondit, quod interea ad ferendas Italici belli expenſas triginta aureorum millia numeraturus foret, quam quoque ſummam Rex quantocius acceptabat.

§. XVII.

Lautreci copiæ relicta Romandiola Neapolis Regno admotæ.

Mem. du Bellay lib. 3

Jamjam Lautrecus potiſſimam Mediolanenſis Ducatus partem ſuis armis ſubjecerat, nulloque ferme negotio ipſam Metropolim imperio ditionique Regis ſui ſubjicere potuiſſet, niſi cunctas has urbes Franciſco Sfortiæ reddere, atque ad liberandum Pontificem Romam contendere juſſus fuiſſet, quamvis

vis vix Romandiolam intrasset, cum jamjam nuncium acciperet, quod ipsemet summus Pontifex libertatem suam fuga redemerit, & Cæsarei comperto Gallici exercitus adventu Roma excesserint, ut Neapolis Regnum tuerentur. Attamen sæva lues Cæsaris exercitum tam ingenti strage absumpserat, ut vix una ex tribus partibus supereſſet, annoque evoluto nequidem inter milites ducenti reperirentur, qui a divinæ vindictæ supplicio exempti fuissent. Quapropter Cæsarei Belliduces omni ope & consilio destituebantur, quo sese Fœderatorum conatibus opponerent. Præterea summus Pontifex, cum nondum fœderi adscriptus esset, cui parti sua studia addiceret, suspensus hærebat, minus tamen pacta cum Ferrarienſi Duce inita firmare, consultum censebat. Equidem Venetis suggerebat, ut a Ravennatenſi districtu copias suas avocarent; verum illi, cum in hanc ipsam ditionem haud infirmum jus sibi competere contenderent, Papæ votis satisfacere tergiversabantur; unde factum, ut Lautrecus ad expeditionem, quam susceperat, feliciter exequendam nullam sibi repositam spem habere posset, nisi in exercitu suo, cui ipsus imperabat. Nihilominus tamen Ecclesiæ ditiones pertransibat cum octo millibus Ger- Sæcul. XVI. A.C. 1528.

Sæcul. XVI. A. C. 1528.

Germanorum peditum, quibus Valdemontius Comes præerat; ducebat etiam Tendæ Comes tria millia Helvetiorum, quos ductore Burjejo tria Gallorum peditum, necnon quatuor Vasconum millia sub Petri Navarri imperio præter decem millia Italorum sequebantur, ex quibus omnibus plusquam viginti octo bellatorum millium exercitus conflabatur.

§. XVIII.

Apulia a Lautreco ferme subacta, & Melphia urbs capta.

Bellay l. c.

Exeunte mense Februario Aprutium invasit Lautrecus, quem Ascolum, Aquilæ, ceteræque omnes urbes portis ultro apertis velut patriæ liberatorem exceperunt. Cum vero Cæsarei, eoquod tormentorum apparatu destituti essent, jam antea auffugissent, Gallici exercitus Dux copias suas ad oram maritimam ducebat, unde sibi magis expeditum reddebat accessum ad Apuliam Dauniam, ubi octoginta aureorum millia accepit, quæ portorii nomine pro mercibus evehendis Mense Martio in hac Provincia solvebantur. Hanc pecuniarum summam Lautrecus in rem suam vertebat, cum Apuliam intraret; quippe Sulmonensis civitas nequidem ex-

exspectata deditionis denunciatione ultronee se Gallis dederat, facilique negotio totam hanc regionem sibi subjeciſſet Lautrecus, nisi Philibertus Cabillionensis Auraſiæ Princeps in quodam eminenti loco, quem Trojensis urbis tormenta tuebantur, castra posuisset, eo fine, ut viam obsideret, per quam commeatus ex Barienſi & Sipontina urbe ad Cæsareos advehebatur. Hunc tamen Lautrecus inde propulsabat, totusque Cæsaris exercitus sequenti nocte sine omni strepitu castra movit, tamque turbato ordine Neapolin contendit, ut certa clade prostratus fuisset, si Galli fugientes insecuti fuissent; ast id minus consultum Petro Navarro videbatur; unde Lautrecus, cum hujus Belliducis sententiam ceteris præferret, in Melphitanæ urbis obsidione hærebat. Propugnabat hanc civitatem Joannes Caracciolus cum tribus præsidiariorum millibus, qui invicta equidem fortitudine obsidentium insultus sustinebant, nihilominus secundo impetu devicti unaomnes præter quatuor incolarum millia jugulati sunt. Captus etiam fuit Melphiæ Princeps, ejusque conjux ac liberi ad arcem fugientes sine repugnantia sese victori dederunt: Cum vero Cæsar pro redimendo hoc Principe lytrum pendere renueret, ipse Francis- Sæcul. XVI. A. C. 1528.

Sæcul. XVI. A.C.1528.

cum Galliarum Regem ſupplex adiens ab eo libertati reſtitutus eſt, in cujus beneficii memoriam usque ad vitæ ſuæ finem Regi integra prorſus fide ſua devovit obſequia.

§. XIX.

Totum ferme Neapolis Regnum a Lautreco ſubactum.

Guicc. lib.18
Paul. Jov. in hiſt.

Melfitanæ urbis expugnatio tantum terrorem toti Neapolis Regno incuſſit, ut mox Barulum, Tranium, Venuſia aliæque circumvicinæ urbes ſeſe Lautreco ſubjicerent, eoquod Cæſarei ſua inde præſidia eduxiſſent. Harum urbium exemplo permoti Capuenſes, Nolani, Acerrani, & Averſani itidem deditionem fecerunt; unde ſola Regni Metropolis, Manfredonia & Cajetta ſupererant, quæ urbes in Cæſaris fide conſtantes perſtiterunt. Cum igitur Ferrariæ Dux præter haſce civitates in toto Neapolis Regno nil ultra Imperatori reliquum eſſe cerneret, adeo Hiſpanorum res, inclinante fortuna ad exitium ſpectare arbitrabatur, ut filii ſui cum Galliarum Regis Sorore nuptias, quas hucusque ſub vario obtentu differebat, tandem perficere feſtinaret.

Nec tamen diu fortuna Gallis propitia fuit; Lautrecus enim cum Vir eſſet

esset ambitione, ac prospero rerum suc- Sæcul. XVI.
cessu inflatus, nimium incurrius haud A.C. 1528.
perpendebat, quod hosti cum toto exercitus sui robore auffugienti sat virium adhuc superesit, dummodo Regni sui Metropolin, ex qua sola toti Regno leges ac jura dictare valebat, sibi subditam conservaret: Si enim Lautrecus presso pede, totoque impetu fugitivos suisset insecutus, nullo ferme negotio eos ingenti clade prostravisset, priusquam Metropolim ingrediendi spacium nacti fuissent, præcipue, cum inter Arausiæ Principem exercitus Ducem, & neo-electum Neapolis Pro-Regem acrior ferveret æmulatio, ac Pro-Rex Principem ad urbem admittere, ab initio haud parum tergiversaretur. Verum ex adverso intempestiva Lautreci cunctatio utrique huic inimico sese reconciliandi spatium indulsit, adeo, ut ambo cum duodecim militiæ veteranæ millibus in urbe persistere decernerent, ac residuam copiarum partem munitioribus Regni urbibus imponerent. Inde vero Gallici exercitus ruina ortum trahebat.

§. XX.

Neapolis a Lautreco invasa, atque obsessa.

Cum vero Lautrecus probe cognosce- *Bellay lib. 3.*
ret, quod Manfredoniæ, cui urbi *Guicc. l. 6.*

Sæc. XVI. A.C 1528.

Cæsarei bis mille præsidiarios imposuerant, obsidione diu nimis detineretur, hinc nonnisi cum ducentis quinquaginta equitibus, ac mille quingentis peditibus eam cinctam tenebat, reliquam vero exercitus partem Neapolitanæ urbi admovit. Eo advenerat die prima Maji, moxque castra sua tam validis undique munimentis firmabat, ut inde nulla vi propellendum se crederet. Hac castrorum opportunitate delusus dudum suspensus hærebat, an urbem toto armorum apparatu aggredi, vel potius eam diuturnæ famis iniquitate ad ditionem compellere præstaret. In diversa abierunt Belliducum sententiæ; tandem vero Lautrecus, cum Moncadam Pro-Regem cum copioso admodum præsidio urbi præesse perpenderet, illam inedia subigere statuit, ad capessendum hoc consilium permotus, partim quod Moncada nonnisi ad solita militum stipendia paratas haberet pecunias, partim quod obsessos brevi ob famis violentiam ad incitas redigi speraret, cum præter magnum obsessorum numerum urbs facile ducenta quinquaginta incolarum millia recenseret. Igitur duos, eosque præcipuos ad urbem aditus occludi, geminoque propugnaculo firmari jussit, quorum alterum ad paludes S. Magdalenæ, alterum vero e regione Montis

Montis S. Martini erectum fuit. Horum primum mox Hiſpani aggrediuntur, ſed tanta fortitudine repelluntur, ut de Gallorum virtute jam melius ſentire inciperent, quam nuper in Papienſi prælio experti eſſent; nec tamen Hiſpani inde adeo animo fracti erant, quin protinus octavo poſt die alterum etiam propugnaculum, licet haud feliciori ſucceſſu, ſubigere tentarent. Moncada, quem in Neapolitani Pro-Regis dignitate Lanoyo ſuffectum memoravimus, experiri nitebatur, num forte in expeditione maritima ejus conatibus benignior adſpiraret fortuna; hinc ſex triremes, duo grandiora navigia, quatuor naviculas tormentis inſtructas, plurimasque piſcatorum cymbas præter mille Hiſpanos, ac ducentos milites Germanos admovit, ipſusque triremem magis munitam conſcendit. Hujus expeditionis curam cum Moncada partiebantur Vaſtius Marchio, Columna Conneſtabilis, Roeuſius Comes, pluresque alii Belliduces Cæſarei, adeo, ut ſolus Arauſiæ Princeps Neapoli perſiſteret. Sæcul. XVI. A.C. 1528.

§. XXI.

Auria in navali prælio victor, & Neapolis Pro-Rex occiſus.

Eo tempore Philippus Auria, Andreæ ejusdem nominis Nepos in Salerni-

Sæc. XVI. A. C. 1528.

tano Sinu cum octo Gallicis Triremibus hærebat; cum vero Pro-Regi nunciatum esset, quod Auria, necnon & milites sui Ducis exemplo inducti non raro relictis navibus exscenderent, atque usque ad terrestres copias pergerent, hinc octo hasce Gallicas triremes clam opprimere statuit, huncque in finem sex navigia instruxit, eaque veterano milite munivit. Ast Auria a Lautreco de Pro-Regis consilio admonitus, classem suam firmavit, adjunctis quadringentis Sclopetariis, quos Gallorum Bellidux ductore Ducrocquio opportune submiserat. Substiterat Auria Capodorsi, cum eidem in conspectum venirent duæ Pro-Regis triremes, quæ fugam simulabant, ut hostem incautius insequentem ad altum pelagus attraherent. Auria vero quantocius tres ex suis triremibus procurrere jussit, ut extra omne periculum essent, ipse autem, ut obliquo cursu in Cæsareos irruere posset, cum ceteris quinque triremibus longius provehebatur; non sine prospero successu; primus enim tormenti globus ab Auriæ prætoria laxatus quadraginta Pro-Regis milites discerpserat; postea pertinaci cruentoque utrinque prælio consertæ manus, jamque ad sextam omnino horam mutuæ cædis aviditas flagrabat, tandem vero Moncada occu-

occubuit gemino tormenti ictu percus- Sæc. XVI.
sus, quorum uno brachium, altero au- A.C.1528.
tem spina dorsi penitus confracta fuit. Ejus quoque prætoria fluctibus hausta periit, unacum alia quadam navi, cui præerat Feramusca; cetera vero navigia fuere capta, victorumque furorem nonnisi duo effugerant, quæ ventorum vi ad Neapolis portum delata fuere, a Gallorum tamen tormentis adeo undique lacerata, ut ægre admodum exonerari potuerint, priusquam penitus dissoluta submergerentur. Capti fuere Vastius Marchio, Ascanius & Camillus Columnenses, Princeps Salernitanus, Vaudrius, Risius, & Princeps S. Crucis cum pluribus aliis Nobilibus, bellique Præfectis. Nihilominus ob magnam hostium repugnantiam hæc ipsa victoria Gallis funesta accidit; quippe ex quadringentis illis Sclopetariis, quos Lautrecus submiserat, non nisi sexaginta incolumes rediere.

§. XXII.

Cæsar de clade exercitus ab Arausiæ Principe certior factus.

Arausiœ Princeps accepto siniſtri prælii nuncio Neapolim ab imbelli hominum multitudine exonerabat, militibus

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

vero annonam pro neceſſitatis ratione diſtribuebat; cum vero haud abs re pertimeſceret, ne Pro-Regis obitus, & tot fortiſſimorum militum clades, totque navigiorum jacturæ apertam hoſti ad Neapolis expugnationem viam facerent, præcipue cum plures Regni urbes, quæ hucusque Cæſareis parebant, jamjam Gallorum vexilla erexiſſent; hinc Princeps miſſo ad Cæſarem Myoparone eidem ſignificari fecit, quod in nupero navali prælio exercitatiſſimi quique milites fuerint occiſi, ceteri vero ferme ad gerenda arma inepti eſſent, urbs etiam Neapolitana haud ampliori frumenti copia, quam quæ ad ſemeſtre ſufficeret, inſtructa ſit, aliunde autem Germanis jamjam ſecreto indignantibus res ad ſeditionem ſpectare videretur, niſi Cæſarea ſua Majeſtas brevi pro numerandis ſtipendiis pecunias, & ad repellendos Gallos militum ſupplementa ſubmitteret; ſine hiſce enim ſuppetiis abs dubio cum Francia de deditionis legibus agendum foret, præcipue, cum Germani, qui peſte infecti Roma Neapolin rediere, haud facile abſterreri valerent, quin cum ceteris verſentur, eosque eadem lue inficiant, proin facillime morbi hujus vi una omnes abſumantur.

§. XXIII.

Sæc. XVI.
A.C. 1528.

§. XXIII.

Gallorum exercitus lue confectus.

Quamvis Lautrecus hanc epiſtolam intercepiſſet, haud tamen plus egit, quam ut aquæductum, quo undæ in urbem decurrebant, abſcinderet, nec ſollicitus erat, ut ſimul canalem fieri juberet, quo aquæ in mare delaberentur; unde factum, ut per agros ubique diffuſæ, nec ulla tamen proclivitate in unum locum decurrentes, brevi ob vehementiores ſolis ardores putreſcerent, earumque fœtor adeo immaniter in Gallorum corpora graſſaretur, ut totus exercitus aſſiduis exhauſtus eſſet funeribus. Morbi enim inde contracti in peſtilentiam degenerabant, ſimulque jugebatur obſeſſorum malitia, qui variis ſub prætextibus ad Gallorum caſtra delati ciſternas infecerunt, adeo, ut exeunte Menſe Junio Lautrecus, qui & ipſe tabifica lue afflatus erat, in exercitu ſuo antea viginti quinque millibus valido ægre quatuor millia recenſeret, atque ex octingentis cataphractis circiter centum ſuperſtites haberet. Præterea navales copiæ, quæ ſub Rencei Ceri & Andreæ Auriæ imperio in Sardiniæ Inſula Hiſpanis ſubdita exſcenſionem fecerant, ibidem ingentem annonæ copiam

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

repererunt; cum vero milites diutina fame pene consumpti essent, tanta aviditate stomachos cibo potuque oppleverant, ut eadem lue inficerentur, quæ multiplicatis catervatim funeribus maximam exercitus partem depasta est.

§. XXIV.

Andreas Auria Gallis indignatus.

Sub idem quoque tempus Andreæ Auriæ, qui ad Cæsaris castra transibat, perfidia extremum rebus Gallicis exitium attulit, perinde acsi pestilentiæ flagellum ad Gallos milites ingenti strage plectendos haud sufficisset. Hujus vero defectionis hæc causa fuit; quippe vix Gallicarum Triremium Imperium susceperat, cum illico ejus adversarii in illius interitum conjurarent; unde hi non raro ea negotia, quæ vi muneris sui exequi tenebatur, in belli Senatu perperam interpretabantur, nullamque eidem nocendi occasionem prætermittebant, adeo, ut brevi Regis animo siniſtram de eo opinionem ingererent, atque ille Auriam velut hominem molestum, proprii quæstus studiosum, omnibusque refragantem aspernaretur. Haud ægre Auria insidias sibi parari cognoverat; quapropter cum Genuensibus pactum iniit, vi cujus Genua ejusdem

dem Patria plenæ reſtituatur libertati, atque eidem Reipublicæ cunctæ reddantur ditiones, quas a principio nuperi tumultus in Italia poſſederat; ut vero hujus fœderis executionem eo magis expeditam faceret, Genuenſes eo induxit, ut adimpletis pacti conditionibus Galliarum Regi ducenta aureorum millia numeranda pollicerentur. Verum ea res ſub variis prætextibus ſemper in Galliis longiores moras patiebatur; Savonam enim conſervare, Galli ſummopere exoptabant, eoquod hic portus navigationis opportunitate Genuenſem longe ſuperaret. Præterea ipſa victoria, quam Philippus Auria Andreæ Nepos nuper reportaverat, novum diſcordiæ fomitem inter ejus Patruum & Gallos ſubminiſtrabat; Philippus enim Vaſtium Marchionem, Conneſtabilem Columnam, ceterosque captivos Nobilitate generis magis conſpicuos ad Auriam transmiſit, ut ex illis juxta nuperi fœderis leges lytrum percipéret; obſtabat tamen Lautrecus, qui jure belli captos in Gallias transferri, atque ad Regem reduci voluit. Aſt Lautreci conſilio Auria conſtanter obſiſtebat, cauſſatus, pretium pro horum libertate ſibi deberi, ut inde reſarcire poſſet jacturam lytri, quod ab Arauſionenſi Principe, quem durante Papienſi obſidione in Portum-Delphinum

Sæcul XVI. A.C.1528.

Sæcul. XVI. A.C. 1528. num captum abstraxerat, recepisset, nisi is a Galliarum Rege libertati fuisset restitutus.

§. XXV.

Langeius Auriam conciliandi animo a Lautreco ablegatus.

Sub idem tempus Guilielmus de Bellay seu Bellicus Langeii Toparcha Lautrecum, cujus castra sequebatur, edocebat, quod Auria graviter de Gallis quereretur, ac clandestina cum Genuensibus foveret consilia, ut Patriam suam in pristinam libertatem assereret, hancque in rem peteret, ut ei damnum ob amissum Arausionensis Principis lytrum compensaretur, Genuensibus vero tributum ex Sale percipiendi jus redderetur, quod illis Galli ideo ademerant, ut hoc jure Savonnenses augerent. Accepto Nuncio Lautrecus nulla mora Langeium ablegat, dato negotio, ut Regi exponeret, quod rebus Gallicis in Italia nil magis necessarium sit, quam ut Auria in Regis obsequio persisteret, nec ex Gallorum invidia ad indignationem concitaretur: cum vero Langeio optime perspectum esset, totum difficultatis cardinem præcipue in eo versari, ut Auriæ animus Gallicorum Ministrorum malevolentia exacerbatus mitigaretur, hinc nil

nil magis consultum censebat, quam ut Auriam placaret, priusquam Franciæ aulam accederet. Igitur Genuam contendit, ubi ab Auria, cui amicitia junctus erat, adeo benigne excipiebatur, ut eum in alio quam ejus Palatio diversari haud permitteret. Ibidem Langeius integro morabatur triduo, tantaque dexteritate iratum Auriæ animum sedabat, ut is novum cum Francia fœdus inire promitteret. Porro Langeius Auriam non dimittebat, donec ad Regis arbitrium de fœderis conditionibus utrinque inter eos decretum fuisset. Post hæc Articulis utrinque firmatis Longeius equis cursoriis Lutetiam Parisiorum delatus Regis Senatui exposuit: quod ipse, priusquam Genua discederet, sua opera Auriæ animum ad Gallorum studia & commoda optime propensum reliquisset, res tamen summis periculis obnoxia foret, si nova ei molestia afferretur. Postea sermonem deflexit ad articulos, quos cum eo sanxisset, ea tamen lege, ut Rex Salis commercium Genuensibus restitueret, Auriæ vero circa captivorum lytra satisfaceret. Verum tanta erat apud Regem Montmorentii Marescalli auctoritas, ut ob privatos hujus Viri quæstus Langeii consiliis vix eluctandum impedimentum oppoueret. Sæcul XVI. A.C. 1528.

§. XXVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

§. XXVI.

Barbezillus ad capiendum Auriam ejusque triremes emissus.

Gubernabat Montmorentius Genuæ statum auctoritate Regis, a quo etiam ex Savonnensi Salis tributo redituum nomine quotannis decem aut omnino duodecim aureorum millia percipiebat. Cum igitur tanto lucro privari pertimesceret, cum Prato Cancellario clam egit, ut fœderis pacta a Langeio delata coram Rege discuterentur. Cancellarius, qui Montmorentio adulabatur, conditiones ab Auria propositas, simulac de iis in Senatu agi cæptum, protinus rejecit, easque ludibrio dignas habuit, perinde acsi Auria Regi Domino suo leges præscribere attentaret; postmodum vero in Senatu decerni jussit, ut Auria supremo exercitus Imperio privaretur, atque eidem Antonius Rupi-Fucaldius Barbezilli Toparcha sufficeretur, & in Mari Mediterraneo Architalassi titulo honoraretur. Ergo is nulla mora Genuam ire jubetur, dato etiam negotio, ut Auriam, omnesque ejus triremes caperet. Verum adeo clam res haberi haud poterat, quin Auria totam negotii seriem articulatim edoceretur; unde Savonna, ubi tum agebat, Genuam

am se recepit, ubi eum Barbezillus invisit hac super re collaturus. Nec petitam alloquii copiam denegabat Auria, solerter tamen, ne dolo caperetur, securitati suæ quantum valuit, præcavebat, simulque Barbezillo hæc significari jubebat, mihi haud incognita est demandati negotii summa, in ejus tamen executione obstacula expectatione tua longe majora offendes; tibi quidem in mandatis datum, ut me, measque triremes abduceres: ast nihil a me tibi metuas, quantum vero ad triremes, retine tuas, illas vero, quæ Regis sunt, haud gravate remittam. Sæcul. XVI. A.C. 1528.

§. XXVII.

Auria relictis Gallorum studiis Cæsaris fidem professus.

Absoluto hoc colloquio admodum brevi, Auria ad Delphini-Portum secessit, atque ultimam manum admovit fœderi, quod cum Cæsare sub conditionibus oppido proficuis inire cæperat, pacem conciliante Vastio Marchione, qui Auriæ, cujus olim captivus erat, nomine suæ Cæsareæ Majestatis omnium classium, quas Augustissima Domus Austriaca haberet, supremum Imperium obtulit, promisitque, Genuenses libertati restituendos, eisque rursum Savon-

Guicc. l. 19. Mem. du Bellay l. 3. Aug. Just. lib. 6. Raynald. ad hunc an. n. 10.

Sæcul. XVI. A.C.1528.

vonnenſes eſſe ſubjiciendos, quamprimum ambæ hæ urbes Gallorum poteſtati ereptæ fuiſſent. Inſuper eidem ſpopondit, præter ſexaginta aureorum millium penſionem Melphitano Principatu honorandum. Hæc Principis Auriæ ad Cæſarem defectio eidem Neapolis Regnum feliciter conſervabat; quippe Barbezillus, ut Genuenſem oram a tam potenti hoſte tueretur, ejusque ſecuritati proſpiceret, longam admodum moram Savonnæ trahere, ac præter quingentos pedites Gallos mille ducentos Germanos, ut Genuam auctiore præſidio muniret, in terram exponere compellebatur, quamvis has copias antea ad Lautrecum adducere juſſus eſſet, eoquod illius exercitum lues indies magis ingraveſcens, ac diuturna pecuniæ inopia perderet. Præterea Barbezillus tres ferme hebdomadas in recuperanda civitate veteri a ſummo Pontifice detinebatur: cum tamen in hac Gallicarum rerum deſperatione nil magis neceſſarium fuiſſet, quam ut recta Navarræ Principem Henrici Navarræ Regis fratrem unacum ſuppetiis, quas adduxerat, Neapolin deferret. Harum cunctationum beneficio Philippus Auria cum octo ſuis triremibus Neapolitanæ Urbi propius accedendi, eidemque commeatus copiam ſubminiſtrandi ſpacium nanciſcebatur, ipſus

ipsus quoque Andreas Auria, cum defectionem suam occultare haud. ultra sollicitus esset, propalam, atque in conspectu totius Gallici exercitus cibaria in urbem importabat. Sæcul. XVI. A.C.1528.

§. XXVIII.

Gallorum exercitus assidua pestilentia consumptus.

Tandem militum supplementa, quæ Lautrecus sperabat, ac anxiis curis præstolabatur, advenerant; verum hæ suppetiæ nonnisi ad mille octingentos bellatores ascendebant, quibus insuper præsidiarios milites Nolam usque obvios mittere oportuit, eoquod tempestatum vi propius accedere prohiberentur, non sine fatali Gallorum fato; quippe hæc præsidiariorum manus a Cæsareis penitus profligata fuit, tantoque furore pestilentiæ vis tum maxime sæviebat, ut ineunte abhinc Mense Augusto jamjam ex toto Gallorum exercitu vix tertia pars supereſſet. Non equidem deerant, qui Lautreco persuadere nitebantur, ut ad declinandam pestiferam aeris intemperiem sese Capuam, aut alibi cum suis reciperet; verum pertinacissimæ obsidionis pœnas proprio suo exitio dedit. Hanc vero obfirmati animi sui causſam allegabat, quod Regi scripsisset, se Nea-

Sæcul. XVI A.C. 1528.

politanos brevi ad deditionem compulsurum; hinc jam de honore suo, datæque fidei Religione ageretur. Ast eum nimia promittendi facilitate excessisse, eventus docuit; quippe Gallorum castra primo in valetudinarium, demum vero in mortuorum cæmetrium conversa videbantur, ac Valdemontii Comes, qui solus exercitus Imperio idoneus Lautreco succedere potuisset, ex Nobilibus primus lue infectus periit. Hujus obitum brevi sequebantur Carolus Nothus Navarræ Regis frater, Camillus, Trivultius, pluresque alii generis nobilitate clarissimi. Pari morbo, fatoque Lautrecus succubuit, mortuus nocte inter decimam quintam & decimam sextam media hoc anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

§. XXIX.

Odeti Fuxi Lautreci Toparchæ obitus.

Enimvero Lautrecus obitu suo demonstrabat, haud immerito ab Hispanis eidem persæpe exprobratum, quod maluerit proprii judicii impetum sequendo deviare, quam aliorum consiliis aquiescendo rectam semitam calcare. Ceterum corpus ejus Neapolin delatum in quadam cella vinaria includebatur, ubi abs

abs dubio sepultura caruisset, nisi vige- Sæcul XVI.
simo octavo post anno quidam Nobilis A.C.1528.
Hispanus, ejus ossa, quæ ab illius fa-
mulis in quodam viliſſimo tumulo recon-
dita fuere, honorifica sepultura deco-
rasset. Hic enim Neapoli in Ecclesiæ
Sanctæ Mariæ Novæ in Sacello Suessiæ
Ducis valde magnificum extrui curavit
ex marmore monumentum, cui insculpta legitur latina hæc Inscriptio:

Paul. Jov. in Elog. Brantome dans l'eloge de M. Lautr. Mem. du Bellay l. 3.

ODETO FUXIO LAUTRECO.

Gonsalvus Ferdinandus filius Ludovici
Corduba,
Magni Gonsalvi Nepos,
Cum ejus ossa, quamvis hostis, ut belli
fortuna tulerat,
Sine honore jacere comperisset,
humanarum miseriarum memor,
ita
In avito Sacello, Duci Gallo Hispanus
Princeps posuit.

Porro uxorem habuit Lautrecus Carolinam Albretam tertio genitam Joannis de Orvalio filiam, ex qua præter Gastonem, Franciscum, & Henricum filios, qui juvenili admodum ætate decesserant, filiam quoque suscepit Claudiam de Fuxo, quæ prius Guidoni Val-

Sæcul. XVI. A.C.1528.

lis-Guidonis Comiti, postea vero secundis nuptiis Carolo Lucemburgico Martigiensi Vice-Comiti copulata fuit. Defuncto summus Pontifex Romæ, Franciscus vero Galliarum Rex Parisiis in Ecclesiæ B. V. sumptuosissimis exequiis parentavit.

§. XXX.

Galli soluta Neapolis obsidione Aversam profugi.

Guicc. l. 19. Paul. Jov. hist. lib. 28. Belcar. l. 20. Raynald. num. 10.

Lautreco vivis erepto Salutiarum Marchio subrogatus, Gallici exercitus reliquiis imperabat, atque inter primas muneris curas habebat, ut Renceio de Ceris necnon Melphitano Principi literas daret, quibus eisdem injungeret, ut cum copiis accurrerent, suamque operam ad solvendam Neapolis obsidionem jungerent. Eo tempore Melphitanus Cajetam tam arcta obsidione presserat, ut cives pene ad incitas redegisset, nisi Auria duodecim triremibus instructus urbi commeatum intulisset. Nihilominus tamen Salutiarum Marchio Melphitani adventum haud præstolabatur, sed quantocius concubia nocte castra movit; cum vero fugam adeo clam arripere haud posset, quin id Cæsareis innotescceret, hinc præsidiarii milites ex urbe Neapolitana unaomnes eruperunt, cun-

cunctosque Gallos, qui in castris ad co- Sæcul. XVI.
gendum agmen remanserant, arma in A C. 1528.
manibus gestantes trucidarunt, ceteros vero milites, ac Belliduces ordine inferiores captos abstraxerunt; quos inter & ipse Petrus Navarrus, qui postremæ huic aciei præerat, numerabatur. Hic tanti nominis Bellidux Piscayæ infimo loco natus meritorum suffragio ad supremas militiæ dignitates ascendit, primusque fuit, qui cuniculos agendi artem adinvenit; quamvis nonnulli Scriptores testentur, jam ante Navarri tempora apud Genuenses hujus artis usum invaluisse.

§. XXXI.

Petri Navarri obitus.

Anno Christi millesimo quingentesimo duodecimo Navarrus in prælio Ravennatensi a Gallis capiebatur, longoque tempore in captivitate sua languebat, quin tamen Hispani, ut ei libertatem procurarent, solliciti essent; unde ingratam hanc Nationem, cui tam præclara præstitit obsequia, exosus Franci- *Paul. Jov. in elog.*
sci Galliarum Regis stipendia merebatur, *Alvar. Go-*
eique usque ad annum Christi millesi- *mez hist. l. 4.*
mum quingentesimum vigesimum quin- *Brantome*
tum, quo captus, inviolabili fide sua *vie des Capi-*
addixit studia. Attamen Hispani, ut *tain. etrang.*

Sæcul. XVI. A.C.1528

ejus defectionem plecterent, vinculis onustum in eandem Neapolis arcem detruserunt, in quam viginti octo abhinc annis Hispanos dexteritate sua introduxerat.

Referunt Scriptores, Navarrum jussu Caroli V. laqueo interemptum fuisse, quamvis non desint alii, qui eundem noctu geminæ vestis stragulæ operimento suffocatum existiment. Denique alii eum tædio consumptum obiisse affirmant. (*) Corpus ejus Consalvus Ferdinandus Suessiæ Princeps Neapoli in Ecclesia S. Mariæ Novæ sepeliri curavit, ejusque monumento sepulchralem inscriptionem addi curavit, cujus ultima verba sunt hæc: *Etiam virtus in hoste laudatur.*

§. XXXII.

(*) De Navarri obitu Paulus Jovius ita scribit: *Cum Aurantius victor Andegavensis factionis aliquot Proceres jussu Cæsaris securi percussisset, & eadem pœna Navarro* bis rebelli, bisque capto *immineret, eum lethali affectum morbo custos arcis tanquam Hispano homini, & rebus in Africa adversus Barbaros gestis inclyto hoc indulgebat, ut parva mora tanquam propinqua jam morte parati carnificis manus elaberetur; quamquam non desint, qui eum extrema instantis fati suspiria trahentem stragulæ vestis operimento suffocatum existiment.*

§. XXXII.

Sæcul XVI. A.C. 1528.

Galli Aversam profugi, ibidemque a Cæsareis obsessi.

Sub idem tempus Salutiarum Marchio unacum Gallis, qui in nupera clade victorum gladios effugerant, in Aversana urbe salutis latebram quærebat; verum quantocius ibidem non modo a Cæsareis obsidione cinctus est, sed etiam, cum muri ruinam lustraret, suisque militibus animum addere niteretur, ex lapidis jactu grave vulnus dextro genu accepit. Cum autem hoc fato haud amplius gerendo exercitus Imperio idoneus esset, ne sui quoque milites vexilla desererent, vehementer pertimescebat; quocirca cum hoste de honestis deditionis conditionibus agere compellebatur, priusquam ad Cæsareos accepti vulneris fama emanaret. Igitur hunc in modum deditionis pacta perscribuntur. I. Obsessi cuncta arma, equos, ac vexilla Arausiæ Principi supremo Cæsarei exercitus Duci relinquent. II. Omnes Tribuni, locum-tenentes, Vexilliferi, Cataphracti, ac levioris armaturæ Equites nonnisi unicum equum ac mulum secum deferre permittentur. III. Italis per integrum trimestre Galliarum Regis stipendia mereri non licebit,

Mem. du Bellay l. 3.

Sæcul. XVI. A.C.1528.

bit, Galli vero, Vaſcones, Helvetii, Germani pedites, ceterique milites exteri in patriam ſuam ſecedent, nec ullam ſtationem in Italia facere poterunt. IV. Hos tamen Arauſiæ Princeps uſque ad Provinciarum ſuarum fines ſub tuto præſidio conduci curabit, quin in itinere moleſtia affici queant. V. Salutiarum Marchio ceteras urbes, quas Galli adhuc tenent, auctoritate ſua compellet, ut ſeſe Principis Arauſionenſis poteſtati tradant, ipſe vero jure belli captus Neapoli permanebit. Firmata fuere hæc deditionis pacta die trigeſima Auguſti. Poſt hæc Arauſiæ Princeps victor Averſam ingreditur, ibidemque Pomperanum, qui in urbe relinquebatur, inviſere voluit, quem tamen jamjam fatis functum repererat. Hic idem eſt, qui olim ſeditione facta Borbonii Ducis ſigna ſequebatur, ac Franciſcum I. Galliarum Regem, cum in Papienſi prælio captus erat, e vitæ periculo eripiebat.

§. XXXIII.

Excidium Gallici exercitus in Italia.

Capta urbe Melphitanus Princeps & Renceus Cerius contractis copiis Barulum, ac in alias urbes maritimas ſeſe receperunt, in quibus ſeſe contra omnes Cæſareorum inſultus uſque ad Came-

Cameracenſem pacem ſtrenue tueban- Sæcul. XVI.
tur. Horum quoque conſtantia quo- A. C. 1528.
dammodo militibus Gallis ſaluti fuit; quippe eorum quam plurimi ex Averſana urbe egreſſi ad eos confugerant, nec pauci eorum triremes conſcenderunt, alii vero Romæ morabantur; pauciſſimi tamen in Gallias redeundi opportunitatem habebant.. Porro Averſa capta cunctæ Neapolitani Regni urbes Gallorum jugum eadem rapiditate excuſſerunt, qua ab eis paulo ante occupatæ fuerant. Hoc tandem fuit fatale exitium Gallici, tamque copioſi exercitus, qui olim cum Alpes ſuperaret, univerſæ Italiæ terrorem incuſſerat, nunc vero penitus a Cæſareis diſſipatus evanuit. Tantæ ruinæ cauſſa adſcribitur ſui Belliducis imprudentiæ, eoquod ipſe pertinaci prorſus ſtudio Neapolis obſidionem proſequi ſtatuebat, ſpreto potiſſimorum aliorum Belliducum conſilio, qui exercitum peſte vix non abſumptum cernentes obſidionem omnino ſolvendam eſſe cenſebant. Haud levis etiam tanti exitii cauſſa extitit ipſa Franciſci Galliarum Regis imprudentia; hic enim poſthabito veri commodi ſtudio pecunias, quas in Neapolis expugnationem vertere potuiſſet, partim ad ſolitas voluptates ſuas, partim etiam ad fabricam arcis Madritenſis, quam non procul a

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

Parisina urbe construxit, impendebat, haud ultra memor, quod olim ob æqualem, ac superfluam pecuniarum profusionem iniquissimo tempore factam de toto Mediolanensi Ducatu expulsus fuerit. Ita brevi res Italiæ, quæ sub primis belli auspiciis Gallis admodum prospere succedebant, tanta vicissitudine penitus inclinatæ erant, ut in tota ferme hac Regione totaque Genuensi, & Mediolanensi ditione vix ulla urbs amplius Regis dominio pareret.

§. XXXIV.

Fœderatorum oscitantia in restaurandis Gallorum rebus.

Equidem Fœderati deperditas Gallorum res restaurare potuissent, si opportune usi fuissent Brunsvicensium militum perfidia; Dux enim, ut Cæsareis pro tuendo Neapolis Regno suppetias ferret, nuper decem millia peditum, ac sexcentos Lancearios adduxerat, ast ex his non pauci sine missione a castris discesserant. Jamjam Brunsvicensis Dux usque ad Veronnensem ditionem processerat, eum tamen Antonius de Leva in Longobardia detinebat, spe facta, se prædam, quam ex captis urbibus colligerent, inter ipsos partituros, hinc demum copias suas jungebant, ut Lau-

Laudam expugnarent; cum autem Hi- Sæcul. XVI.
ſpani prope muri ruinas trium horarum A.C 1528.
pugnam ſuſtinerent, tandem vero inde pedem referre compellerentur, Germani quoque milites ob æris militaris inopiam a ſignis delapſi ſunt, quapropter Dux obſidionem ſolvere compulſus eſt. Eo tempore Franciſcus Borbonius S. Pauli Comes adhuc dum recenſebat quingentos Cataphractos, totidemque levioris armaturæ equites, quibus Annebotus præerat; inſuper Lorgius natu major Montgomerini Ducis filius præter quatuor Germanorum millia exercitum ſex millium peditum Gallorum ducebat. Poſtquam igitur Brunsvicenſis Dux feceſſerat, Comiti ſancti Pauli liber aperiebatur aditus ad Neapolitanam urbem, ad quam etiam ante Lautreci obitum pervenire potuiſſet, niſi nominis ſui gloriam longe magis augeri credidiſſet, ſi Mediolanenſem Ducatum armis ſuis recuperaret, quapropter in Longobardia intempeſtive ſubſtitit, ac Venetorum & Sfortiæ copias ſuis militibus adjunxit, eo fine, ut Antonium de Leva inopinato opprimeret. Hic vero, quamvis pecuniarum inopia laboraret, ac nonniſi octo bellatorum millibus ſtipatus eſſet, nihilominus tamen ſine ſuorum diſpendio ſeſe hoſtibus ſuis ſubduxit, eoquod fœderati, qui eum aggredi

Sæcul. XVI. A.C.1528.

di debuissent, diu nimis hac de re deliberarent, ac ante omnia Viglebanum, & Papiam recuperare vellent.

§. XXXV.

Genua ab Auria pristinæ libertati suæ reddita.

Mem. du Bellay lib. 3.

Cum igitur Fœderati utriusque urbis obsidione frustra tempus tererent, Andreas Auria interim opportunum Genuense flumen relegendi spacium nanciscebatur, nihilque intentatum relinquebat, ut Genuenses sibi devinciret; nec id ægre obtinuit; cum enim plurimos in urbe fautores atque amicos numeraret, eos in odio, quod in suos rectores conceperant, sedulo firmabat, populo autem exponebat, quod eidem Galli nonnisi nudum Reipublicæ nomen relinquerent, sibi vero plenam Imperii auctoritatem arrogarent. Nobilibus autem ante oculos ponebat pristini regiminis prærogativam, qua hucusque semper potiebantur. Denique cum ipsum minime lateret, quod Galli præsidiarii, quorum quartam partem pestilentia absumpserat, in arce stationem agerent, urbemque vix non milite destitutam relinquerent, hinc cum suis triremibus urbi appropinquavit, ac nonnisi suorum quingentos aut forte sexcentos ex-

exſcendere juſſit. Vix Barbezillus horum adventum compererat, cum illico toto remorum niſu Savonam fugeret, veritus, ne conjuratione in urbe facta ejus triremes interciperentur. Auria hac Gallorum fuga fretus, impune claſſi Gallicæ receſſum permittit, ſuos vero milites in terram exponit, aciemque inſtruit; cum autem ejusdem fautores urbis portas adventanti aperuiſſent, mox præcipuas ſtationes occupavit, ac nomine Cæſaris Genuam ne quidem ſtricto ad pugnam enſe ſuæ poteſtati ſubjecit. Urbe capta Theodorus Trivultius illius Gubernator ſeſe ad arcem recepit, quam tamen exeunte Menſe Octobri ignominioſe dedere compulſus eſt. Gallis adeo feliciter Genua expulſis, Auria quantocius Nobiles congregabat, eisque Reipublicæ regimen deferebat, præſcripta gubernandi norma, quæ hodie adhuc ibidem viget. Maxima erat Reipublicæ ad tantam Auriæ prudentiam admiratio, unde eidem in obſequii præmium ſtatuam erigebat, ac Patrem Patriæ, libertatisque vindicem proclamabat. Sæcul. XVI. A.C. 1528.

§. XXXVI.

Mediolanenſes atrocibus Antonii Levæ exactionibus oppreſſi.

Equidem Comes ſancti Pauli Papienſem

Sæcul XVI A.C.1528.

sem urbem suis subjecit armis ; nihilominus viribus impar Savonnæ opem ferre haud poterat, quam urbem Morettus ejusdem Gubernator Genuensibus per summam ignaviam tradidit, unde altera ex parte Comes victoriarum cursum sistere compellebatur, quamvis Biagrassam, oppidum S. Georgii, Monzam, & Comum in Mediolanensi Ducatu ultronea deditione accepisset, eoquod Antonius de Leva ex hisce urbibus ad firmandum Mediolanum præsidiarios milites eduxisset. Ceterum hic Bellidux acrius quam unquam pressus ad extrema prorsus remedia descendit, ita ut illorum exempla sat pauca nobis suppeditet Historia : Adeo enim Antonius Leva summis Mediolanensium civium miseriis, aliarumque urbium calamitatibus non movebatur, ut etiam inde novum subditos vexandi obtentum quæreret; edicto enim cavit, ne quis frumentum, quod in horreis erat, aut in urbem inferebatur, venderet, illud vero ipsus exploratæ fidei Pistoribus distribuit, ea lege, ut inde panem coquerent, & quamlibet portionem pro unius aurei pretio venderent. Unde factum, ut pauperes fame mori cogerentur (*), cum

(*) Hæc a Continuatore plus justo exaggerata narrantur, vel ut dolorem ex Gallorum exitio

cum soli divites panem emendo pares essent. Cæsar, quamvis immodicam hanc vexationem edoctus esset, nullum tamen malo remedium opposuit, eoquod non modo pecuniarum subsidiis egeret, sed etiam carnalis prudentia omnino humanitatis ac miserationis sensus, quos pietas inspirare potuisset, extinque- Sæcul. XVI. A.C 1528.

---

exitio conceptum temperaret, vel ut Carolo Cæsari, necnon Domui Austriacæ pro more suo invidiam conciliaret; si enim urbs ad extremas fuit redacta angustias, id ideo factum, ne cum publico damno, ac totius alicujus Regni jactura urbs in hostis potestatem veniret: verum a Gubernatoribus urbis obsessæ talia vel similia fuisse facta, rerum bellicarum Scriptores innumera recensent exempla: pauperes vero ob Levæ edictum fame fuisse necatos haud credi potest, eoquod urbs extremam annonæ inopiam nondum passa videatur, cum juxta ipsum Continuatorem frumentum in urbem inferri adhuc potuerit, & juxta Masenium pro modiis singulis tres tantum numerarentur aurei, proin pauperes aut divitum eleemosinis, aut aliis cibis, qui vel urbi inferrebantur, vel aliunde ob longioris obsidionis necessitatem a pauperibus commedi solent, vitam suam sustentare potuerunt, præcipue cum Continuator hujus cædis pauperibus illatæ nullum omnino testem alleget; immerito igitur piissimus Cæsar pietatis sensum abjecisse insimulatur.

Sæcul. XVI A.C. 1528.

tinqueret. Hac ratione Italiæ bello Cæsarem inter & Galliarum Regem finis imponebatur, quorum uterque laboribus fracti pace anno sequenti Cameraci inita sese reconciliabant.

§. XXXVII.

Continuatio Historiæ de divortio Henrici Angliæ Regis.

Vide supra L. CXXXI. §. 59.

Burnet hist. de la Refor. d'Anglet. t. 1. p. 78.

Henricus Angliæ Rex vehementer querebatur de conditionibus, quibus summus Pontifex suum diploma de Regis divortio restringebat, quapropter Georgio Casalio, qui Romæ apud Papam legatione fungebatur, negotium dabat, ut Bullam peteret, quæ minus ambiguis verbis concepta esset. Hac super re Casalius frequens cum Papa colloquium habuit, verum, si Burneto fides adhibenda, Sanctitas sua hunc in modum Legato respondit: „ Rei decisio „ in Henrici arbitrio posita est; aut e„ nim vi potestatis jamjam demandatæ, „ aut auctoritate Volsei Legati causæ „ judicium prosequi necesse est. Si Rex „ salva Religione in priori connubio suo „ persistere non audet, non opus fuis„ set cum tanta populi offensione publi„ cam extorquere sententiam; nullus „ enim Theologorum, prosequebatur „ Pontifex, melius quam ipse Rex de-

„ cide-

„ cidere poteſt, utrum ejus matri- Sæcul. XVI.
„ monium ſit validum, vel non. A.C. 1528.
„ Quamprimum igitur lata erit ſenten-
„ tia, Rex Dominus noſter ad ſecun-
„ das nuptias tranſire poterit, eodem
„ tamen tempore a nobis exorare de-
„ bet, ut Legatum mittamus, qui hoc
„ conjugium confirmet; longe enim fa-
„ cilius eſt negotium jamjam peractum
„ ratum habere, quam prompte deci-
„ dere litem, quæ contra Curiæ noſtræ
„ leges inſtituta eſt; quippe Catharina
„ abs dubio reclamabit adverſus judi-
„ cii locum, utpote non liberum, nec-
„ non contra Judices tanquam ſuſpe-
„ ctos; tum vero Eccleſiæ legibus ad-
„ ſtringimur, ut Regi inhibeamus, ne
„ ſecundas ineat nuptias, donec cauſſa
„ penitus diſcuſſa eſſet, ſimulque com-
„ pellimur, ut totum negotium ad no-
„ ſtram Curiam evocemus. Præterea
„ multæ occurrunt ſolemnitates, quas
„ in ſententiis a Curia Romana latis
„ omnino adhibere neceſſe eſt, inde ve-
„ ro res longius protrahetur; ſi vero
„ ſententia in Anglia pronunciabitur,
„ ac Rex nulla mora aliam ducet uxo-
„ rem, non deerunt nobis rationes, qui-
„ bus noſtrum agendi modum vindica-
„ re poterimus, ſi negotium jam pene
„ abſolutum confirmare voluerimus:
„ tum vero Londinum ablegabimus

Sæcul XVI. A. C. 1528. „ Cardinalem, quemcunque seligere „ Angliæ Regi placuerit. „

§. XXXVIII.

Quæstio, an Papa in spem obtinendæ dispensationis Henrico aliam conjugem ducere suaserit?

Ita equidem Burnetus(*) Papam loquentem introducit, verum hunc sermonem sine ullo fundamento mere confictum esse patet; quam enim ob rationem Henricus his Papæ monitis in rem suam haud utebatur, cum tamen usque adeo propensum ad ejusmodi consilia suæ caussæ tantopere propitia gereret animum, ut etiam per Batoniensem Episcopum, qui ejus nomine apud Franciæ Regem Legatum agebat, interrogaret, an sine animæ suæ nocumento dubium de suo matrimonio movere posset? Referunt etiam Historicorum nonnulli, quod Rex consilium sibi a Casalio propositum in tendiculæ sibi a Papa structæ numero locoque duxerit, ac serio

(*) Supple, natione Scotus, & secta Hæreticus, qui pro more suæ gentis totus in eo erat, ut propudiosum Henrici VIII. divortium honestet, totamque culpam in ipsius Papæ consensum rejiciat, cujus tamen rei falsitas ex ipsis auctoribus coævis manifeste patet.

rio secum perpenderit, absque fori strepitu ejusmodi causam nullo pacto dijudicandam, eoquod ipsius etiam Reginæ rationes excipere omnino necessarium esset, atque sententia, antequam Regina audiretur, & se defendere posset, neutiquam valeret. Præterea si Rex hoc consilium fuisset secutus, tunc sese penitus Papæ arbitrio reliquisset, qui, ut censent Juris Pontificii Doctores, non minus Legati sententiam, quam connubium vi hujus contractum confirmare, omnino recusare potuisset. Verum adhuc graviora occurrunt argumenta, quæ prætensum hoc Papæ consilium a Casalio propositum nulla veritatis similitudine firmari demonstrant; quippe unus alterque cursor e vestigio sequebatur, & singulis ferme diebus hac super re nova excogitabantur consilia, vixque in unam sententiam abire Patres, cum illico, quæ paulo ante decernebantur, revocata fuerunt. Staphyleus, qui Romanæ Rotæ Auditorum Decanus erat, eodemque tempore in Anglia agebat, divortii causam cognoscere jubetur, mox tamen Urbevetum, ubi Papa morabatur, proficisci præcipitur, idemque præter mandata publica secretis etiam consiliis ad rem idoneis instruitur. Paulo post Casalio datur negotium, ut a Pontifice alium Legatum, doctrina; Sæcul. XVI. A.C. 1528.

Sæcul. XVI A.C. 1528

morumque facilitate præclarum, atque a proprii quæstus cupiditate alienum Volsæo Cardinali adjungi peteret (*).

§. XXXIX.

Staphileyus, Gardinerus, & Fuxius hac in causſa Romam ablegati.

Vix Staphileyus Urbevetum contendere parabat, cum illico eum Regis jussu Stephanus Gardinerus Doctor, quem Volsæus ab Epistolis habebat, necnon Eduardus Fuxius supremus Regis Sacellanus sequerentur. Ambo se Staphyleo adjungere, ac importunis etiam precibus, minisque Papam urgere jubentur, ut ea, quæ Rex petebat, concedi impetrarent. Tribus hisce Oratoribus diversa prorsus erat indoles; quippe Staphileyus in Romanæ Curiæ negotiis jam dudum senescebat, ac ceteroquin Vir erat suspicioſus, asper, ac ingenii parum docilis, aliunde vero Henrico Regi plurimum addictus, summopere autem Carolo Cæsari infensus: Gar-

(*) Hanc in rem consulendus est Pallavicinus, qui in libro 2. cap. 15. n. 17. suæ Hist. Conc. Trident. egregie confutat commentum eorum, qui a Papa ejusmodi diploma fuisse concessum fingunt.

Gardinerus autem in Aula Romana minus erat verſatus, hunc vero defectum in illo ſupplere videbatur profunda juris Canonici ſcientia, eratque reapſe vir peracri ingenio præditus, humilis, atque ad quæcunque demum negotia feliciter gerenda idoneus, denique etiam facile aliorum benevolentiam ſibi conciliare poterat: Fuxius vero Regis ſui voluntati in omnibus obſequi paratiſſimus, Herefordienſi Epiſcopatu auctus obiit. His tribus datum eſt negotium, ut Cardinalem Volſæum novæ demandatæ poteſtatis diplomate hujus cauſſæ judicem conſtitui peterent, addita etiam facultate Regis matrimonium penitus irritum declarandi, ſi eidem Cardinali ita bene viſum fuerit; nihilominus filiam ex priori connubio natam, ut legitimam agnoſci poſtularent, ſimulque Papam urgerent, ut ſcripto promitteret, ſe facultatem Cardinali conceſſam nunquam revocaturum, ac præter bullam, qua Regis Matrimonium nullum pronunciatur, etiam diſpenſationem conceſſurum, ut Rex ſine ulla adjecta conditione alteram uxorem ducere valeat. Denique iisdem Oratoribus injunctum, ut ſummo Pontifici exponerent, quod Rex minime ex Volſæi conſilio divortium petat, nec eundem extitiſſe Auctorem rationum, quæ Henricum Angliæ

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

Sæcul. XVI. C.A.1528. Regem ad movendam hanc cauſſam impuliſſent.

§. XL.

Epiſtola Volſæi Cardinalis ad Papam circa Regis divortium.

Scripſit Volſæus Cardinalis die decima Februarii Epiſtolam ad Pontificem, in qua acerrimo calamo exarrata, quæcunque demum turbidi juxta ac perterriti ingenii vehementia dictare poteſt, in unum collecta reperiuntur: erat autem Epiſtolæ ſumma, prout ſequitur: Beatiſſime Pater! ſi a te non modo vere Orthodoxis, ſed etiam Cardinalibus adnumeror, qui dignitatis collatæ ſplendorem nulla unquam labe obfuſcavit, ſemper Eccleſiæ ſua præſtitit obſequia, ac Sanctitatis ſuæ commodis intentus extitit, nec minus ſi Sanctitas ſua me reputat Virum æquitatis amantem, & ſalutis æternæ percupidum, meis quoque monitis, ac ſubmiſſis precibus quicquam deferrre debebit. Profiteor, palamque teſtor, quod, niſi Regis preces æquitati ac juſtitiæ conſonas probe cognoſcerem, potius omnibus iisque crudeliſſimis tormentis ſubjici, quam in hoc negotio partem habere mallem. Nec tamen diſſimulare valeo, quod haud abs re pertimeſcam, ne Sanctitas ſua præ

præ nimia erga Cæsarem reverentia re- Sæcul. XVI.
cusset nobis concedere gratiam, quæ ta- A.C.1528.
men divinis æque ac humanis legibus suffulta est. Vereor etiam, ne Rex, cui nil magis cordi est, quam Dei, ac justitiæ amor, per alias vias causſæ suæ remedium quærat, atque ad ea audenda prorumpat, quæ Sedis Apostolicæ auctoritati eo magis nociva erunt, quo potentius suo exemplo ad pares ausus alios pertraherent. Hæc ad te, sanctissime Pater! scribo tanquam Christianus, sacrique Collegii membrum, nec ad id me impellit propriæ utilitatis studium, nec affectus, quo in Regem feror, minus vero libertas, qua nunc fruor. Unum hoc specto, ac intendo in hac Epistola, ut justitiæ ac æquitati consulatur. Plura scribere, prohibet mentis agitatio, qua intus crucior. „

§. XLI.

Gardineri & Fuxii postulata Papæ proposita.

Eadem die, qua hæc Epistola fuit data, nimirum decima Februarii Gardinerus, & Fuxius in Italiam profecti sunt. Vix Urbevetum pervenerant, cum summum Pontificem ob tam periculosam rerum vicissitudinem anxiis curis turbatum reperirent: hinc quærebat

Sæcul. XVI. A.C.1528.

unice habere paratas tanto negotio moras; ostendebat equidem, se nil magis exoptare, quam quod Regis voluntati obsequi posset, re tamen ipsa haud obscure cognoscebatur, quod Henricum vana divortium permittendi spe tamdiu lactare studeret, donec ad suggerenda consilia penitus opposita opportunum nanciscceretur temporis spatium. Hinc omnes Oratorum conatus in irritum cecidere, nec Pontifex diploma eo modo, quo illi petebant, expediri jussit: Unde Gardinero, Fuxio, & Casalio nil reliquum erat, quam ut saltem Virum Regi acceptum adjungi impetrarent, qui hujus caussæ cognitionem in se susciperet.

§. XLII.

Campegius Cardinalis in caussa divortii in Angliam missus.

Hanc in rem ex Cardinalium Collegio plures proponebantur, omnes Viri meritorum præstantia longe clarissimi; inter hos tamen præcipue seligebatur Laurentius Campegius, qui tum Sarisberiensis Episcopus erat. Hunc Papa jam Mense Aprili nominabat, atque ad dijudicandam divortii caussam Volsæo Cardinali adjungebat; demandatæ tamen potestatis diploma nonnisi sexta Junii Urbeveti expediebatur. Ast Campegius

gius nullum non movebat lapidem, ut sese a concrediti muneris onere eximeret; probe enim perspexerat, se aut Cæsaris iram, aut Angliæ Regis indignationem incursurum. Hinc ad excusandam datæ repulsæ culpam allegabat, se podagræ doloribus pressum tam longi itineris laboribus ferendis imparem esse. Verum Cardinalis Volsæus eum importunis admodum precibus rogabat, atque instabat, ne moram traheret, nec Regno, in quo Episcopatus honore fulgeret, sua obsequia denegaret. His tandem devictus Campegius demandatam sibi provinciam in se suscepit.

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

Vie de Campege par Carol. Sigon. imprimeé a Boulogne 1561.

Ceterum Campegius Præsul erat, non minus pietate quam scientia celebris, ac præterea illis, quorum causa utrinque agebatur, valde acceptus. Jam anno Domini millesimo quingentesimo decimo nono Legatus in Angliam decernebatur, ut decimas pro Turcici belli expensis colligeret, ibidemque ab omnibus colebatur tanquam Vir inter ævi sui Doctores juris Pontificii scientia clarissimus, necnon rerum gerendarum dexteritate summe commendandus. Equidem Gallis, cum Campegium Carolo V. magis addictum crederent, hujus Viri electio minus probabatur; verebantur enim illi, ne quoddam pacis fœdus

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

Cæsarem inter & Henricum Regem conciliaret. Extat insuper quædam Joannis Bellici Bajonensis Epistola ad supremum Regiæ Præfectum ac Franciæ Marescallum hoc anno die decima octava Junii Londini data, in qua idem Episcopus Campegii fidem Cardinali Volsæo suspectam reddere nititur, eidemque falso exponit, quod Papa hunc Cardinalem in Angliam eo duntaxat consilio ablegasset, ut Anglis simul & Cæsareis deserviret, ipsumque negotium protraheret sub obtentu podagræ, qua hic Cardinalis laboraret. Utut res se habuerit, id certum est, quod Campegius sese itineri accinxerit; quinimo referunt nonnulli Scriptores omni tamen ratione destituti, quod Papa ad eundem Bullam Regis caussæ propitiam transmiserit, adeo tamen sollicite præcaverit, ut eadem nec unquam visa, nec caussæ successui ullo tempore utilis esse potuerit, præprimis vero novo huic Legato injunxerit, ne ulli alteri, quam Regi & Volsæo Cardinali illam ostenderet, mox tamen eam combureret; unde factum, ut hujus Bullæ tenor nunquam certo innotuerit(*). Conjiciunt nihilominus nonnulli,

Bellay.

Belcarius l. 19. Goduvi de Præs. Angl. Archiep. Eboracens, n. 57.

(*) *Hæc Epistola habetur in argumentis historiæ de divortio a Doctore Legrand scripta. Tom. 3. pag. 136.*

nulli, quod Papa Regi duntaxat fidem dediſſet, ſe nunquam hanc cauſſam ad Romanam Curiam revocaturum, ſed Legatorum ſententiam auctoritate ſua ratam habiturum. Exiſtimant alii, quod in hac Pontificis Epiſtola Matrimonium diſſolutum fuerit declaratum, ſi Regis preces Pontifici expoſitæ ex judicum ſententia veritati innitantur. Verum poſtrema horum conjectura unice ſuffulta videtur in eo, quod Angliæ Rex perlecto hoc diplomate ingens gaudium oſtenderet, econtra vero Papa illud a ſe conceſſum fuiſſe, ſummopere doleret; inde enim vero ſat ſimile eſt, quod per hanc Bullam cauſſa definita fuerit.

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

§. XLIII.

Moleſtia Volſæo Cardinali in hoc negotio creata.

Cum interea Henricus Rex lætitia exultare videretur, Volſæus Cardinalis intimo dolore afficiebatur, ejusque animi perturbatio eo magis augebatur, quo ardentius Romæ divortii cauſſa promoveretur; probe enim ſibi perſpectum habebat, quod ſemper, quemcunque demum ſucceſſum hoc negotium ſortiretur, ruinæ ſuæ proximus foret. hinc cum quadam die vel ſolito acrioribus perpetrati criminis ſcrupulis pugneretur,

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

retur, vel forte ad Regis Domini sui libidinem ipsus rubore suffusus esset, vel denique Annam Bolenam conscenso Regni solio ad ipsum perdendum, & propriam familiam eo altius extollendam unice intentam fore pertimesceret, Henricum adiit, eidemque exposuit, quod existimationi suæ ingentem prorsus labem hac agendi ratione inureret. Verum Rex Cardinalem, quem alias multis benevolentiæ signis honorabat, nunc durius recepit, atque ab illo temporis articulo Volsæus se Regis gratia penitus excidisse haud ultra dubitabat. Equidem lubenter Regno excedere voluisset, si fugam clam arripere tutum fuisset, & quamvis hoc consilium periculis plenum censeret, nihilominus jamjam prima ad discessum media excogitare cæperat. Præterea nova ubique ædificia constrúi curabat, utque populi favorem captaret, publicos reditus, quantum poterat, augebat, simulque literas ad Papam dabat, quibus eidem significavit, actum esse de se, nisi vicem ejus miseratus clementiam impertiatur: pariter Casalio scripsit eidem injungens, ut summum Pontificem rogaret, & obtestaretur, quatenus ei Bullam concedere velit, quam Regi ostendere posset. Præterea per quicquid sanctum sacrumque est, jurabat, hanc Bullam nullo unquam tem-

tempore a quopiam conſpiciendam fore; eoquod illa nullatenus pro promovenda judicii ſententia uti intenderet, ſed unice, ut per eam Regi demonſtrare valeret, quod Sanctitas ſua mente ſincera Henrico faveat, nec eum circumvenire voluerit, dum hæc verba pronunciabat: *Faciam Regis cauſſa, quicquid jure mihi facere licebit.* Poſtea in eadem epiſtola Cardinalis ſubjunxit; quod haud aliud ſuperſit medium, quo ſuam apud Regem auctoritatem tueri poſſet, ſi igitur eum hoc favore dignum cenſeret, viciſſim & ipſe pro defenſione, ac Sanctitatis ſuæ gloria, ſedisque Apoſtolicæ incremento omnia impendere, quin & propriam quoque vitam profundere velit. Sæcul. XVI. A.C. 1528.

§. XLIV.

Campegius Cardinalis in Angliam delatus.

Cum igitur Papa Volſæo multis nominibus obſtrictus eſſet, ejusdem votis annuere paratus erat, quin tamen propterea ſe penitus ejus arbitrio relinqueret, hancque ob rem Papa, dum Bullam Regi conceſſerat, præfatas cautiones adhibebat. Ea ergo ad Regem deferenda Campegio tradebatur, qui gravibus podagræ doloribus oppreſſus non- *Sander. l. 1. Guicc. l. 19.*

Sæcul. XVI. A.C 1528.

nonnisi ineunte Mense Octobri in Angliam venit. Comitabatur eum Rudolphus filius ejus secundo genitus; quippe, cum adhuc Patavii juris scientiam publice traderet, uxorem legitimo connubio sibi junctam habebat. Vix Angliam intraverat Cardinalis, cum illico Volsæus eum instanter rogaret, ut Bullam nonnullis Senatoribus ostenderet; illud enim Pontificis diploma ad alios, ac antea asseruerat, usus adhibere intenderat Volsæus. Ast Campegius insuperhabitis hisce importunis precibus palam profitebatur, sibi disertis verbis esse injunctum, ut Bullam nemini nisi Regi & Volsæo exhiberet. Henricus hanc agendi rationem vehementer indignatus, graviter conqueſtus est de summo Pontifice, qui tamen nullatenus Legatum suum increpabat, sed sine ambage hæc asserebat, Campegius rem bene gessit, ac mea jussa fideliter executus est; cum vero Volsæus mea bonitate abuti voluerit, me ei hanc gratiam concessisse pœnitet; de cetero ejus literas adhucdum teneo, Casalius etiam, & Gardinerus probe noscunt, sub quibus conditionibus hanc Bullam concesserim, hinc summopere mihi displiceret, si ea quibusdam Consiliariis ostenderetur; nam facile errore seducti rem, quam illicitam censebant, approbare possent,

Sæc. XVI. A. C. 1528.

possent, eorumque noxa in caput meum reverteretur: ideo cum Bulla intentum sortita sit effectum, comburatur; ego autem promissis meis integra fide stabo, si vero, quæ perperam fuere sparsa, probari possunt, hac de re judicium instruatur, statimque sententia Regi propitia confirmetur.

§. XLV.

Dubia fides hujus Bullæ a Papa Campegio traditæ.

Scriptorum quamplurimi hanc Clementis Papæ Bullam mere confictam existimant: Quid de ea sentiat Joachimus Le Grand in sua de divortio historia percipiamus, ubi sic loquitur: „ Credant alii de Clemente VII. Papa, quicquid velint, nullo tamen pacto comprehendi valet, qua ratione tamdiu „ falsa hæc opinio invalescere potuerit, quod idem Papa Bullam ediderit, qua Henrici octavi, & Catharinæ „ de Arragonia connubium irritum declarasse fingitur. Nam quamvis Papa Cæsaris indignationem incurrere „ veritus fuisset, Regisque Angliæ favorem conservare studuisset, ut autem utrumque assequeretur, certe „ haud opportunius suppetebat consilium, quam illud ipsum ab eo arre-

Le Grand hist. du divorce tom. 1. en douze p. 91

„ ptum,

Sæcul. XVI. A.C.1528.

„ ptum, vi cujus in id incubuit, ut caus-
„ sa judiciaria protraheretur, ac Hen-
„ ricus, ne eidem querendi ansa da-
„ retur, ea de re prius admoneretur, ei-
„ demque significaretur, quod facile si
„ juxta solitas juris leges acta instrue-
„ rentur, nimia judicii mora offendere-
„ tur. Henrico, ut perspeximus, hoc
„ Papæ consilium probabatur, atque i-
„ deo ipsus declarabat, se lubenter qua-
„ tuor aut quinque annis expectatu-
„ rum; ex his igitur aperte constat,
„ quod matrimonium suum quantocius
„ irritum declarari non postulaverit,
„ quamvis forte id in votis habuerit.
„ Quinimo ipse Volsæus, quamvis jamjam
„ ira commotus esset, nihilominus cum
„ Bullam, quam Regi exhibere posset, si-
„ bi a Papa concedi rogaret, nullatenus
„ matrimonii dissolutionem Pontifici
„ proponere audebat. Exstant etiam Vol-
„ sæi Cardinalis epistolæ, in quibus æque
„ ac in Casalii literis habetur, quod Pa-
„ pa, si Bullam, qua Henrici, & Cathari-
„ næ conjugium nullum declararetur,
„ dedisset, plus concessisset, quam ab eo
„ fuisset petitum: Id vero a Papa fuisse
„ factum credi haud potest; ipsus enim
„ sese manifesto, ne amplius hujus
„ caussæ decisio ab ejus auctoritate de-
„ penderet, periculo exposuisset; ac meri-
„ to timere debuisset, ne Angliæ Rex se-

„ cutus

„cutus fuiſſet exemplum Ludovici XII. Sæc. XVI.
„Galliarum Regis, qui poſtquam a Cæ- A.C. 1528.
„ſare Borgia tum Alexandri VI. Legato,
„literas Apoſtolicas, vi quarum ejus ma-
„trimonium cum Joanna de Francia nul-
„lum declarabatur, fuiſſe allatas com-
„pererat, mox Annam de Britannia Ca-
„roli VIII. viduam ſibi uxorem ducebat,
„ac nequidem Papæ Bullam conſpicere
„dignabatur. Præterea ex hiſce duabus
„Bullis, quæ circumferuntur, prima
„duntaxat affirmat, quod Papa Legato-
„rum ſententiam confirmare velit, nec
„etiam cauſſam ad Romanam Curiam
„ſit revocaturus, cum hoc vel maxime
„Henricus VIII. pertimeſceret; in alte-
„ra vero Papa permittit Regi, quod u-
„xorem, quamcunque velit, ducere va-
„leat, dummodo ejus connubium cum
„Catharina prius tanquam nullum de-
„claretur. Igitur in neutra ex his Bul-
„lis Pontifex ad quicquam præſtan-
„dum obſtrictus erat, quamprimum
„Cardinales ſententiam ferre recuſa-
„rent, cauſſamque ad Papam refer-
„rent, prout re ipſa ab eis factum fuit;
„quapropter Henricus VIII. nunquam
„hac Bulla in rem ſuam utebatur, ſed
„duntaxat in quadam epiſtola, in qua
„nec dies, quando dabatur, aſſignatur,
„& ſine ejus auctographo circumfer-
„tur, indeque ejusdem falſitas manife-

Sæc. XVI. A.C. 1528.

„ ſte probatur, in ea edixit, quod Papa ei-
„ dem quamdam Conſtitutionem tranſ-
„ miſerit. Hujus tamen Bullæ in ſuo de
„ vera obedientia tractatu nullam o-
„ mnino mentionem facit Gardinerus
„ Viacomienſis Epiſcopus, quamvis u-
„ nacum Campegio Roma Londinum
„ profectus, ac poſtea rurſus ad Papam
„ ut hoc negotium Romam evocari
„ prohiberet, mitteretur, atque in præ-
„ fato tractatu totis viribus Romanæ
„ Curiæ auctoritatem impugnaret. In-
„ ſuper tot ſuppetunt Auctores, qui ab
„ Anno Domini milleſimo quingente-
„ ſimo trigeſimo usque ad annum mil-
„ leſimum quingenteſimum trigeſimum
„ tertium ſuos calamos circa hoc di-
„ vortium exercuerunt, nullus tamen
„ eorum vel unquam querebatur, quod
„ Papa Bullam, qua hoc matrimonium
„ nullum fuiſſet declaratum, ediderit,
„ atque eam poſtmodum ſuppreſſerit.
„ Soli Scriptores ultramontani omnium
„ primi erant, qui falſo rumore dece-
„ pti, hujus Bullæ mentionem fecerunt,
„ quin tamen unquam, quid Henricus aut
„ Volſæus a Papa petierint, ſcirent, hinc
„ ex hiſtoricorum hallucinatione poſt-
„ modum popularis error enaſcebatur,
„ quem jam ceteri ſua quoque auctori-
„ tate fulcire ac propagare ſedulo ſtu-
„ debant. Teſtatur etiam Varillas,

„ quod

„ quod hæc Bulla nulla prorsus verisi- Sæcul. XVI.
„ militudine firmetur. Ut ut res se A.C. 1528.
„ habeat, id omnino certum est, quod
„ divortii causa propter prætensam *Varillas dans l'histoire de l'heresie lib. 9. pag. 370.*
„ hanc Bullam nullatenus promota
„ fuerit. „

§. XLVI.

Pax Pontificem inter & Cæsarem conciliata.

Cum interea Campegius Henricum Regem in Anglia varia spe detineret, summus Pontifex totus in eo erat, ut cum Cæsare pacis fœdus iniret; cum enim Gallorum res in Italia omnino deperditas, ac Lautrecum inter militum suorum cadavera & ipsum morte sublatum inaudiret, nunciatumque esset, quod pestilentia totum pene Gallorum exercitum consumpsisset, atque Neapolitana expeditio pessime succesisset, hinc Papa causas quærebat, ob quas a Franciæ & Angliæ Regum fœdere recederet. Querebatur itaque, quod Franciscus & Henricus datam ipsi fidem fefellissent, eoquod Venetos ad Ravennatem & Cerviam Sedi Apostolicæ reddendam non urgerent, prout tamen summa Religione promisissent. Hac ratione Pontifex insinuare voluit, quod Angliæ Regi haud mirum videri debeat, *Guicc. lib. 19*

Sæcul. XVI A.C. 1528

si in ejus caussa lentius procedat Pontifex, cum ipse Sacræ Sedi jus suum a Venetis tribui negligeret. Optabat quidem Papa, ut hæc sola ratio caussæ definitioni obfuisse crederetur; verum insuperhabita omni solertia Henricus, & Franciscus Reges brevi edocebantur, quod Pontifex in Hispania cum Cæsare de concordia ageret; unde hac super re querebantur; ast Pontifex sibi fixum in animo destinatumque esse ajebat, ut a neutrius partis studio minime recederet, has quoque suspiciones, quas temere inventas appellabat, ut penitus dissiparet, Campanam in Angliam ablegabat, qui de ejus amicitia Henricum denuo tutum redderet, eodemque tempore huic Legato literas tradidit, quibus Campegius Bullam, cujus supra meminimus, igne cremare, ac divortii sententiam, quantum posset, differre, disertis verbis jubebatur. Campegius quantocius diploma hoc flammis tradidit, ac deinceps novos obtentus quærebat, ut judicii acta retardarentur.

§. XLVII.

Catharina Angliæ Regina apud Cæsarem & Ferdinandum conquesta.

Ad differendam hanc sententiam non parum

parum conferebat Catharina Angliæ Regina. Hæc enim ſummis precibus apud Cæſarem, ac Ferdinandum Archiducem ambos ejus Nepotes inſtabat, ut illius patrocinium in ſe ſuſciperent. Querebatur de Regis propoſito & multo magis de Volſæi ſuggeſtione, ſimulque exponebat, quibus artibus ejus matrimonium nullum declarari niterentur; unde utriusque Principis opem conſiliumque efflictim implorabat. Ambo occaſionem, qua Henrico Regi negotium faceſſerent, læto animo captant, necnon Catharinæ Auctores exiſtunt, ut nihil de ſuis juribus remitteret, minus vero eorum conſiliis acquieſceret, qui ei ingreſſum in monaſterium ſuaderent; præterea Reginæ ſignificabant, ipſis apud ſummum Pontificem ſat auctoritatis eſſe, ut in ejus cauſſa, quod æquum eſt, decerni facerent, & ſi forte res ipſi deterius accideret, & usque ad extrema deduceretur, tunc ipſis non deeſſe media, quibus ſuæ Materteræ cauſſam potenter tuerentur. Igitur Catharina iſtorum promiſſis ſuffulta a ſuo Marito divelli conſtanter renuebat, ac cum Rege eadem qua antea, connubii ſocietate utebatur, nec propterea majorem morum gravitatem, aut animi mæſtitiam præſeferebat, ſed communem cum Rege lectum ac men-

Sæcul. XVI. A C. 1528.

Sæc. XVI. A.C. 1528.

sam semper habebat. Campegius quoque nomine summi Pontificis Henricum assiduis precibus hortabatur, ne Reginam suam dimitteret, eoquod ejusmodi divortio ingentem nomini suo labem inureret, potiusque in præsenti rerum vicissitudine belli, quod ei cum Cæsare immineret, rationem haberet: Cum vero Campegius Henricum his monitis minime permoveri cerneret, ac insuper funestos hujus negotii successus pertimescere, ex mandato Pontificis Catharinæ consilium dedit, ut ab Henrico sese sponte separaret, atque ad quoddam Monasterium se reciperet.

Cavendich. cap. 10. p. 22. & 23.

§. XLVIII.

Catharina ultro se a Rege separare, a Campegio admonita.

Cum vero maximæ difficultatis res sit, ut quis coronam, quam jure sibi impositam tenet, abjiciat, suamque libertatem missam faciat, quamdiu illa fruendi spes affulget, hinc Catharina ad Campegii propositionem surdas præbebat aures. Hanc Reginæ constantiam, siniſtrosque successus, qui inde orirentur, ambo Legati semper magis magisque pertimescere cæperant, quocirca Reginam adeunt, comitantibus eos Can-

Cantuarienſi Archiepiſcopo, Londinenſi Præſule, aliisque Prælatis. Hi unaomnes rurſum Reginam rogant, & obſecrant, ut cuidam Religioſarum Virginum cœtui ſeſe addiceret. Aſt illa ſine ambagibus mentem ſuam his verbis declarabat: „ Equidem ad ſacram „ monaſterii ſolitudinem ſemper pro„ penſum geſſi animum, dummodo hac „ in re plena mihi libertas relinquatur, „ cum vero ad id me vi adigere velitis, „ in connubio meo, ad quod Deus me „ vocavit, quamdiu vixero, perſiſtam. „ Ceterum merito Judicum, qui mihi „ dati ſunt, fides ſuſpecta videtur; hi „ enim per aperta mendacia a Rege „ potius extorti, quam a Papa miſſi, a„ liunde mihi infenſi ſunt, ac inter eos „ præcipue Volſæus, qui mala, quæ pa„ tior, unice ideo in me concitabat, eo„ quod Cæſar ejus ambitioni, qua ad „ Papatum adſpirabat, ſatisfacere ne„ glexiſſet, jure igitur hunc tanquam „ cauſſæ meæ judicem agnoſcere recu„ ſo, nec a defendendo jure meo deſi„ ſtere valeo, quin filiæ meæ juribus, „ quæ mihi propriis meis bonis cario„ ra ſunt, haud reparandum damnum „ inferam. „ His dictis alios Judices ſibi dari poſtulabat, eidemque permiſſum, ut ex Flandria aliquem Procuratorem, Advocatum, & Conſiliarium ac-

Sæcul. XVI. A.C. 1528

Sæcul. XVI A.C. 1528

cerſere poſſet. Nec Reginæ preces ſuo fruſtrabantur effectu, nam venerant in Angliam reapſe viri ab illa petiti, brevem tamen moram ibidem agebant, eoquod timeretur, ne ex eorum præſentia Angli ob injurias, quæ Reginæ inferebantur, ad ſeditionem concitarentur.

§. XLIX.

Novum diploma a Regina exhibitum circa ejus connubium.

Jam prius Regina exhibebat literas, quibus ei ad contrahendum ſuum connubium a Papa legis gratia olim facta fuerat. Equidem Legati hujus diplomatis auctoritati innixi, divortii cauſſam decidere cogitabant: verum Regina, ut jura ſua firmius tueretur, quoddam exhibebat exemplar alterius Pontificii diplomatis, quo amplior diſpenſatio eidem concedebatur, cunctaque prioris Bullæ vitia reparari videbantur. In præmio igitur hujus diplomatis Pontifex hunc in modum effatur: *Oblata nobis veſtræ petitionis ſeries continebat: Quod vos Henricus & Catharina cupiatis matrimonium inter vos per verba legitime de præſenti contrahere, ad hoc, ut vinculum pacis & amicitiæ inter ambos Reges diutius permaneat, qui ſine hoc connubio ſemper inter ſe diviſi eſſent, ad hoc ſupplicari*

plicari nobis feciſtis, ut vobis de opportu- Sæcul. XVI.
næ diſpenſationis gratia providere de beni- A.C. 1528.
gnitate Apoſtolica dignaremur: Nos, addebat Papa in ipſo Bullæ contextu, *hujusmodi ſupplicationibus inclinati vobis, ut impedimento affinitatis nequaquam obſtante matrimonium contrahere poſſitis, diſpenſamus, etſi Arturus matrimonium carnali copula cum Catharina conſummaviſſet.* In priori vero Bulla diſertis verbis expreſſum legebatur, quod juxta petitionis ſeriem ab Henrico & Catharina expoſitam matrimonium Catharinæ cum Arturo *forſitan* fuerit conſummatum. Equidem Catharina nonniſi hujus diplomatis apographum proferebat, teſtabatur tamen, ejus authographum in Hiſpania aſſervari, ipſosque Hiſpanos fateri, quod illud adhucdum teneant, atque ex ſcriniis Miniſtri Pueblæ extraxerint, qui tempore connubii a Catharina initi apud Anglos hujus Nationis Legatum agebat. Ut igitur huic facto veritas conſtaret, quantocius ad Vigornienſem Epiſcopum nec non ad Lée Doctorem Hiſpaniæ legatos literæ expediuntur, quibus præfatum diploma ubique in Regno exquirere jubebantur: Verum eorum ſolertia omnino inutilis, nec unquam diploma fuiſſe repertum videtur. Hanc in rem pariter Romam decernebantur Franciſcus Brianus, &

Sæc. XVI. A.C. 1528.

Petrus Vannesius, nec minus hos quoque Procuratores paulo post sequebantur Knyghtus, & Benetus Doctores, qui juncta cum eis opera huic negotio insudarent.

§. L.

Propositiones ab Angliæ Rege summo Pontifici expositæ.

Ambo hi Oratores Lutetiam Parisiorum venerunt, ubi Franciscus Rex eis literas tradidit, quibus Legati, quos Romæ habebat, jubebantur, ut illis, qui in favorem Henrici agunt, sese adjungerent. Vix Oratores Romam pervenerant, cum illico præfatas Regis literas illis, ad quos directæ erant, redderent, ac postmodum in Cancellaria Romana illud diploma, cujus exemplar produxisse, Catharina existimabat, summa sollicitudine quærerent; ast cum omnem diligentiam incassum adhiberi cernerent, plures Pontifici articulos proponebant, eosque, cum illos proferre clam jussi essent, velut suo nomine exponebant. Collimabant illi præcipue, ut ad dirimendum divortii negotium opportuna excogitarentur media, quorum plura Legati exponebant, quæ celebriores juris Pontificii Doctores, presso tamen nomine, Romæ discusserunt

runt, eo consilio, ut perspici valeat, quænam ex iis tuto in usum deduci possint: Cum vero Veneti Ravennatem & Cerviam urbes, quas summus Pontifex sibi restitui petebat, adhucdum detinerent, Legati, ut Papam ad acceptandas hasce propositiones inclinarent, pollicitisunt, quod Angliæ & Franciæ Reges præfatas urbes bis mille præsidiariis firmaturi essent. Equidem tam valido præsidio Venetorum consilia, quibus ambas hasce civitates sibi vendicare moliebantur, everti potuissent, nec tamen inde pristinum in has urbes dominium Sedi Apostolicæ reddebatur, prout summus Pontifex peroptabat. Sæcul. XVI. A.C. 1528.

§. LI.

Aliæ propositiones ab Henrici VIII. Legatis factæ.

Cum igitur Legati probe cognoscerent, quod ejusmodi propositio, quam tamen acceptari cupiebant, Papæ votis plene non satisfaceret, hinc simul eundem admonebant, ut nunc magis quam unquam Cæsaris fidem sibi suspectam haberet, penitusque a firmando, quod cum illo sanxerat, fœdere abstineret, eoquod Imperator totus in eo esset, ut eum utpote ex clandestino matrimonio natum solio deturbaret, in ejusque locum

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

cum Cardinalem Quignonum *de Angelis* dictum intruderet, simulque Ecclesiæ ditiones penitus suæ potestati subjiceret; ut ergo se suaque bona adversus tam perniciosa Cæsaris molimina defendere, ac tueri possit, nullum magis opportunum medium occurrere ajebant, quam si immota fide Angliæ ac Franciæ Regum fœderi addictus persisteret, atque auxilia ab illis eidem oblata acceptaret. Hisce propositis Legati, perinde acsi hæc suo duntaxat nomine sciscitarentur, a Papa petebant, utrum Regi novum matrimonium ineundi facultatem concederet, prolemque ex secundis nuptiis progenitam legitimis natalibus restitueret, si Regina in quodam Monasterio sese Deo consecraret, vel si eadem Religiosæ familiæ sese addicere nollet, nisi saltem Rex quoque in cœnobium se concluderet, & Regina perpetua votorum sponsione sese obstrinxisset, in hoc casu Legati sciscitabantur, an Papa Henricum a voti sui vinculo solvere, eidemque ad secundas nuptias transeundi libertatem impertiri vellet. Præter hæc cum Clementem Papam naturæ vitio valde timidum esse scirent, audacter eidem significabant, nisi Henrico Regi faveret, nil certius fore, quam Angliæ Regnum ab eo defecturum,

rum, cum Angli obedientiam Sacræ Sedi subtrahere omnino parati essent. Sæcul. XVI. A. C. 1528.

§. LII.

Papæ responsum ad Legatos Regis Angliæ.

Ad hæc Pontifex inter suspiria hunc in modum respondit „ malleum in„ ter & incudem positus, quocunque „ me verto, me in præcipiti ac lubri„ co versari conspicio, & in nulla alia „ re huic malo præsidium restat, quam „ in Dei auxilio, qui Ecclesiam suam „ nunquam derelinquit. De cetero plu„ ra, quam a me, salva Religione ex„ pectare poterat, obsequia Regi præ„ stiti, cum caussæ suæ judicium duo„ bus Legatis eidem addictis commi„ serim. Ast ne hoc quidem favore „ contentus, ad ampliora me compel„ lere molitur, quæ tamen concedere „ haud valeo, quin Ecclesiæ leges hu„ cusque in simili eventu observari so„ litas transgrediar, ac palam, ut ei ob„ sequar, Cæsaris, atque Archiducis „ fratris sui gratiam, Catharinæ inno„ centiam, sedisque Apostolicæ hono„ rem, dignitatem, & commoda in dis„ crimen adducam. Nimia petit „ Rex vester, saltem tolerare deberet, „ ut caussæ decisio relinqueretur judi-

„ cio

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

„ cio Legatorum, quibus hoc negotium „ est demandatum, illud vero si hucus- „ que tardius processit, non mihi vitio „ vertendum, si autem Campegius ne- „ gligentiæ accusandus venit, in hoc „ mandatum meum transgressus est.„

Hoc responso Pontifex haud obscure ea, quæ animo volvebat, Legatis significavit, quapropter illi Regi suo palam fecerunt, nullam ipsi spem in Clementis favore repositam esse, idque unicum restare remedium, ut causſam a Legatis definiri quantocius juberet.

§. LIII.

Clementis Papæ propensio in Carolum Cæsarem.

Enimvero summus Pontifex, cum Gallorum res in Italia penitus deperditas cerneret, magis quam unquam Cæsaris indignationem incurrere verebatur, atque ultra suum erga eum studium occultare adeo sollicitus non erat, quin Campegius in Anglia publice profiteretur, nullum a sua Sanctitate favorem esse expectandum, quamdiu Cæsarei in Italia ceteris potentia prævalerent, & Veneti Ravennatem & Cerviam urbes summo Pontifici restituere cunctarentur. Id quoque a nemine amplius in dubium vocabatur, postquam Londinum vene-

venerat Vincentius Caſalius, qui proli- Sæcul. XVI.
xam Equitis ac Protonotarii Caſalii, A.C. 1528.
cujus Nepos erat, epiſtolam attulit, in qua penitus cuncta deſcribit, quæ inter ipſummet & Clementem Papam geſta fuere circa ſecretam illam Bullam, quæ tum adeo celebrabatur, atque a Campegio ex mandato, quod ſub idem tempus Protonotarius Gambara attulerat, combuſta dicebatur, cum tamen omnes hæ literæ, quæ hanc in rem circumferrentur, nullam omnino mentionem faciant de confiſto hoc diplomate, quamvis ceteroquin Caſalium & Gambaram adventaſſe referant.

§. LIV.

Abolitio plurium Monaſteriorum a Volſæo Cardinale pro ſuo Collegio impetrata.

Cum interea Angliæ Rex matrimonium ſuum diſſolvi ſedulo curaret, Volſæus Cardinalis totus in eo erat, ut Oxonienſe & Gippevicenſe Collegium annuis reditibus augeret; cum vero ejusmodi liberalitatem tam Regi quam Clero pergratam cerneret, ad ampliora negotia ſuam ſollicitudinem extendit, atque alia Monaſteria ſupprimere, novos Epiſcopatus erigere, necnon Abbatias in Cathedrales Eccleſias convertere ſtatuit.

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

ſtatuit. Ea res in quodam Senatu Cardinalibus proponebatur, qui Volſæi conſiliis ſuffragati ſunt, prout colligitur ex quadam Caſalii epiſtola die trigeſima Octobris data. Præterea Volſæus ſibi cuncta Angliæ Monaſteria luſtrandi facultatem concedi poſtulabat. Annuit quoque Pontifex, eidemque hanc in rem Apoſtolicas literas die quarta Novembris expediri juſſit. Minus tamen facilem Volſæus habebat Pontificem, dum de abolendis quibusdam Monaſteriis agebatur; cum enim Gardinerus arrogantius Pontifici exponeret, quod petitam Conventuum ſuppreſſionem neceſſitas ſuaderet, eamque fieri omnino oporteret, Papa aliquamdiu in ancipiti cura verſabatur; forte enim Religioſos rurſum concitare pertimeſcebat; nihilominus cum aliunde ejus cunctatio Regi permoleſta accideret, eidem ſaltem in hoc ſatisfacere ſtuduit, ut ejus clienti, quicquid pro erectione ſui Collegii petebat, concederet.

§. LV.

Scotiæ Regimen a Jacobo V. Rege aſſumptum.

Hoc anno in Scotiæ Regno penitus mutata erat rerum facies, eoquod Margarita Regina connubium ſuum cum Angu-

Anguſii Comite initum omnino invali- Sæc. XVI.
dum declarari peteret, ſimulque ſecun- A.C. 1528.
dis nuptiis ſeſe Henrico Stuarto con-
jungeret, proin potentem ſibi factionem
conciliaret. Nec tandem inde plena
fruebatur tranquillitate; adhuc enim
ægerrime ferebat, quod Rex filius ſuus
ſub tutella Anguſii Comitis, Georgii
Duglaſſi ejus fratris, & Archimbaldi
horum Patrui eſſet; cum ergo hi juve-
nem Regem ad arbitrii ſui nutum cir-
cumferrent, Regina horum imperium
excutere ſtatuit, quapropter Regi ſi-
gnificari præcepit, ut fuga clam arre-
pta ſeſe Sterlingam reciperet. Exe-
quitur juvenis Princeps Matris ſuæ con-
ſilium, tamque ſcite ac commode tem-
pus ad fugam capit, ut feliciter ſeſe in-
ſequentium ſolertiæ ſubduceret, ac Ster-
lingæ edictum promulgari juberet, quo
cautum, ne ab ullo Duglaſſus tanquam
Regni Adminiſtrator agnoſceretur, eo-
demque tempore eidem inhibuit, ne
aulam accedere præſumeret. Equidem
Anguſius Comes variis mediis Regem
denuo ſuæ poteſtati ſubjicere nitebatur;
verum inania ſemper erant ejus moli-
mina; nec fortuna magis proſpera ute-
batur Duglaſſus, qui usque ad Edinen-
ſis urbis portas infeſtis armis excurre-
bat. Nihilominus juvenis Rex ibidem
die quarta Septembris Senatores ſuos

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

congregari præcepit, ac paulo post ipsus eo advenit, simulque sententiam promulgavit, qua omnia Duglassi bona Regis ærario addicebantur. Re comperta Henricus VIII. Angliæ Rex ad Scotiæ Regem suos decernebat Legatos, qui pacem inter dissidentes conciliarent; ast illi haud amplius quam quinquennales impetrabant inducias, quæ etiam Bervici utrinque initæ, ac die decima quarta Decembris Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo firmatæ fuerunt. Præter hæc pacta specialis sanciebatur articulus, quo Duglassenses in Angliam venire, permittebantur, ea tamen lege, ut urbes, quas in Scotia adhuc possidebant, eorum Regi redderent; si vero ad Regnum reverterentur, ac ibidem tumultus suscitarent, Henricus hæc damna, perinde acsi a propriis ejus subditis fuissent illata, reparare teneretur.

§. LVI.

Dissidia Erasmum inter & Eppendorfium.

Erasm. epist. 53. lib. 30. pag. 19. 40. epist. 46. lib. 30. pag. 1633

Ad hæc usque tempora celebris Erasmus hoc fatum tulit, ut non minus omnibus, quibus ejus merita plene erant cognita admirationi esset, quam cavillationibus exponeretur illorum, quibus

quibus vel ejus excellentia, vel sentiendi libertas displicebat. Hanc ob rem inter ipsum & Eppendorfium recens exoriebatur controversia. Is erat quidam Germaniæ Nobilis, cujus nomen forte literato Orbi haud cognitum fuisset, nisi per controversiam cum Erasmo agitatam inclaruisset: erat autem hæc contentionis occasio. Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo quarto Udalricus Huttenus inter Poetas longe mordacissimus, ac nonnisi acerbis facetiis suis clarus Basileam venit; cum ergo non modo adversa valetudine sed etiam omnium rerum inopia premeretur, Erasmo per Eppendorfium significari fecit, quod eidem colloquendi desiderio flagraret. Existimabat Erasmus, quod officiosa hac salutatione aliorum invidiam sibi accerseret, imo potius verebatur, ne Huttenus, cum nullibi tuto consisteret, forte in ejus ædibus domicilium figere quæreret, hinc Eppendorfium rogavit, ut Huttenum quantum posset humanissime induceret, ne Erasmum inviseret. Primo equidem Huttenus hanc excusationem æquo ferebat animo, nihilominus varia Erasmi domum intrandi media tentabat, semper tamen siniſtro successu; quocirca hanc repulsam indignatus Mulhusium sese recepit; ut vero injuriam ul-

Sæc. XVI. A.C 1528.

Sæcul. XVI. A C. 1528.

ciſceretur, libellum maledico admodum calamo conſcriptum adverſus Erasmum edidit. Nec tamen deerant, qui Hutteni Sarcaſmos refellerent; Eppendorfius tamen totus in eo erat, ut Huttenum vindicaret, non ſine gravi Erasmi indignatione, qui Nobilem hunc Virum hucusque ſuos inter amicos numerabat, nec mente ſua aſſequi poterat, quid tandem Eppendorfium ad tuendas Hutteni partes impuliſſet. Ea igitur agendi ratio Eraſmo permoleſta accidit, palamque hac de re queſtus eſt; verum ejus dolorem nonnulli augebant, cum etiam Eppendorfio narrarent, quod Eraſmus adverſus eum acerbas ad Georgium Saxoniæ Ducem literas dediſſet. Quamvis quidem hujus accuſationis veritas nullo conſtaret argumento, nihilominus Eppendorfius ira accenſus Baſileam venit, ut cum Eraſmo publice judicio contenderet. Accurrunt utriusque partis amici, qui inter diſſidentes pacem conciliare ſatagunt. Hos inter præcipui erant Rhenanus & Beruſus, quibus utriusque partis querelas excipiendi, litemque ſopiendi negotium dabatur. Erant illi in Eraſmi ædibus, illucque Eppendorfius accedens, epiſtolam ab Eraſmo ad Ducem fuiſſe ſcriptam pertinacius contendebat, quapropter poſtulabat. I. Ut Eras-

Sæcul. XVI. A C. 1528.

Eraſmus ea, quæ ſcripſerat, revocaret. II. Eppendorfio librum nuncuparet, in quo læſum illius honorem repararet. III. Ad tuendam ejus innocentiam literas Saxoniæ Duci perſcriberet. IV. Denique Eraſmus pro injuria, quam Eppendorfius ſibi illatam reputabat, pauperibus mulctæ nomine trecentos aureos penderet, nimirum Baſileenſibus centum, Argentinenſibus vero ducentos. Ad hæc Eraſmus reſpondit, præfatam quidem epiſtolam nunquam a ſe fuiſſe ſcriptam, ſi tamen vel calamo vel opere Eppendorfium offendiſſet, paratum ſe eſſe, ut eum datis literis placaret, atque etiam eidem librum inſcriberet, ac denique miſſa ad Saxoniæ Ducem epiſtola illius honorem defenderet; de cetero exiſtimare ſe ajebat, quod longe conſultius foret, ut de pecuniis, quas erogaret, nulla omnino mentio fiat, ne ejus adverſarius ſpe lucri litem intentaſſe videatur. Annuit Eppendorfius primis duobus articulis, quos Eraſmus adimplere ſpoponderat, firmius vero inſiſtebat petitæ pecuniarum ſummæ.

§. LVII.

Sententia contra Eraſmum pro Eppendorfio lata.

Jam tertia dies effluxerat, qua fervide ultro citroque diſceptabatur, tandem

Sæcul. XVI A.C.1528.

vero litigantes duorum arbitrorum decisioni stabant. Hi erant Bonifacius Amerbachius & Rhenanus, qui Ludovico Berusо, & Henrico Glareano præsentibus sequentem tulerunt sententiam. „ Quoniam nobis diffidii vestri „ decisionem eo fine reliquistis, ut tan„ quam finceri amici rursus vicissim in „ gratiam redeatis, ideo videtur nobis, „ quod ad evitandum omne odium, at„ que ad pacem vere Christianam inter „ vos reddendam Erasmus primos duos „ articulos, prout sancitum fuit, exequi „ teneatur. Tertio autem ut satisfa„ ciat, ad sublevandam pauperum mi„ seriam duntaxat viginti florenos pen„ dat, juxta arbitrorum voluntatem ero„ gandos, quin tamen ulla litigantium „ pars propter hanc sententiam fugilla„ ri valeat; unde inter illos nec amplius „ contentiones, aut suspiciones versen„ tur, sed si quæ forte controversia o„ riatur, amice ac benevole componatur „ omniumque præteritorum memoria „ aboleatur, perinde ac si nunquam ali„ qua fuissent dicta vel facta. Datum „ Basileæ die altera post Purificatæ Vir„ ginis festum Anno reparatæ Salutis „ millesimo quingentesimo vigesimo o„ ctavo. „

Huic sententiæ ambo litigantes acquievere, atque in reconciliationis signum

gnum in mutuos ruebant amplexus, quinimo postera die in una mensa simul prandium sumere jubebantur, nihilominus nil propius esse videbatur, quam ut bellum inter eos recrudesceret; quippe Eppendorfius sumpto prandio Erasmum admonebat, ut epistolam, quam ad Saxoniæ Ducem scribere promiserat, in promptu haberet; cum vero ad hæc Erasmus, se duntaxat ad Ducis Cancellarium literas daturum responderet, mox inter eos tam acris exoriebatur contentio, ut ambo non sine indignatione discederent. Sæcul. XVI. A. C. 1528.

Altera die Erasmus ad Saxoniæ Ducem perscripsit epistolam, quam tamen necdum sigillo munitam Eppendorfio transmisit, cui hæc Erasmi satisfactio grata accidit: paulopost tamen in vulgus perperam spargebatur, quod Erasmus ejusmodi concordiæ pactis consenserit, quæ ejus nomini haud levem maculam inurerent: Quinimo ipsemet Eppendorfius, necnon alii Lutheri erroribus infecti ubique divulgabant, quod Erasmus non sine infamiæ nota condemnatus, conditiones honesto Viro indignas inire compulsus fuerit. Erasmus falsos hosce rumores edoctus, scripta apologia totam rei gestæ seriem, necnon rationes, quibus ad acceptandam sententiam urgebatur, exposuit. Huic

Sæc. XVI. A.C. 1528.

libello hanc præfixit inscriptionem: *Adversus mendacium & obtrectationes utilis admonitio.* (*) Ast haud segnior Eppendorfius illico Erasmi librum confutabat, in hac tamen sua apologia hæc effatus est: nunciatum mihi est, quod etiam post concordiam inter nos redditam nomen meum dente maledico carpere pergas; id tamen haud credere possum, donec mihi ostensæ fuerint literæ, quibus me tanquam totum ex mendacio compactum traduxisse accusaris. Præterea ex eodem Eppendorfii libello discimus, quod is Friburgi, quod quoddam Misniæ oppidum est, natus patriam suam reliquerit, ut sese humanioribus scientiis excoleret, Magisterio usus celeberrimi Zadii in jurisprudentia Doctoris; postea memorat, quod dudum Argentinæ moratus ferventibus dissidiis, quæ ex spuria Lutheri reformatione a variis factionibus in Germania suscitata fuere, neutri parti accesserit.

§. LVIII.

(*) Eppendorfius huic suæ apologiæ titulum præfixit: *Ad D. Erasmi Roterodami libellum, cui titulus:* Adversus mendacium, & obtrectationes utilis admonitio, *justa querela.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1528.

§. LVIII.

Numalii Cardinalis obitus.

Hoc anno Sacrum Purpuratorum Collegium nonnisi unius Cardinalis obitum plangebat. Is erat Christophorus Numalius patria Forolivienſis, mira ingenii acie præditus, quocirca cum jam a teneris annis literarum ſtudiis incumberet, eximiam prorſus doctrinam aſſequebatur. Verum nequioris ſæculi tædio affectus habitum S. Franciſci induit, ibidemque Philoſophicis æque ac Theologicis diſciplinis tam ſedulam navabat operam, ut Doctoris laurea decoratus ſuis fratribus Theologiam traderet, cumque inſignem vitæ ſanctitatem cum profunda eruditione conjungeret, primo in Curia Romana progerendis Ordinis ſui negotiis Commiſſarius, poſtea Vicarius Generalis, ac demum in comitiis Generalis Miniſter electus eſt. Hic Gallorum Regi percarus erat, atque juxta Ciaconium Ludovicæ de Sabaudia Reginæ, quæ Franciſci I. Mater erat, conſcientiam moderabatur: Anno autem Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo die vigeſima ſexta Junii illum Leo X. ad Cardinalis dignitatem, & Presbyterum tituli S. Bartholomæi in Inſula,

Ciacon. in vit. Pontif. part. 3. p. 394 Luc. Wading. in annal. Minor. Caſp. Longelin. in Elog. Card. Ord. Minor. Ferd. Ughel. in addit. ad Ciacon. & in Ital. ſacra. Aubery vie des Card.

Sæcul XVI. A.C. 1528.

postea S. Mariæ in Aracœli nominavit: Demum vero Isernienſem & Alatrienſem Eccleſias regere coactus in Franciam poſt adeptum Cardinalatum profectus eſt: eo tamen tempore, quo a Cæſareis capta eſt, Romanam urbem incolebat plurima perpeſſus a militibus Lutherana hæreſi infectis, qui eundem captum abſtraxerunt, eoquod apud illum, cum a divitiarum ſtudio longe alieniſſimus eſſet, nihil omnino reperirent, quo ſuam avaritiam ſatiare poſſent. Poſt ſpoliatæ urbis liberationem Chriſtophorus Anconam ſe recepit, ubi etiam Anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo vigeſimo octavo die vigeſima tertia Martii e vita migravit: ejus autem corpus paulo poſt Romam delatum in Eccleſia, cujus titulum gerebat, ſepultum eſt.

§. LIX.

Jacobi Wimphelingi extrema.

Trithem. & Bellarm. de Script Eccl. Paul. Longe in chron. Citizen. p. 886. Lilius Giraldus dialog. 2. de poetis ſui temporis.

Eodem anno decima ſeptima Novembris Jacobus Wimphelingus obiit Sletſtadii, ubi anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono primam lucem aſpexit. Hic poſtquam humanioribus literis a Dongibergo Veſtphalo Sletſtatenſis Collegii Rectore imbutus erat, ſtudiorum curriculum abſoluturus Friburgum, poſtea Baſileam, Hei-

Heidelbergam, ac denique Erfordiam contendit, ubi juri Canonico, ac Theologiæ operam navabat. Eminuit vero præprimis in eloquentiæ, artisque poeticæ ſtudio, in quo pro illius ævi ratione excellebat. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto Spiram accerſebatur, ut ibidem verbi divini Præconem ageret, idque ſacrum Miniſterium non ſine magna nominis ſui fama obibat, tandem vero rebus mortalibus valere juſſis, totum ſeſe Deo devovit, ejusdemque inſtituti ſocium ſibi adjunxit Chriſtophorum Uſenheimium amicum ſuum, qui itidem vir erat virtutum exemplo longe clariſſimus, paulo poſt tamen e ſacra ſolitudine ſua evocatus gravi Epiſcopatus oneri humeros ſuos ſupponere jubebatur. Felicior erat Wimphelingus, qui juxta pauperis Chriſti Domini exemplar ſacro otio frui permiſſus, indies magis magisque animam ſuam omnibus virtutum ornamentis ita excollebat, ut tranquillum hoc vitæ genus nullatenus eum præpediret, quominus Heidelbergæ ſacras litteras publice traderet, aptosque ad juventutis inſtitutionem libros conſcriberet, necnon Sacerdotes ad morum integritatem, ſanctitatemque hortaretur. Quosdam inſuper adoleſcentes liberalibus diſciplinis erudiendos ſuſcepit; hos inter

Sæcul. XVI. A C 1528.

Eraſm. l. 23. ep. 10. Dupin. Bibl. des auth. Eccleſ. tom. 14. au. 16. Siecle pag. 116.

Sæcul. XVI. A.C. 1528.

inter præcipui erant duo ejusdem Nepotes Jacobus Spigelius & Joannes Majus, necnon Wolfgangus de Leveſtaing, & Jacobus Sturmius, qui omnes magnam eruditionis ſuæ gloriam ſibi comparabant.

Cum vero Wimphelingus Eccleſiaſticorum, æque ac Monachorum mores liberiori cenſura perſtringeret, horum indignationem in ſe concitabat; quapropter Fratrum Eremitarum S. Auguſtini inſtinctu, licet multo ſenio preſſus hernia laboraret, Romæ comparere jubebatur, eoquod in quodam ſuo opere tenuiſſet, quod S. Auguſtinus nec Monachus fuerit, nec prolixam barbam nutrierit, minus vero caputium, atque cingulum ex corio geſtaverit, prout tamen Auguſtinum præfati Religioſi exhibere ſolebant. Porro Trithemius Wimphelingo auctor exſtitit, ne ſe futilibus ejusmodi diſputationibus implicaret, eoquod, inquiebat ipſe, parum referat, an ſanctus iſte Doctor Rochetto vel caputio indutus inceſſerit. Attamen Wimphelingus Romam adire recuſabat, jam contentus, quod ſuam opinionem, agendique rationem edita apologia plurimum dilaudata vindicaſſet. Ejus quoque cauſſam Conradus Peutingerus patria Auguſtanus, necnon Jacobus Spigelius Romæ defendendam ſuſcipie-

scipiebant, suoque munere tam præclare fungebantur, ut Julius II. litem non sine Wimphelingi gloria decideret. Ceterum præclarus hic Doctor, cum unitati Ecclesiæ apprime addictus esset, tumultibus ac dissidiis, quæ Lutheri secta ubique suscitabat, tantopere commovebatur, ut tædio confectus extremum diem obiret. Eo fatis functo ambo ejus Nepotes Jacobus Spigelius, & Joannes Majus ad secretiora Cæsaris consilia admittebantur. Sæcul. XVI. A. C. 1528.

§. LX.

Wimphelingi opera.

Scripsit Wimphelingus tam ligato quam soluto sermone quamplurimos libros tam de Ecclesiasticis quam profanis argumentis, eorumque Catalogus habetur in præfatione ad quamdam orationem, quam ipse de Spiritu sancto habuit, & Regnianus Philosius Argentinæ Anno Domini millesimo quingentesimo decimo sexto publici juris fecit. Ea igitur opera, quæ ibidem referuntur, impræsentiarum recenseamus: ex his præprimis exstant tractatus de institutione & educatione puerorum; de elegantiis latini idiomatis; tres libri carmine elegiaco conscripti *de triplici candore B. V. Mariæ;* alius liber de puritate

Sæcul. XVI. A. C. 1528.

te unacum apologia; tractatus de frugalitate adversus eos, qui beneficiis provisi sunt. Scripsit item Epitomen rerum sive Imperatorum Germaniæ; tractatum de adolescentia, alios de Germanorum Historia; Apologiam pro Republica Christiana; librum de Hymnorum Ecclesiasticorum Auctoribus; necnon quatuor Evangelistarum compendium. Insuper præter suas Epistolas, poemata, Historias, pluraque alia opuscula, idem etiam elucubravit Soliloquium ad laudem Principum ac Germaniæ Procerum; Beatæ Virginis, & D. Josephi Officium, & Statuta Synodica, quæ Basileensis Episcopi jussu ediderat.

Eidem etiam attribuuntur tractatus in laudem Ecclesiæ Spirensis, alius de Episcopis Argentinensibus, necnon de vita Dietheri Archiepiscopi Moguntini. Edidit quoque alium tractatum, cui titulus: Concordia Parochorum, & FF. Mendicantium, in quo libello enormes recenset errores, quos quidam Monachus nomine Martinus de Hanovia præter millenas facetias pudori ac Religioni adversas spargebat, ibidemque Wimphelingus Regulares ex eo capite redarguit, quod Sæcularium causas dijudicandi, ac eos condemnandi libertatem sibi arrogent. Denique Parochos hortatur,

tatur, ne Religioſorum inſtituta convi- Sæcul XVI.
tiis proſcindant, contemnant, aut ali- A.C. 1528.
unde eisdem moleſtias inferant; oppo-
nit etiam veterum Monachorum vitam
modernorum moribus, contenditque,
Parochorum æque ac Monachorum cu-
ram in eo ponendam eſſe, ut communi
ſtudio Eccleſiæ bonum promovere ſa-
tagant.

Ceterum cunctis Wimphelingi ope-
ribus tam eloquentia quam utilitate præ-
ſtat tractatus de puritate Sturmio nun-
cupatus. In eo probrum ſibi objectum
diluit, quo redarguebatur, quod Apo-
logiam ſuam pro Republica Chriſtiana
contra Clericos beneficiis proviſos haud
ſcripſerit alio ex fine, quam ex eo, quod
ipſe ejusmodi beneficium aucupari haud
potuerit: igitur hanc in rem ita effatur:
duo beneficia, quæ Bertholdus Mogun-
tinus Archiepiſcopus mihi obtulerat,
acceptare recuſavi, ſemperque mihi ab-
ominationi erit eorum corruptela, qui
non raro in eadem urbe quatuor aut quin-
que Eccleſias regunt, pluresque *præ-
bendas*, dignitates ſeu *Perſonatus*, ac
nonnunquam alia etiam beneficia per
alios Clericos poſſident; imo ſe viros
noviſſe ajebat, qui viginti tria aut om-
nino viginti quatuor beneficia ſibi ven-
dicabant. Poſtea agit de puritate Sa-
cerdotum, atque ad conſervandam hanc
virtu-

Sæcul. XVI. A. C. 1528.

virtutem remedia præscribit, graviter questus de quodam viro, qui, quamvis diuturna ei familiaritate junctus fuisset, nihilominus illum apud Raymundum Papæ Legatum accusabat, quod Religiosos perperam infectaretur; hanc itaque calumniam diluere intentus palam profitetur, quod omnes probos Religiosos amore complectatur, eosque magni faciat, illos vero execretur Monachos, qui præter habitum & tonsuram nil cum vero Religioso commune habent, sed superbia, & ambitione pleni populum suis seducunt sermonibus, in quibus viam ad cœlum expeditam, necnon pro gravibus etiam noxis nonnisi levem pœnitentiam esse injungendam tradunt, divitibus blandiuntur, sacras Virgines circumveniunt, cunctos Theologos sæculares convitiis lacessunt, ac ne ipsi quidem Gersonio parcunt. Postea redarguit eos, qui Ecclesiæ proventus ad luxum vel voluptates convertunt, & pauperes alere negligunt. Denique observat, quod natura hominis paucis contenta sit, proin Presbyter cum mediocri proventu vitam honeste sustentare valeat.

In eodem opere quasi per transennam quæstionem, an D. Augustinus Monachorum instituto nomen dederit, pertractat, asseritque, quod sanctus hic Doctor

ctor nec fuerit Eremita, nec ad S. Benedicti Regulam (*), nec ad Monachorum Mendicantium inſtitutum vixerit; ſi enim, inquit Wimphelingus, ejusmodi vitæ genus fuiſſet profeſſus, certe in libris Confeſſionum de eo mentionem feciſſet; his addidit, quod Poſſidius, qui magni hujus Doctoris vitam conſcripſit, certe illum laudibus haud celebraſſet ex eo, quod nullum condiderit teſtamentum; id enim ei prohibitum fuiſſet, ſi unquam Monachum induiſſet, proin hoc, quod inteſtatus deceſſerit, nullum laudis argumentum ſubminiſtrat. Nihilominus ipſemet tria, quæ ejus opinioni objici poſſent, proponit argumenta; nam primo ſcriptum reperitur, quod hic Sanctus omnibus bonis nuntium miſerit, ac in ſua Eccleſia cœnobium erexerit. II. Idem Monachorum veſte indutus depingitur, ac marmorea ſtatua

Sæcul XVI. A. C 1528.

(*) Hæc typis errore irrepſiſſe arbitramur; quis enim ignorat. S. Auguſtinum jamjam anno Domini quadringenteſimo trigeſimo e vivis exceſſiſſe: S. Benedictum vero nonniſi Anno Salutis quadringenteſimo octogeſimo primam lucem aſpexiſſe, ſacramque ſuam Regulam primum Anno quingenteſimo vigeſimo vulgaſſe, ac tandem circa annum quingenteſimum quadrageſimum tertium objiſſe.

Sæcul. XVI. A C. 1528.

statua in Beatæ Virginis Templo regnante Sixto IV. Pontifice fuit inventa, cui insculptum erat epigrama, ex quo colligebatur per hanc statuam repræsentari cujusdam Eremitæ S. Augustini effigiem. III. Exstant quidam S. Augustini sermones ad Fratres Eremitas. Verum cunctæ hæ rationes Wimphelingo admodum frivolæ videntur, facilique negotio eis respondet, dicens: I. Sanctus Augustinus reapse quidem mundanis rebus valedixit, eo sensu, quod suos parentes ac bona reliquerit, idque mere ultronea abdicatione, quin tamen Monachorum instituto nomen dedisset. II. Vita Religiosa etiam in habitu sæculari duci potest, vestisque monastica, in qua exhibetur, nonnisi Pictorum fabula, marmorea vero præfati Eremitæ statua est inane commentum ex industria adinventum, nec illam tanta, quanta perhibetur, vetustas commendat. III. Sermones ad Fratres Eremitas censentur supposititii, illique nunquam ex calamo S. Augustini Hypponensis Episcopi, sed forte divi Augustini Angliæ Episcopi profluxerunt.

Scripsit insuper Wimphelingus tractatum valde eruditum de hymnis & prosis Ecclesiæ. Primum horum Auctorem extitisse autumat divum Ambrosium, qui a Justina Imperatrice Valentiniani

niani Matre dire divexatus, cum in Ecclesia diu noctuque unacum populo suo delitescere cogeretur, nonnullos selegit, qui ei ad depellendum vitæ tædium quosdam hymnos præcinerent, uti testatur S. Augustinus in libro nono Confessionum. His præmissis varia carminum genera, ex quibus præfati hymni constant, exponit, eorumque Auctores designat: de Prosis vero, quæ ante Evangelium in sacrificio Missæ decantari solent, eorum usum magis recentem, ejusque primos Authores fuisse Germanos affirmat. Ceterum omnia Wimphelingi opera ubique redolent dicendi libertatem non minus, quam scribendi facilitatem, virumque loquuntur virtutis studiosum, ac vitiorum hostem, & censorem, qui pristinam morum disciplinam revocari ita peroptabat, ut tamen Hæreticorum novitates summopere detestaretur; cum enim Ecclesiæ doctrinis apprime addictus esset, intimo miserationis sensu mala deplorabat, quæ Germaniam ejus patriam devastabant, tractuque temporis altiores semper radices agebant.

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Sæcul. XVI.
A. C. 1529.

§. LXI.

Comitia Spiræ celebrata.

Cochl. de act. & Script. Luth. hoc an. pag. 197. Sleid. Com. l. 6. p. 190. Bzov. anno 1529. n. 47.

Interea Cæsar, ut malis Germaniam agitantibus obsisteret, Spiræ Comitia indicere cogebatur: quo enim manifestius obversabatur Religionis periculum, eo magis urgebat hoc remedium adhibendi necessitas; quippe non modo Lutheri secta magis indies in Imperio invalescebat, sed insuper Turcæ, cum jamjam Budam suis subjecissent armis, in ceteras quoque Cæsaris Provincias proximam irruptionem parabant, spe freti, se nullo negotio totam Hungariam subacturos. Ergo die decima quinta Martii anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono hisce Comitiis initium dabatur. Confluxerat copiosus admodum Principum numerus, aderat quoque Cæsaris nomine ipse Ferdinandus, qui Præsidis vices agebat. Hunc omnes Principes, ac Oratores, quos Imperii Ordines eo decernebant, comitabantur; accesserat quoque Elector Saxoniæ unacum Melanchtone, imo ipsus etiam Pontifex, ne suo deesset officio, Joannem Thomasinum Mirandulanum Comitem Spiram ablegabat, dato eidem negotio, ut Principes ad bellum contra Turcas suscipiendum hortaretur.

Prima

Prima vero congregatorum cura eo collimabat, ut in hiſce Comitiis Religionis negotia diſcuterentur, hacque ſuper re non minus diuturna, quam acri animorum contentione diſceptatum; Catholici enim toti in eo erant, ut Saxoniæ Elector, aliique urbium Imperialium Principes Lutheri erroribus infecti mutuis diſſidiis a civitatum Zwinglii doctrinæ addictarum Deputatis, aliisque Sacramentariis circa Evchariſtiæ articulum ſcinderentur. Abs dubio etiam valuiſſet ſucceſſus, niſi Haſſiæ Landgravius hanc diſſenſionem prævertiſſet, atque ſingulis expoſuiſſet, quod inter utramque partem non uſque adeo ingens doctrinæ diſcrimen intercedat, ut ſeſe ab invicem ſeparare, neceſſe foret; facile enim inter ſe conciliari poſſent, cùm tamen, ſi in duas factiones diſcederent, Catholici numero augerentur, eorumque diviſionem in rem ſuam verſuri eſſent. Hujus rationibus aquieſcebant omnes, ſeu verius nondum eo tempore ingenitum bellum inter Lutheri & Zwinglii Sectatores in apertas flammas erumpebat. Poſt hæc Ferdinandus die quinta Aprilis ſeparatim aliquot civitatum Imperialium Deputatos evocabat, atque illos, eoquod ſpreto Cæſaris edicto plurima innovaſſent, acriter primo redarguebat, denique ut ad reliquorum

Sæcul. XVI. A.C 1529.

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Ordinum ſententiam ſeſe adjungerent, ſedulo hortabatur, ne forte, inquiebat, hæc comitia animis Germanorum conciliandis inſtituta, graviori Seditione diſſolvantur, atque ob eorum diſſidia re penitus infecta finiantur. Ad hoc reſponderunt Deputati: Nos neutiquam Cæſari injuriam intulimus, neque legitimi Concilii judicium declinavimus; de cetero nil nobis magis in votis eſt, quam pacem procurare, ſuæque Majeſtati Cæſareæ in omnibus ſatisfacere.

§. LXII.

Miſſæ Sacrificium ab Argentinenſibus abrogatum.

Sleid. lib. 6. pag. 192.

Porro Ferdinandus potiſſimum ea ex cauſſa querebatur, quod uno circiter Menſe ante Comitiorum celebrationem Argentinenſes die vigeſima Februarii decretum condiderint, in quo Miſſæ Sacrificium tamdiu abrogandum ſanxerunt, donec ejusmodi cultum Deo acceptum eſſe, ab eorum adverſariis demonſtraretur. Firmabatur hoc edictum in Senatu ex trecentis civibus conflato, cujus juſſu denique in omnibus hujus Provinciæ locis eo fine promulgabatur, ut cuncti eorum ſubditi illud integra fide obſervarent. Poſtea Senatus hac de re Epiſcopum certiorem reddebat, qui qui-

quidem tam fatalem nuncium non sine ingenti animi sui mærore percepit, fidei tamen hostibus nonnisi Christianæ patientiæ scutum opponere poterat; quippe apud Argentinenses Wolfgangi Capitonis & Martini Buceri, qui hujus decreti Auctores erant, sententia prævalebat. Sæcul. XVI. A.C.1529.

§. LXIII.

Idem cultus Basileæ abolitus.

Sub idem ferme tempus Missæ Sacrificium itidem Basileæ abrogatum fuit, id petentibus quibusdam civibus. Hi enim, cum Senatus eorum votis cedere renueret, die octava Februarii in Ecclesia Franciscanorum congregati publica urbis loca occuparunt, eo fine, ut Senatores Catholicæ fidei addictos ad abdicandum Magistratus honorem compellerent. His vero obluctantibus seditiosi ad arma convolant, Sanctorum Imagines ac Statuas dejiciunt, easque comburunt, postea Senatum adigunt, *Sleid. l. cit.* ut duodecim Consiliarios Catholicos, quos inter Henricus Meltingerus, & Lucas Zieglerus erant, sua dignitate exuerent; nec his contenti decretum promulgari jubent, quo per totam eorum ditionem Missæ Sacrificium, cultusque sacrarum Imaginum aboleretur. Hoc decretum die duodecima Februarii

Sæcul. XVI. A.C 1529.

Senatus ex ducentis sexaginta Viris compositus ratum habebat. Ejusmodi igitur agendi ratio Ferdinandum adigebat, ut urbium Imperialium Deputatis hanc petulantiam in Comitiis Spirensibus exprobraret.

§. LXIV.

Edictum Spirensibus in Comitiis promulgatum.

Præterea inter Principes Spiræ congregatos diu acriterque de restauranda Wormatiensis edicti auctoritate ultro citroque disceptabatur, ac præprimis Ferdinandus illud omnino executioni mandandum contendebat, hancque ob rem a comitiis Argentinensem Deputatum nomine Danielem Miegum excludi jubebat. Equidem ceteræ urbes, quas itidem hæc agendi ratio spectabat, pro illo deprecabantur, simulque postulabant, ut servata Imperii consuetudine Deputati in jurium suorum usu minime turbarentur, donec lis in libera juxta ac legitima Synodo dirimeretur; quinimo minari audebant, quod nulla prorsus subsidia pro bello Turcico suppeditare velint, nisi eorum postulatis mos geratur. Verum omnes eorum minæ precesque in irritum cecidere, nec ultra Argen-

Argentinenſis Deputatus ad comitia admittebatur. Sæcul. XVI. A C. 1529.

Ut autem inter diſſidentes aliqua ſaltem concordia reſtitueretur, ex plurimorum Suffragiis die decima tertia Aprilis novum condebatur decretum, quo edictum in prioribus comitiis Spirenſibus promulgatum explicabatur. In eo jam olim ſtatutum erat, *ut cuilibet Principum ac Statuum Imperii circa Wormatienſe edictum ita agere liceat, ut hi Deo ſimul & Cæſari juſtam aliquando poſſent reddere facti ſui rationem* (*). *Pallavic. hiſt. Conc. l. 2. c. 8. Sleidan. l. 6. pag. 19.*

Cum vero non pauci hæc ipſa verba in perverſum prorſus ſenſum detorquerent, indeque nova varii generis dogmata promiſcue propugnandi occaſionem captarent, hinc ad coercendam ejusmodi libertatem Principes novum promulgabant edictum hujus tenoris: *Qui Wormatienſe Cæſaris edictum contra Lutheri hæreſin hucusque ſervarunt, illud deinceps quoque ſervent ad Concilium usque, de quo Cæſar jam prope certam ſpem facit, & populum etiam huc adſtringant: qui vero doctrinæ genus mutarunt, neque diſcedere jam ab eo poſſunt absque metu ſeditionis, ut hi ſibi temperent impoſterum, nec aliquid præterea innovent usque ad Concilii tempus: deinde* *Coch. hoc an.*

(*) Vide Lib. CXXX. §. LXXVI. pag.

Sæcul. XVI A.C.1529.

deinde ne doctrina eorum, qui de Cœna Domini secus, quam Ecclesia, docent, recipiatur, neve abrogetur Missa: nec iis in locis, ubi novum est doctrinæ genus, impedimentum fiat, quo minus ad Missam, qui volent, accedant: Anabaptistis, qui suum dogma pertinaciter defendunt, capitis pœna constituitur, & Ecclesiæ Ministris injungitur, ut juxta probatam ab Ecclesia interpretationem doceant, alia vero dogmata, de quibus forte disputari posset, non attingant, sed Concilii Decretum expectent: ad hæc, ut pacem inter se colant omnes Ordines, & Religionis caussa nec damnum invicem dent, nec alter alterius ditioni subditos in suam fidem, aut tutelam recipiant: qui secus fecerint, proscriptorum numero jubentur esse.

§. LXV.

Quorumdam Principum oppositio contra hoc edictum.

Sleid. l. 6. pag. 196. Pallav. l. 2. c. 18. p. 116.

Quamvis hoc edictum non solum moderate admodum esset conceptum, sed etiam Principibus, qui a vera fide defecerant, favere videretur, nihilominus haud deerant, qui eidem graviter obluctarentur. Hos inter præcipui erant Saxoniæ, & Brandeburgi Electores, Ernestus & Franciscus Luneburgi Duces, Philippus Hassiæ Landgravius, & Wolfgangus Anhaldinus Princeps, qui omnes

omnes huic edicto adversabantur, eo- Sæcul. XVI.
quod manifestis, ut inquiebant illi, S. A. C. 1529.
Evangelii veritatibus contrarium esset: Caussam vero suæ oppositionis ita palam exponebant: *Standum est superioris Conventus Decreto, quo sua cuique Religio permittitur adusque Concilium: ab eo minime discedendum, neque sunt violanda, quæ tunc pacis retinendæ caussa post multam deliberationem pacta fuerunt, & signis atque jurejurando confirmata: nos quidem exemplo nostrorum majorum volumus omnia Cæsaris caussa: quantum etiam facultatibus atque viribus possumus, libenter ad ejus usum atque dignitatem conferemus: præsens vero caussa ad omnium salutem pertinet sempiternam: quod igitur ab ipsis in eo dissentiamus omnes, ne molestè ferant: sicut enim superius decretum de communi omnium voluntate factum est, ita quoque nisi pariter assentiantur omnes, rescindi non potest, nec irritum fieri: quominus ipsi, quam velint, Religionis formam, suos intra fines constituant, non repugnamus, ac rogamus Deum, ut suæ cognitionis lumen in omnium mentibus accendat: annis nunc aliquot, multa est, doctrinæ caussa, dissensio ac simultas: ejus autem, quæ sit origo, quis author, conventu Noribergico fuit quodammodo demonstratum, & ipsiusmet confessione Pontificis, & ipsorum quoque Principum ac ordinum postulatis, quæ numero ad XXX. Legato Pontificio*

Sæcul. XVI. A.C.1529.

tificio tradita sunt: quorum tamen nulla est adhuc facta emendatio: deliberationum autem omnium hic semper fuit finis, quod tollendis videlicet controversiis & corrigendis vitiis nulla sit via expeditior Concilio, quod autem eo prætermisso, nunc decreverint, ut qui doctrinæ genus mutarunt, neque sine turba jam illud relinquere possint, nihilque amplius innovent, id non possumus laudare, neque recipere, nisi velimus ei doctrinæ, quam uti piam atque veram hucusque professi sumus, fidem derogare, ac fateri, discedendum esse quidem ab ea doctrina, si modo sine tumultu atque seditione fieri posset: quod ipsum quid esset aliud, quam verbum Dei, quod purum habemus ac impollutum, abnegare? quo sane nullum potest admitti gravius peccatum: nec enim sermone tantum, sed ipsa quoque re confitendum est: quantam hæc etiam abnegatio ruinam secum traheret, & quam esset futura perniciosa multis Evangelii cupidis, facile potest cogitari: quod ad Missam attinet, notum est, quemadmodum nostræ ditionis Ecclesiæ Ministri, pontificiam Missam invictis & firmis Scripturæ testimoniis expugnaverint, in ejusque locum instituerint Cœnam Domini, juxta præscriptum atque mandatum Christi, juxtaque morem ab Apostolis observatum: quare nec istam quoque decreti particulam admittimus, neque nostris, ut adsint Missæ jam abrogatæ, possumus concedere: nam ut maxime sincerus atque rectus esset

Sæcul XVI. A C 1529.

esset usus Missæ Pontificiæ, tamen, si duas ipsi Missas inter se contrarias in suis Templis admittunt, quam id sit futurum mali exempli, & quantæ sint ex eo simultates orituræ, nemo est, qui non videat: quod autem præscribunt, quid suis ipsi populis mandare, & quas in suis ditionibus ferre debeant leges, valde miramur, præsertim cum ipsi minime sint passuri, si quis hoc invicem apud eos tentaret: quid de corporis atque sanguinis Christi præsentia, nostris in Ecclesiis doceatur, omnibus constat, neque longiori opus est explicatione: sed tamen, quod antea sæpe diximus, nunc etiam nobis videtur, nondum esse videlicet in illos, qui secus docent, ejusmodi faciendum decretum, eoquod Cæsaris diploma nullam ejus rei mentionem faciat: deinde, quod ejus doctrinæ defensores neque vocati sint nec auditi: quam autem non sit decorum nec æquum, in rebus tam arduis aliquid ullo tempore statui, non auditis iis, quorum interest, etiam atque etiam est considerandum: jam illud, quod dicunt, Evangelium esse docendum juxta receptas & ab Ecclesia probatas interpretationes, recte quidem habet, sed in eo lis est, quæ sit Ecclesia vera: cum autem nulla sit doctrina certior, quam Verbi divini, cumque præter illud nihil doceri debeat, & quæ videntur obscuriora Scripturæ loca non possint rectius, quam aliis ejusdem Scripturæ locis illustrioribus explicari, idcirco permanebimus

Sæcul. XVI A.C. 1529.

mus in eo vestigio, & dabimus operam, ut veteris atque novi Testamenti scripta pure ac perspicue doceantur: hæc enim unica est ratio plane certa & indubitata: hominum vero traditiones nullo nituntur firmo fundamento: postremi conventus decretum, pacis atque concordiæ factum est caussa: verum, si præsens hoc valere debet, maximis turbis & offensionibus via patefiet; jam enim licet adhuc quidem suspensum fuerit edictum illud Wormatiense, Principes quidam eo spectant, ut privatorum aliquot, suæ ditionis hominum fortunas avertant, & ad se transferant, ob non servatum edictum, ex eoque facile intelligitur, quid sit futurum, si nunc edictum illud denuo sanciatur, & ex ipsis aliqui contra se vim expediant, & ad ea cogere velint, quæ salva conscientia præstari nequeunt: illud autem non recte dicitur postremi conventus decretum, ejusmodi verbis esse conceptum, ut eo plerique abutantur, & interea dum Concilium habetur, licere sibi quidvis putent: hæc nimirum ab iis potissimum sparguntur, qui supremi judicii metu, cum patefient omnia, parum afficiuntur; ad nos vero quantum attinet, non recusamus, quo minus iis, qui violatum a nobis dicunt illud decretum, apud æquos judices respondeamus: quæ cum ita sint, non assentimur huic ipsorum decreto, nostrique facti rationem reddemus, & palam omnibus, & ipsi quoque Cæsari: ac interea, dum inchoetur,

aut

aut publicum totius Orbis, aut Provinciæ Germaniæ Concilium, nihil faciemus, quod jure possit improbari: quod insuper de colenda pace, de non intervertendis aliorum bonis, de Anabaptistis, deque Typographis decretum est, in eo quoque, quod nostri est Officii, non ignoramus.

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. LXVI.

Horum oppositio quatuordecim Imperialium civitatum accessu firmata.

Horum Principum declarationem firmabant quatuordecim Imperialium Urbium Deputati, qui biduo post adversus Spirense Decretum reclamabant, suamque protestationem, ut vocabant, scripto palam exponebant, ac denique die decima nona Aprilis diploma edebant, quo ab omnibus nuper gestis ad Cæsarem, ad futurum Concilium generale aut nationale (*), necnon ad omnes

Sleid. Pallavicin. l. cit.

(*) A tempore Concilii Basileensis frequentissima ejusmodi appellationum mentio in præsenti Historia occurrit, nullusque dubito, quin prudens Lector probe animadverterit, quod omnes seditiosi vel ad honestandam suam rebellionem adversus legitimum Superiorem, vel ad impune inducendos errores, vel denique ad effugiendam pœnam aperte promeritam hoc appella-

Sæcul. XVI A.C.1529.

nes Judices minime suspectos appellabant; quapropter nonnullos nominabant ad Cæsarem ablegandos, qui hujus edicti revocationem impetrarent. Erant autem præfatæ quatuordecim urbes Argentina, Norimberga, Ulma, Constantia, Reutlinga, Winshemium, Memminga, Lindavia, Campodunum, Heilbruna, Isna, Wisseburgum, Nordlinga, ac denique Sangallum.

Haud dissimulare possumus, quod in hac *protestatione* articulus de præsentia reali admodum caute fuerit expositus propter dissidia, quæ tum inter Lutheri & Zwinglii assecias circa hoc dogma fervebant; itaque Lutheri doctrinam sectantes in præfato suo scripto hæc duntaxat, adducebant: „ Aliunde notum „ est, quæ opinio circa præsentiam „ Corporis & Sanguinis Christi Domi„ ni in Evchariſtia in nostris Ecclesiis „ prævaleat, de cetero doctrina nostra „ prorsus decreto nec excludenda, nec „ damnanda videtur, eoquod hucus„ que nec desuper vocati, nec auditi „ simus. „

§. LXVII.

---

pellationis remedio non sine maximo Christianæ Fidei ac Reipublicæ detrimento abusi fuerint.

§. LXVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Lutheri Sectatores, unde Proteſtantes dicti?

Ex hac celebri *proteſtatione*, ſeu repugnantia profluxit famoſum illud *Proteſtantium* nomen, quod Germaniæ Hæreticis primo attributum, poſtea vero a Calvini aſſeclis ex eadem origine deſcendentibus eo fine adoptatum fuit, ut paulo honeſtiori nomine nuncuparentur, cum antea varia eis imponerentur nomina, quæ illis ſummopere diſplicebant, quamvis ceteroquin Lutheri doctrinæ religioſius addicti Calviniſtas odio non minus acerbo quam ipſosmet Catholicos inſectentur. *Sleid. l. 6. pag. 198. Raynald. ad hunc an n. 25.*

Cum vero Ferdinandus a comitiis, priusquam Principes præfatam interceſſionem ſeu *proteſtationem* interpoſuerant, ſeſe ſubduxiſſet, atque aliunde agi cæptum eſſet, ut Turcæ ab expugnanda reliqua Hungarici Regni parte præpedirentur, necnon Auſtria, Styria, & Carinthia ab eorum invaſionibus defenderetur, hinc Archidux probe proſpexerat, fruſtra ſe a Principibus auxilia præſtolari, niſi quodammodo Proteſtantium petitis cederet. Porro cum Catholicorum Principum arma pro Ferdinando decertare deberent, ac ipſe

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

quoque Hungarici Regni ſalutem non minus cordi haberet, quam Carolus V. ejus frater Mediolanenſis Ducatus recuperationem oppido neceſſariam cenſeret, eapropter Archidux Cæſareæ Majeſtatis ſuæ agendi rationem imitabatur, atque Lutheranis & Sacramentariis permittebat, quatenus eis, *quantum ad Religionem attineret, ita agere & ſtatuere liceret, ut de factis ſuis ſcirent Deo & Cæſari rationem reddere, donec aliter hac de re decerneretur* (*). His ita diſpoſitis comitia fuere ſoluta, ac denique tota Principum indignatio ſeſe in Anabaptiſtas effundebat, qui rurſus ſeptem ſpargebant articulos, quibus abominanda ſua

Cochl. act. & ſcript. Luth. ann. 1529. pag. 198.

(*) Ita quidem Continuator; nulla tamen veroſimili ratione evincitur, quod Cæſar hisce Sectariis credendi libertatem indulſerit; nonne ipſemet Continuator in §. LXV. diſertis verbis affirmabat, quod Cæſaris nomine edictum fuerit ſancitum adverſus eos, qui ex hisce Wormatienſis decreti verbis: *Cuilibet Principum ac Statuum Imperii &c.* Varias Sectas amplectendi libertatem perperam deducere moliebantur. Equidem Continuator Cochlæum allegabat; verum ille de Cæſaris exemplo nec verbum habet, ſed duntaxat affirmat, quod Ferdinandus *neceſſitate cogente conſenſerit in publicum decretum, quo unicuique quantum ad Religionem &c.*

sua dogmata firmare nitebantur. Horum primus erat: *Nemo Christianus gladium gerere, nemo cum Magistratu esse, aut potest, aut debet ex illo Lucæ cap. 22. v. 25.* Reges gentium dominabuntur illis, vos autem non sic. II. *Juramentum facere nemo debet, jubente etiam Magistratu. III. Deus veros Christianos non ad id vocavit, ut jus dicant, nec ut tranquillitati publicæ invigilent. IV. Qui Anabaptistarum dogma non sequuntur, hædi sunt stantes in extremo judicio ad sinistram. V. Cathedra Moysis penes neminem est, nisi penes Anabaptistas, nemo etiam præter eos inter electos numerandus est. VI. Soli Anabaptistæ ad prædicandum Evangelium missi sunt. VII. Omnes sunt reprobi, & pro damnatis habendi, qui sese Anabaptistarum doctrinæ opponunt.* Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. LXVIII.

Anabaptistarum articuli a Cochlæo confutati.

Hosce articulos Cochlæus tanta soliditate juxta ac moderatione confutabat, ut non modo a Catholicis, sed ab ipsis etiam Protestantibus ejusdem liber cum ingenti utriusque partis applausu exciperetur. In eo primum articulum impugnat, ostenditque, quod Christus Dominus doctrinam suam nobis *Cochl. ibid.*

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

bis tradendo eo collimaverit, ut fideles subjiceret illorum Superiorum legibus, sub quorum dominio nascuntur, dummodo ejusmodi leges saluti æternæ non adversentur; hanc quoque doctrinam, quam Christus oretenus tradidit, suo quoque exemplo, ut inquiebat Cochlæus, confirmavit, eoquod rem humanis viribus superiorem patrare voluerit, eo fine, ut tributum solvere posset. Postea demonstrat, secundum non minus quam tertium articulum ex Priscillianistarum hæresi depromptum jam pridem ab Ecclesia fuisse damnatum. Quartum vero reprobat tanquam sacris literis manifeste contrarium, eoquod ante Münzeri ortum nulla unquam Anabaptistarum memoria extitisset, ac insuper in omnibus sacri Evangelii locis, ubi de extremo judicii die, necnon de iis, qui a dexteris divini judicis collocandi sunt, unice de sanctis actionibus, nunquam vero de iterato baptismate mentio fieret. Denique adversus reliquos articulos propugnat Cochlæus, hoc dogma, quod in Catholica Religione nulli alii præter Anabaptistas ad prædicandum Evangelium missi sint, adeo falsum esse, ut etiam nullo unquam pacto ostendere valeant, quod ipsi legitime vocati essent, cum vix quintus effluxisset annus, ex quo suam sectam

sectam palam facere ausi fuissent, præterquam quod Thomas Münzerus eorum caput a nullo Episcopo vel missionem, vel manuum impositionem recepisset, quinimo cunctis etiam Anabaptistis optime persuasum esset, quod hic Hæresiarcha semetipsum ultro in Verbi divini ministerium ingessisset, atque in fraudis suæ subsidium falso se divinitus admonitum mentitus fuisset, ut eo facilius vocationis suæ defectum coram hominibus occultaret. Sæcul. XVI. A.C.1529.

§. LXIX.

Buda in Hungaria a Solimano capta.

Interea Ferdinando ad reprimendos Turcarum insultus parum profuit indulgentia, qua Lutheri sectatoribus cedere videbatur; quippe Solimanus primo vere exercitum centum quinquaginta bellatorum millibus validum in aciem eduxit, Budamque cinxit. Equidem Magistratus confestim delatis clavibus urbem Solimano tradiderunt, Comes vero Nadastius, qui arcem cum septingentis Germanis tuebatur, sese dedere omnino recusabat; quapropter Turcæ eam toto armorum apparatu oppugnare cæperant, atque cuniculo ignem cum tanto successu admoverant, ut subruta propugnaculi parte obsessi vita rebusque

Nic. Isthaun. Hist. Hung. lib. 10. Raynald. ad hunc ann. num. 47.

Sæcul. XVI A. C. 1529.

busque salvis sese victoris potestati subjicere compellerentur: Cum vero Nadastius nec hisce quoque deditionis legibus subscribere vellet, a præsidiario milite in carcerem conjiciebatur, nec inde a Turcis liberatus, nisi ea lege, ut ad Solimanum deduceretur. Hic vero Comitem libero Joannis Transilvaniæ Præfecti, cum ejusdem subditus esset, arbitrio reliquit, a quo tamen Nadastius cum tanta clementia excipiebatur, ut haud majorem ab innata ejusdem pietate expectare potuisset.

§. LXX.

Vienna a Solimano cincta, sed obsidione liberata.

Sleid. comm. l. 6. p. 199.

Sultanus Budensi urbe capta cum copiis suis in Austriam excurrit, a nemine præpeditus, nisi ab Altenburgensibus, quorum tamen urbem irruptione facta cepit: Cum vero Ibrahimus Bassa cum Austriæ Principibus clandestina foveret consilia, hinc studiose tot moras quærebat, ut Solimanus mediam ætatis partem otiosus transigeret, ejusque exercitus nonnisi vigesima sexta Septembris die Viennæ admoveri posset. Hæc Solimani cunctatio Ferdinando opportunum urbem muniendi spacium indulsit; quapropter eidem viginti peditum,

tum, equitumque duo millia, Viros longa militia efferatos impoſuit, hujusque præſidii imperium Comiti Palatino detulit. Ergo Turcæ inaudita rabie Viennam adoriuntur, quam tamen haud ſegniori animi fortitudine, tamque infracta pertinacia obſeſſi tuebantur, ut Solimanus jamjam ingruente aſperioris hyemis rigore exercitum ſuum die decima quarta Octobris ab urbe avocare compelleretur, poſtquam triginta omnino diebus illam arcta prorſus obſidione preſſerat, totamque Hungariam iteratis incurſionibus vexaverat. Porro toto obſidionis tempore cæſa ſunt Turcarum ferme ſexaginta millia; Solimanus vero accepta hac clade Budam redire cogebatur, ubi ſupremos Hungariæ Ordines convocans, denuo Joannem Zapolum in Regni jure confirmavit, eumque legitimum illius Regem, ac fidelem ſuum amicum proclamavit, applaudentibus cunctis Regni Proceribus. Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. LXXI.

Conſilia de pace Cæſarem inter & Franciæ Regem ſtabilienda.

Dum hæc interea gerebantur, Margarita Auſtriæ Archiduciſſa, ac Belgii Gubernatrix cum Ludovica Sabauda Franciſci I. Matre conſilia agita- *Mem. du Bellai l. 3 Guicc. l. 13- Bellefor. l. 6. c. 44.*

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

bat, ut Cæsarem inter & Galliarum Regem pax conciliaretur; quinimo mutuo utriusque consensu decernebatur, ut exeunte Mense Majo in urbe Cameracensi de concordiæ pactis ageretur, quamvis bellum in Italia continuo adhuc ferveret, non sine prospero Cæsareorum successu; quippe Antonius de Leva Gallos in Mediolanensi ditione acrius infectabatur, eosque capto Comite San-Pauliano, qui Gallico exercitui præerat, ingenti cæde prostrabat, utraque tamen Princeps Franciæ Regem in Cæsaris gratiam reducere minime desperabant: nec vana erat illarum fiducia; quippe eo magis ad perficienda pacis negotia fuere idoneæ, quo arctior inter illas necessitudo intercedebat, ac præter ingenii aciem rerumque experientiam fervens juxta ac sincerum in eis ferveret desiderium, ut tandem inter ambos Reges firma pax redderetur. Non ita pridem Carolus Imperator summum Pontificem in arce S. Angeli, Franciscum vero Galliarum Regem Madriti captivum tenebat; jam autem proprio experimento edoctus probe cognoscebat, quod pacta cum utroque inita cum nimis onerosa fuissent, sua firmitate destituantur, aliunde vero totum exercitus sui robur impendere satagebat, ut sese tam Turcis, quam Lutheri asse-

Sleid. l. cit. l. 6. p. 199.

assectis opponeret, eapropter Romani ac Madritensis tractatus asperitatem per Barcinonense, & Cameracense fœdus mitigare constituit, decrevitque, ut relicta Hispania in Italiam contenderet. Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Porro cum summus Pontifex nil ardentius exoptaret, quam ut ejus familia in Florentiæ Imperium, unde depulsa fuit, reponeretur, hinc Cæsarem continuo urgebat, imo repetitis literis proprio Chirographo exarratis importune sollicitabat, ut & ipse Virum ablegaret plena agendi facultate munitum, cujus opera firmum fœdus, utilisque concordia stabiliri valeret.

§. LXXII.

Proficua pax Pontificem inter & Cæsarem.

Cum igitur Carolus Imperator nil antiquius haberet, quam ut Sedi Apostolicæ obsequeretur, simulque indignationem, quam Papa in eum concipere potuisset, declinaret, hinc Antonium de Leva in Italiam ablegabat, qui die vigesima sexta Junii cum Clemente VII. fœdus iniit, cujus præcipuos articulos hic referimus. *Guicc. l. 19. Belcar. l. 20. Panvin. in Clem. Raynald. ad hunc an n. 60. Ant. Vera hist. Carol. V. pag. 161.*

I. Summus Pontifex quam primum poterit, saltem ad finem sequentis anni *Pallav. hist. Conc. Trid. l. 3. c. 2.*

Sæcul. XVI. A.C.1529.

cum tota Curia sua Bononiam se conferet, ut ibidem Cæsari Imperii coronam imponere possit. II. Absolutis hujus coronationis solemnibus Imperator quantocius valido exercitu Florentiam cinget, nec inde nisi capta urbe copias suas revocabit. III. Alexandrum Mediceum, qui summi Pontificis ex fratre Nepos erat, in pristina Florentinæ urbis statusque jura reponet. IV. Eidem Margarita Cæsaris Notha filia nubet, quamprimum viro matura erit. V. Papa ad Florentinæ urbis obsidionem octo armatorum millia suis impensis alenda suppeditabit, junctisque viribus cum Cæsaris exercitu expeditionem urgebit. VI. Pariter Pontifex diploma concedet, quo Cæsar, cunctique ejus Successores perpetuo fruentur jure, vi cujus viros nominare, ac exhibere valerent ad octo Regni Neapolitani Archiepiscopatus, quos inter designabantur Brundusinus, Auxianensis, Matealanus, Hydruntinus, Regio-Julienſis, Salernitanus, Tranensis, & Tarentinus: idem quoque jus extendebatur ad sexdecim Episcopatus, nimirum Arianensem, Acerranum, Aquilanum, Cortonensem, Cassanensem, Castellanum, Gallipolitanum, Puteolanum, aliosque. VII. Summus Pontifex in possessionem Cerviæ, Ravennæ, Mutinæ, Rhegii ac Rube-

Ruberiæ reſtituetur, eidemque cedetur Ferrarienſis Ducatus, ac denique Mediolanenſis Ducis cauſſa ſummo Pontifici tanquam judici examinanda committetur. VIII. Adimpletis hisce conditionibus Papa Cæſari diploma de juſta Regni Neapolitani poſſeſſione concedet, ac deinceps nivei tantum coloris equum quotannis tributi nomine ab eodem accipiet. IX. Cæſaris exercitui Papa permittet, ut libere per ditiones Pontificias tranſire poſſit. X. Cunctos, qui in Romanæ Urbis ſpoliatione partem habebant, a Cenſuris ſolvet, necnon Carolo V. ejusque fratri Ferdinando concedet, ut ad ſuſtinendos belli Turcici ſumptus intra ſuas ditiones quartam Eccleſiaſticorum proventuum partem impendere valeant. Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. LXXIII.

Cæſar ex Hiſpania Genuam delatus.

Hoc fœdere ita Urbeveti concluſo Cæſar totus in eo erat, ut ad ſuſcipiendum iter neceſſaria diſponeret; hanc in rem præprimis Iſabellam Imperatricem Conjugem ſuam nominabat Hiſpani Regni Gubernatricem, ſuique Filii Philippi Tutricem, poſtea vero exeunte Menſe Julio iter aggrediebatur, *Ant. de Vera hiſt. de Charles V. p. 173.*

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

tur, comitantibus eum præcipuæ Nobilitatis Proceribus, qui solemni ejusdem coronationi assisterent. Vix Barcinonem advenerat, cum quinque Deputati, qui in præfata urbe Senatorum vices agebant, Cæsari significarent, apud eos in more quidem positum esse, quod Regibus, quos excipiunt, nec obviam procederent, nec ex equis descenderent, dum illos recipiunt, atque officiosa salutatione honorant: nihilominus cum Regum suorum hucusque nullus Cæsarea simul dignitate insignitus fuisset, ideo hac in re se lubenter id omne executuros, quod Cæsareæ Majestati suæ præcipere placuerit. Prompta hac obsequendi voluntate Carolus magnopere delectabatur, simulque Deputatis hunc in modum reponebat: „ Ut ex equis ve„ stris in terram descendatis, haud pe„ to; pluris enim facio, me esse Bar„ cinonensium Comitem, quam Roma„ norum Imperatorem. „ His dictis integro biduo in præfata urbe diversatus, ibidem ratum habuit fœdus, quod Antonius de Leva Urbeveti die vigesima sexta Junii cum summo Pontifice inibat. Equidem Ciaconius pluresque alii Scriptores hæc gesta fuisse referunt exeunte Mense Junio, attamen inspecta die, qua Cæsar Barcinonem venisse dicitur, hujus fœderis approbatio nonnisi

Ciacon. t. 3. pag. 469. Daniel hist. de France t. 5. p. 623.

nisi ad initium Mensis Augusti revocanda videtur. Sæc. XVI. A C 1529.

§. LXXIV.

Pax Cæsarem inter & Galliarum Regem Genuæ stabilita.

Dies erat nona Augusti, cum Imperator matutino tempore primo Hispaniæ, demum Italicæ classis navem prætoriam conscenderet. Huic præerat Andreas Auria, qui ad primum Cæsaris ingressum in Principem Melsitanum evectus est. Navigabat Imperator ventis admodum secundis, mensque Augusto ad medium vergente feliciter Genuam pervenit, festivis plausibus ac populi acclamationibus exceptus; ex tota enim Italia frequens erat hominum concursus, qui omnes Principem tot tantisque virtutibus conspicuum cernere certabant. Cum vero Imperator, priusquam Madrito excederet, provide jussa daret, ut singulis diebus accurate de pacis cum Gallis conciliandæ negotio edoceretur, hinc per nuntios Cameraco Genuam missos percepit, quod die quinta Mensis Augusti fœdus esset firmatum, opera duarum Principum, quæ erant Margaritha Belgii Gubernatrix ac Caroli V. amita & Ludovica de Sabaudia Francisci I. Mater. Harum

Sæc. XVI. A.C. 1529.

rum enim sollicitudine Cameraci conventus agebatur pompa atque magnificentia eo clarior, quo felicius intra septem hebdomadarum angustias totum concordiæ negotium absolutum est, inito fœdere, quod vulgo *Illustrium fœminarum pax* nominabatur, eoquod eandem præfatæ Principes tam felici successu procurassent, ut hujus concordiæ firmitati nec clades, qua San-Paulianus afficiebatur, nec fœdus inter Papam & Hispaniæ Regem initum quovis pacto obesse potuerit. Porro hoc fœdus triginta duos omnino complectebatur articulos, quorum tamen nonnisi præcipuos impræsentiarum referemus.

§. LXXV.

Articuli fœderis Cameracensis inter Carolum V. & Franciscum I. initi.

Mem. du Bellai lib. 3. Guicc. l. 19. Sleidan. l. 6. Paul. Jov. l. 26. Raynald. ad hunc ann. n. 67. & seq.

Igitur Galliarum Rex, ut pacis negotium promoveret, ambosque filios suos Delphinum, & Aureliæ Ducem Cæsaris manibus eriperet, spopondit, quod Imperator viginti centena ducatium nummum millia solvere velit, eo pacto, ut prima die sequentis Mensis Martii illico duodecim centena millia numerarentur, simulque ambo Regis filii in pristinam libertatem restituerentur. Reli-

Sæc. XVI. A.C. 1529.

Reliqua octo centena millia Galliarum Rex Angliæ Regi penderet, ut inde solvi possent illa ducenta octoginta aureorum millia, quæ Cæsar Anglo debebat: Pro residua vero pecuniarum summa Franciæ Rex promisit, quod censum solvere velit, ut autem præfatos census redimeret, pollicitus est, se Vindocinensis Ducis viduam ejusque subditos eo inducturum, ut Cæsari cederent cunctas terras, quas in Flandria, Brabantia, Hannonia, necnon in aliis Belgii Provinciis possiderent. Præter hæc pacta insuper sancitum I. nuptiæ inter Franciscum Regem, & Eleonoram viduam Lusitaniæ Reginam, natu majorem Caroli V. Sororem promissæ adimpleantur, ea tamen lege, ut hæres mascula, si quæ ex hoc connubio susciperetur, pariter Burgundiæ Ducatus hæres sit. II. Vi hujus fœderis Galliarum Rex intra sex hebdomadas a prima firmati fœderis die computandas revocet omnem militem ex Italia, & Pedemontio, necnon ex urbe & arce Hedenanensi, eamque Cæsari restituat. III. Libere abdicet se Rex omni jure ac prærogativa, quam in Mediolanensem Ducatum, necnon in Flandriæ & Artheſiæ Comitatus usurpaverat, excepta tamen Terouana urbe, cunctisque terris eidem adjacentibus. IV. Idem præter viginti

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

ti centena aureorum millia adhuc quingenta aureorum nummum millia pendet nomine Imperatoris, quæ hic Angliæ Regi mulctæ nomine debebat, eo quod contra pactorum fidem Mariam Henrici VIII. Filiam ducere recusasset. V. Franciæ Rex ab eodem Henrico redimet aureum Lilium pretiosissimis gemmis distinctum, atque genuino Crucis Christi Domini ligno ornatum, quod olim Philippus Imperatoris Pater pro quinquaginta aureorum millium summa pignori dabat. VI. Borbonii Connestabilis nuper defuncti proscriptionem aboleat, ejusque liberos in paternæ hæreditatis successionem admittat, ceteros vero omnes, qui adversus Franciam eidem Connestabili adhærebant, in bonorum suorum possessionem restituat. VII. Denique Ministri, omnesque, qui duobus Regis filiis ab obsequiis sunt, liberi dimittantur.

Vicissim pro parte sua Imperator tam suo quam suorum Successorum nomine in has pacti leges convenit. I. Cæsar Regi Christianissimo, æque ac Engolismensi Duciss æ ejus Matri cedat, ac remittat omnia tam suprema, quam beneficiaria jura, ac potestates, atque jurisdictiones in urbes & arces Peronnensem, Rauganam, & Mondiderienſem, necnon in Bonnonienſem, Guinenſem, &

& Pontivenſem Comitatus aliasque urbes ad Somonam amnem ſitas, II. Idem ſuos juſtitiæ Miniſtros adiget, ut *ſententiæ tam interlocutoriæ, quam definitivæ* effectui dentur, quæ ante nuperi belli tempus a Regis Chriſtianiſſimi Officialibus pronunciatæ fuerunt adverſus quoscunque Principes, Proceres, aut Prælatos, qui in præfatis Flandriæ, & Artheſiæ Comitatibus reſident. III. Galliarum Rex a ſuo promiſſo ſolvetur, quo nuper vi Madritenſis pacti adſtringebatur, ut Cæſaream ſuam Majeſtatem Bononiam usque pro ejusdem Coronatione comitaretur; hæc tamen condonatio ea lege fiet, ut altero poſt Menſe, poſtquam requiſitus fuerit, præter duodecim triremes, quatuor naves, totidemque grandiora navigia nautis, militibus, ac Ducibus neceſſariis optime inſtructa ſuppeditet, iisdemque ſaltem ad ſemeſtre tam de belli apparatu, quam annona provideat, eo fine, ut Cæſar hac claſſe, quamdiu ei libuerit, in Italia uti poſſit. Præter hæc pacta ibidem etiam conventum, ut Principi Arauſionenſi ſuus Principatus, ſuorumque bonorum uſus reſtituatur. His utrinque firmatis Franciſcus Galliarum Rex cuncta fœderis pacta exequi feſtinabat; ſuos enim filios recipiendi deſiderio flagrabat, quamvis hi nonniſi Men-

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Sæcul. XVI. A C. 1529.

se Junio anni sequentis libertati restituerentur, eoquod Gallis deesset opportunitas colligendi pecunias, quas vi fœderis solvere oportebat, simulac Regii Filii Monmorentio Conneſtabili rederentur.

§. LXXVI.

Florentinorum Deputati minus benigne a Cæsare excepti.

Ant. Vera hist. de Charl. V pag. 175. Guicc. lib. 19 Raynald. ad hunc ann. n. 71. 72.

Vix octava, qua Cæsar Genuam intraverat, effluxit dies, cum jamjam octodecim Oratores a Florentinis missi ad alloquium admitterentur. Excepit eos Cæsar tecto capite, suoque solio semper insidens, ipsi vero omnes detecto capite ante Caroli pedes provoluti summo sibi honori ducebant, quod Cæsar eos excipere, atque cum illis colloqui dignaretur. Porro salutabant eum sermone ad maximam submissionem composito, parumque solliciti, ut præterita excusarent delicta, confestim eorum veniam humillime deprecabantur, atque ad orationis calcem supplicabant, ut eis libertatem redderet, qua longo abhinc tempore potiti essent. Verum Cæsar eis hunc in modum respondit: Quamvis vestra rebellio severas a nobis pœnas exposceret, nihilominus clementem me vobis exhibere, ac præteritorum obli-

obliviſci ſtatuimus, ea tamen lege, ut Clementem ſummum Pontificem Patrem, ac concivem veſtrum cum debita ſubmiſſione ac filiali obſequio in veſtram urbem recipiatis, ejusque familiam antiquitate generis adeo conſpicuam cunctis honoribus, privilegiis, atque dignitatibus reſtituatis; memores enim ſitis injuriarum, quibus indigno prorſus modo Medicæos de veſtra civitate adeo bene meritos habuiſtis; proin ſi vos eidem ſubjicere renueritis, ſciatis velim, nos nunquam defuturos, quo minus æqua Pontificis, ſuæque familiæ jura pro viribus tuebimur, & ſi debitam ſubmiſſionem ſpontaneo obſequio a vobis obtinere non poterimus, eandem vi extorquere ſtatuimus. Nihilominus tamen Florentini Cæſaris petito acquieſcere recuſabant.

Sæc. XVI. A.C. 1529.

§. LXXVII.

Medicæus Cardinalis a Papa ſuo Patruo Genuam decretus.

Dum hæc interea gerebantur, ſummus Pontifex Medicæum Cardinalem Genuam ablegabat, ut ex Cæſare tempus ſciſcitaretur, quo coronationis ſuæ ſolemnia peragi vellet. Ad hæc Legato repoſuit Imperator: Cum diem vigeſimam quartam Februarii natalem

Sæcul. XVI. A. C. 1529.

habuerim, eadem quoque coronari desiderarem, si tamen mea Pontifici petitio æqua videatur. Hanc diem lubenti prorsus animo acceptabat Pontifex, moxque necessaria disponi curabat, ut iter Bononiam versus, ubi hæc solemnitas celebraretur, aggredi posset: Cæsar autem, ut honorificæ Pontificis salutationi vices rependeret, ad eundem Didacum de Corduba Los - Fanosii Marchionem misit, qui sua Pontifici obsequia Cæsaris nomine deferret. Hunc comitabantur viginti quatuor adolescentes generis Nobilitate conspicui, qui Italiam visendi gratia Imperatorem sequebantur, solemni pariter inaugurationis pompæ interfuturi. Præcipue vero Didacus perbenigne a Papa excipiebatur, ac paulo post Roma Genuam reversus est, ubi obviam habuit Ferrariæ Ducem, qui itidem Cæsarem salutaturus illuc venerat. Hunc quoque Carolus cum singulari benevolentiæ testificatione excipit, & quamvis de hujus Principis fide agendique ratione justam querendi causam haberet, nihilominus vel temporis ratio, aut saltem decentia prohibebat, ne tum indignationem suam exereret.

§. LXXVIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1529.

§. LXXVIII.

Cæsar Placentiam delatus.

Priusquam Carolus Imperator Bononiam peteret, aliquamdiu Placentiæ, Parmæ & Mutinæ substitit: cum vero Placentiæ moraretur, advenerant tres Legati a Papa eo fine missi, ut a Cæsare peterent, quatenus præstita juramenti fide se nunquam Ecclesiæ libertatem violaturum sponderet. His reposuit Cæsar, se jurato promittere, quod nunquam dignitati Pontificiæ ac libertati vim illaturus, nihil tamen de suo jure decessurus esset, (*) quibus postremis verbis Cæsar haud obscure significabat, in Parmensem & Placentinam civitates quoddam sibi jus competere.

Ant. Vera l. c p. 186.

§. LXXIX.

Protestantium Principum Legatio ad Cæsarem.

Sub idem tempus advenerant Deputati, quos Principes Protestantes in Spi-

Sleid. com. l. 7.

(*) Hæc verba ex Antonii Levæ instigatione ab Imperatore fuisse addita, observat Mussenius cum pluribus aliis Scriptoribus.

Sæcul. XVI. A.C. 1529. Spirensibus comitiis congregati ablegabant. Hos Cæsar die duodecima Septembris ad alloquium admisit, in quo hi affirmabant, quod eorum Principes decretum in hisce comitiis editum acceptare haud recusent, cum vero absdubio maximæ ex illo turbæ nascituræ sint, hinc ad præcavendos ejusmodi tumultus Cæsaream Majestatem suam rogarent, ne eorum oppositionem graviter ac molestе ferat; postmodum palam profitebantur, se nihil admissuros, quod tum ipsius, tum imperii dignitati atque honori adversum esset, de cetero tamen nihil ipsis magis æquum videri, quam ut per universum imperium promiscue omnibus Lutheri opiniones amplectendi libertas concederetur, donec juxta datam fidem liberum Concilium in Germania celebrari posset: Adimpleta autem hac conditione Principes eorum Dominos omnino facturos esse, quicquid Cæsar postulaverit, sive bellum foret gerendum contra Turcas, sive quodcunque aliud onus pro imperii salute sustinendum. Hi Deputati erant Joannes Ehingerus, Alexius Fraventralus, & Michael Cadenus Norimbergensis.

§. LXXX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1529.

§. LXXX.

Cæsaris Responsum ad Deputatorum postulata.

Imperator per interpretem hisce Deputatis responderi jussit, quod eorum postulata percepisset, eaque etiam obsequia, quæ Principum suorum nomine deferrent, pergrata haberet, ac communicato cum suis consilio, quod æquum videretur, ad eorum petita responsurus foret. His dictis Deputatos ad diem decimam tertiam redire jussit, qua etiam illis scripto responsum his verbis dedit: *De rebus Spiræ gestis necnon de decreto, quod Ferdinandus frater meus edidit plenam accepi notitiam, priusquam vos huc adveniſtis: Dissidium hoc inter Principes subortum, quod multis incommodis atque malis occasionem præbeat, vehementer doleo, cumque mei officii sit, hæc omnia præcavere, ne accidant, aut saltem, cum acciderint, emendare, ideo diu multumque de tota rei serie cum meis Consiliariis deliberavi, atque ita intellexi, decretum illud eo fine factum esse, ne quid deinceps innovetur, nec ulli sectæ sit in posterum locus, cujusmodi jam invectæ sunt complures & admodum tetræ: Deinde ut pax & concordia per Imperium statuatur; ideoque Saxoniæ Princeps aliique ejus socii merito debuissent his omnibus* *Sleid. l. c.*

Sæc. XVI. A.C. 1529.

acquiescere; nam & mihi & reliquis Principibus, animæ salus & conscientiæ tranquillitas non minus curæ est, quam illis, nec etiam minus optamus Concilium, quam illi; quamvis illud non admodum necessarium esse videatur, si modo, quæ communi voluntate atque consensu decreta sunt, valerent, si quoque illud omnium Ordinum approbatione factum Wormatiæ decretum, & huic a me conjunctum edictum servaretur, sicut & ipsi fatentur, ejusmodi decreta firma esse debere & fixa: cum igitur moribus receptum sit, ut quod major pars Ordinum Imperii sancivit, paucis quibusdam rescindere non liceat, ideo datis literis ad Saxonem atque Socios mandavimus, ut decretum hoc ratum habeant, nec contra faciant, sed obtemperent. Speramus itaque eos facturos, quod jussimus; id quippe nobis longe gratissimum erit, præsertim hoc in tempore, quo certo nunciatur, Christiani nominis hostem Turcam jamjam cum omnibus copiis petere Germaniam: hac super re egimus cum summo Pontifice, ac compositis quoque rebus per Italiam, quod felix atque faustum sit Universæ Reipublicæ, primo quoque tempore vim omnem atque vires in Turcas convertemus.

§. LXXXI.

Sæc. XVI. A.C 1529.

§. LXXXI.

Deputatorum oppositio contra Cæsaris responsum.

Deputati perlecto hoc responso rursus contra illud appellationem interponere aggrediebantur, ac reapse provocationis tabulas conficiebant, easque, testibus hanc in rem adhibitis, Alexandro Schweissio ad Cæsarem deferendas tradebant. Hic quidem id muneris subire primo renuebat, tandem vero acquiescebat. Verum audax hoc Deputatorum facinus Cæsar tantopere indignabatur, ut illis indicta carceris ac proscriptionis bonorum pœna prohiberet, ne pedem e diversorio moverent, aut literas ad Germanos perscriberent, donec aliud decerneretur. Eo tempore, quo præsens Cæsaris mandatum ceteris Deputatis significabatur, absens erat Michael Cadenus, qui & ipse ex Deputatis unus fuit: cum vero per famulum suum de tota rei serie edoceretur, quantocius datis literis de omnibus, quæ nuper gesta fuere, Norimbergensem Senatum certiorem fecit, existimans, quod ipse mandato ceteris suis sociis dato non adstringeretur. *Sleid. l. cit. p. 204.*

Equidem Deputati haud diu Placentiæ detinebantur, eoquod Cæsar in-

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

de Parmam paulo post delatus, illis die trigesima prima Octobris ferme illico post adventum suum nunciari juberet, quod eos ad suos reverti permitteret. Hoc mandatum deferendi negotium demandatum fuit Nicolao Granvellano, qui Cattinaræ a secretis erat, atque aliunde rerum gerendarum dexteritate eminebat. Ceterum ab hac redeundi facultate excludebatur Cadenus, qui sub capitis pœna remanere a Cæsare jubebatur, forte ea ex caussa, quod insuperhabito Imperatoris mandato literas in Germaniam misisset, quamvis alia adhuc hujus interdicti ratio assignetur, quæ tamen priori minus vero similis esse videtur. Huic nihilominus Hassiæ Landgravius negotium dederat, ut Cæsari libellum eleganter compactum, qui doctrinæ summam paucis complectebatur, porrigeret. Cadenus jussa fideliter exequitur, ac Cæsari, cum ad rem Divinam pergeret, libellum vel per se ipsum, vel saltem per alium tradidit, quem Cæsar quantocius cuidam Episcopo Hispano tum præsenti examinandum dedit. Hic vero post maturam illius discussionem Carolo significabat, quod hujus libelli Auctor adversus Christianorum Magistratuum jurisdictionem acriter declamaret, palamque assereret, quod jus gladii nullatenus Principibus Christia-

Sæcul. XVI. A. C. 1529.

Christianis competeret, sed nonnisi gentibus a Christiana fide alienis illo uti permitteretur. Forte hac de caussa detinebatur Cadenus; nam rationibus haud spernendis inniti videtur, quod Cæsar cum illo de libelli hujus Auctore conferre, simulque ab eo caussas edoceri voluerit, ob quas Landgravius præfatum libellum eidem porrigere ausus fuisset. Ut ut res se habeat, id omnino exploratum habemus, quod Cadenus Caroli mandato parere, periculosum fore ratus, equo clam conscenso celeriter Ferrariam, inde Venetias secesserit, domumque reversus fuerit.

§. LXXXII.

Dissidia inter Lutheri, & Zwinglii Sectatores.

Vix Norimbergensis Senatus literas a Cadeno scriptas acceperat, cum illico ad Saxoniæ Electorem, Hassiæ Landgravium, ceterosque Fœderatos nuncium mitteret, qui eis significaret, quod Cæsar Spirense Decretum observari omnino decrevisset. Ea res ansam præbuit percelebri Smalcaldico fœderi, pro cujus firmitate præfati Principes conventui suo circa finem Novembris initium dedere. Priusquam vero eo convenirent, Hassiæ Landgravius rursus dissidia

Cochl. in act. & script. Luth. hoc an. p. 199. Sleid. l. c. p. 201. Vide supra lib. 3. n. 87. & 95.

Sæc. XVI. A.C. 1529.

dissidia super articulo de Cœna Domini, & præsentia reali tollere, atque Lutheri & Zwinglii discipulos inter se conciliare tentabat. Perspectum enim est omnibus, quod Lutherus & Zwinglius usque ad annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum quintum in omnibus aliis doctrinæ capitibus idem senserint, tum vero solum in explicando sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sententiis ab invicem discreparint (*); quamvis enim ambo unanimi con-

(*) Hæc Continuator ex libro Petri Suavis Polani ad verbum descripsit, prorsus autem falsa esse discere potuisset ex Pallavicino, qui eundem Auctorem in Historia Tridentini Concilii lib. 3. cap. 1. num. 3. his verbis confutat: *Verum omnino est, Zwinglium dissensisse a Luthero etiam ante annum 1525, & in altera præcipua assertione, hoc est, Originalis peccati: cum ille affirmaret quidem, ex Adami noxa posteros tanquam hæreditariam habituros fuisse vitiosam propensionem ad solum proprium bonum, quæ ad peccandum traheret, nisi eos reparasset meritum Redemptoris, sed non idcirco contrahendam ab ipsis fuisse veram culpam, verumque peccatum, sed solum quoddam metaphoricum; quatenus ea est hæreditaria propensio*

consensu affirmarent, quod Corpus & Sanguis Christi Domini in Sacramento duntaxat in usu, hoc est, quando Eucharistiam sumens credit, atque reapse illam recipit, non autem ante vel post Sacramenti sumptionem præsens adsit, nihilominus docebat Lutherus, quod hæc verba: *Hoc est Corpus meum* ad literam sint intelligenda: ex adverso autem affirmabat Zwinglius, illa non nisi in *sensu figurato, spirituali ac sacramentali* esse accipienda. Hæc contentio utrinque in dies magis magisque efferveſcebat, ac præcipue Lutherus quacunque data occasione cum summa verborum vehementia, ac rabie opinionem suam tuebatur. Sæcul. XVI. A. C. 1529.

§. LXXXIII.

---

pensio ad peccandum, cum qua nasci debuissent ob contagionem parentum, potuisse peccatum nominari ea ratione, qua mors dicitur pallida, quia pallorem efficit. Vide Continuatorem sequenti §. LXXXIV. Hanc in rem Surius quoque in comment. hoc anno ita scribit: *Sunt, qui putent, & scribant, in hoc uno articulo de Cœna Domini dissidere Zwinglianos a Lutheranis, sed hoc falsissimum est, cum etiam in aliis non paucis inter se hostiliter dissentiant.*

Sæcul. XVI. A. C. 1529.

§. LXXXIII.

Epistola Melanchtonis ad Oecolampadium.

Inter epist. Melancht. lib. 4.

Hanc ob rem Oecolampadius comitiis Spiræ habitis ad Melanchtonem perscripsit epistolam, in qua vehementer querebatur, quod Faber Viennensis Episcopus totis viribus niteretur, ut Zwinglii secta damnaretur, quapropter Melanchtonem, ut hanc causſam defendendam susciperet, effictim rogabat. Verum Melanchton eidem hæc respondit: „ Veterum opiniones circa Cœ„ nam Domini sedulo examinavi, nec„ non quæcunque ultro citroque afferri „ possent, discussi, nec tamen sensum fi„ guratum approbare valeo, minus ve„ ro sufficientem reperi rationem, pro„ pter quam a propria verborum signi„ ficatione recedam. Si vero humanæ „ prudentiæ rationibus me trahi pate„ rer, aliam adoptarem sententiam; „ haud enim me latet, quod plurimi, ii„ que docti Viri, quorum amicitia mi„ hi semper proficua foret, Sacramen„ tariis adhæreant, ast eorum opinio„ ni assentire nequeo, equidem hi sibi „ imaginantur, quod Christi Domini „ absentis Corpus in Eucharistia veluti „ in tragœdia exhibeatur, mihi ex „ ad-

„ adverſo perſuaſum eſt, Salvatorem no- Sæcul. XVI.
„ ſtrum nobis promiſiſſe, quod nobis- A.C.1529.
„ cum velit eſſe usque ad conſumma-
„ tionem ſæculi, nec etiam neceſſarium
„ ſit, quod ibi Divinitas ab humanitate
„ ſeparetur, proin certus ſum, quod hoc
„ Sacramentum veræ præſentiæ pi-
„ gnus ſit, nosque in Cœna de Corpo-
„ re Chriſti Domini præſentis partici-
„ pemus, imo quod propria termino-
„ rum ſignificatio, cum nulli articulo
„ ſit adverſa, ſine omni ratione rejicia-
„ tur, cum tamen optime concordet
„ cum ceteris textibus, in quibus de
„ Chriſti Domini præſentia ſermo oc-
„ currit.„

Poſtea in eadem reſponſione Melanchton hæc ſubjunxit: „ Indigna eſt
„ Chriſtiano Viro ſententia, quæ Chri-
„ ſtum Dominum cuidam cœli parti
„ tanquam carceri incluſum, affixum-
„ que credit, de cetero Oecolampadius
„ nobis nil niſi inſulſa, ac veterum quo-
„ rumdam opiniones opponit; hæ ve-
„ ro nugæ, etſi veritatis ſpeciem præ-
„ ſeferant, nullatenus deterreant illos,
„ qui norunt, quod de Myſteriis ex Dei
„ Verbo, non autem ex principiis Geo-
„ metricis judicium ſit petendum.
„ Haud equidem diffiteor, quod in ve-
„ terum explicationibus quædam ſibi
„ repugnantia reperire ſit; aſt potiſſimi

tex-

Sæcul. XVI. A.C 1529.

„ textus ex celebrioribus Scriptoribus „ deprompti ostendunt, quod sententia „ de præsentia reali semper in Ecclesia „ communis fuerit. Quapropter rogo „ te, Oecolampadi, ut quæstionis, de „ qua agitur, gravitatem maturius per- „ pendas, simulque periculum, cui te „ exponis, dum ea cum tanto impetu „ propugnas, quæ sine ulla ratione cre- „ dis. His demum addidit, satius fo- „ ret, si quidam probi Viri hac su- „ per re colloquium haberent.„ Huic epistolæ respondit Oecolampadius, hujusque colloquii necessitatem ipsus comprobavit, imo, se ejusmodi disputationes ardenter exoptare asseruit, verum necesse foret, ajebat, ut pugiles nequaquam superbia inflati, aut disputandi æstu accensi essent, ne hisce animi motibus ancillantes, ad dignoscendam veritatem inepti reddantur, & ambæ litigantium partes adhuc magis a veritatis semita devient.

§. LXXXIV.

Colloquium Marpurgense inter Lutheri & Zwinglii assecias.

Cochl. l. cit. p. 196. Sleid. l. 6. p. 201.

Ea res Hassiæ Landgravium impulit, ut factionem utramque permoveret, quatenus proximo Mense Octobri convenirent. Seligebatur hanc in rem Mar-

Marpurgenſis civitas in Haſſiæ Provincia ad Lanam ſita. Illuc ergo e Saxonia venerant Lutherus, Melanchton, & Jonas. Ab Helvetiis vero ex Pago Tigurino mittebatur Zwinglius unacum Oecolampadio; primi tamen omnium aderant Argentorato Martinus Bucerus & Hedio, Norimberga Andreas Oſiander, Hala Brentius, ac denique Auguſta Stephanus Agricola. Confluxerant præterea plures alii viri graves juxta ac eruditi: Priusquam vero publica fieret diſputatio, Lutherus, Oecolampadius, Melanchton & Zwinglius die trigeſima Septembris ſeparatum inter ſe habebant colloquium, poſtera autem die iidem publice congrediebantur. Verum hujus diſputationis acta nec magis certa nec magis diverſa ſunt ab aliis diſceptationibus, quas antea Lutheri ac Zwinglii Sectatores inter ſe habebant; quinimo nequidem certo conſtat, quinam ex utraque factione in arenam deſcenderint; Sleidanus enim affirmat, *quod ſolus Lutherus atque Zwinglius cauſſam diſceptarint:* ex adverſo Cochlæus & Eckius, qui quamvis æque ac Sleidanus huic colloquio haud intererant, loco tamen proximiores erant, teſtantur, quod Oecolampadius contra præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia plura

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Hoſpinian. ad ann. 1529 in coll. Marpurg. Melancht l. 41. epiſt. 88 & epiſt ad Elect. Sax. & ad Henric. Duc. Sax. Ibid. & apud Luth. conc. 4 Jen. Pallavic. hiſt. Conc. Trid. l 3. c. 1. Boſſuet hiſt. des variations tom. 1. l. 2. art. 55. p. 110.

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

ibidem propoſuerit argumenta; ceterum ſi in re adeo ambigua conjecturæ locus eſſe poteſt, vero longe ſimilius eſt, quod Zwinglii ſautores potius Oecolampadio quam Bucero doctrinæ ſuæ defenſionem committere voluerint, eo quod prior inter eos doctrinæ præſtantia ex omnium judicio longe eminentiſſimus eſſet, alter vero in lectione Sanctorum Patrum minus quam Oecolampadius fuiſſet verſatus, atque aliunde eorum teſtimonia depravare, & in favorem doctrinæ, quam recens amplexus fuerat, detorquere nondum didiciſſet.

Inſuper veritatis ſpeciem præſeferre videtur, quod Lutherus, antequam circa Euchariſtiam de præcipuo dogmate inter utramque factionem controverſo ageretur, alios quosdam propoſuerit articulos, quos in Zwinglii Sectatoribus, eorumque doctrina carpebat. Docebant enim illi I. quod nullum detur peccatum originale, ſed illud non ſit aliud, niſi debilitas, & morbus originalis, nec ab eo peccato infantes per Baptiſmum liberentur. II. Nec conferatur Spiritus Sanctus per Verbum Dei, & Sacramenta, bene tamen absque hoc Verbo, & ſine Sacramentis. III. Præterea nonnulli ex ipſis in ſuſpicionem trahebantur, quod perperam ſentiant de SS. Trinitate, & de Divinitate

tate Christi Domini. IV. Quod parum virtutis tribuant fidei in justificationis negotio, nimium autem piis actionibus confidant. V. Denique Lutherus illos accusabat, quod Corpus & Sanguinem Christi Domini vere in cœna præsentem esse negent. Nihilominus perversæ de SS. Trinitate, & Divinitate Christi doctrinæ suspicionem omnino a se amoliebatur Zwinglius: de originali autem peccato, & Sacramentorum effectu prolixum admodum sermonem habuit, atque circa hosce articulos Melanchtonis sententiam secutus est, suamque opinionem, quam antea tenuerat, aut explanavit, aut omnino revocavit. Solus erat articulus de Cœna Domini, in quo cum Luthero nullatenus convenire poterat; non enim eo tempore, prout postea factum, mere æquivocis explicationibus utrinque certabatur, sed Lutheri assecłæ aperte realem Corporis & Sanguinis præsentiam tuebantur, Zwinglii vero Sectatores illam sine ambagibus negabant, nec utrique factioni alia erat vox, quam quod præsentia in figura, & præsentia per fidem nullatenus vera, sed nonnisi moralis, improprie dicta, atque Metaphorica sit præsentia; nunquam tamen ambæ partes conciliari poterant, sive quod hujus dissidii auctores controversiam tanto æstu agitatam

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Sæc. XVI. A.C. 1529.

dimittere erubescerent, sive quod Lutherus ingentem capiti suo tempestatem imminere cerneret, ut ipsemet in quadam epistola paulopost ad amicum scripta fatetur, proin Principes plebi magis infensos reddere, eosque majoribus adhuc periculis exponere timeret, si Zwinglio adhærentium interpretationem tantopere Catholicis exosam amplecteretur. Forte etiam continuati dissidii hæc extitit causa, quod neutra pars, in quo quæstionis cardo verteretur, probe intelligeret, prout ipsemet Melanchton testatur in duabus Epistolis, quas de disputationis successu rationem redditurus, ad Principes perscripsit, inquiens

Melancht. loc. cit.

Plane compertum habemus, quod adversarii nostri non intellexerint doctrinam Lutheri, licet ejus linguam imitari conarentur.

Cum igitur Hassiæ Landgravius probe cognosceret, quod in componendis duabus hisce sententiis oleum & operam perdidisset, hinc utrique litigantium parti injunxit, ut hac super re eo præsente conferrent, simulque huic colloquio interesse voluit quosdam ex suis Consiliariis, præter nonnullos Theologos Marpurgenses, aliosque Viros doctrina conspicuos. Solidos tres dies tenuit

tenuit hæc disputatio, in qua Lutherus immote insistebat Verbis in institutione SS. Eucharistiæ a Christo Domino prolatis; his enim manducationem corporalem invicto prorsus argumento comprobari contendebat. Luthero tum Oecolampadius respondit, asseruitque hæc verba non nisi de præsentia spirituali atque metaphorica esse intelligenda; ex adverso admisit equidem Lutherus præsentiam spiritualem, per eam tamen minime excludi corporalem affirmabat: hinc utrinque plurima argumenta, ac SS. Patrum testimonia allegabantur, quorum tamen veritate neutra pars convictam sese profitebatur; quippe Lutherus pro more suo cum summa arrogantia differebat; Zwinglius vero insignem adeo prodebat ignorantiam, ut persæpe interrogaret, *qua ratione fieri possit, ut malus Sacerdos rem sacram conficere valeat?* Eum Lutherus egregie confutabat, atque exemplo Baptismi ab indigno collati ostendit, quod ejus adversarius, quæ dicit, nequidem intelligat: Tandem vero, cum Zwinglius atque Oecolampadius Lutherum ad deferendam opinionem suam inducere desperarent, nec tamen ipsi a sua sententia discedere vellent, hinc illum rogabant, ut saltem illos pro fratribus agnosceret. Ast a Luthero arroganter repulsi sunt, quam

Sæcul. XVI. A.C. 1529

Bossuet. l. c. p. 112. Hospin. l cit. Luther. epist. ad Jacob. Præpositt. Brem.

Sæc. XVI. A.C. 1529.

quam fraternitatem petitis, ajebat ad eos, *perſiſtentes in opinione veſtra? profecto de ea dubitare videmini, volentes eſſe eorum fratres, qui ſententiam veſtram rejiciunt.* Ita utraque pars diſceſſit; paulopoſt tamen inſtruebantur articuli, in quos utriusque partis conſenſus conſpirabat. Hi concernebant dogmata de SS. Trinitate, de peccato Originali, de juſtificatione per fidem, de efficacia baptiſmatis, de utilitate confeſſionis, de auctoritate Magiſtratuum, de neceſſitate Baptiſmi parvulorum, ac denique de manducatione ſpirituali Chriſti Domini in Cœna.

§. LXXXV.

Marpurgenſe colloquium re infecta ſolutum.

His necdum contentus Haſſiæ Landgravius inſuper diſſidentes rogabat, imo etiam, ſi neceſſe foret, præcepti ſeveritate urgendos ajebat, ut impoſterum, poſtquam in ceteris doctrinæ capitibus conveniſſent, ab omni contentione circa articulum de Euchariſtia abſtinerent, „Rogabo Dominum Deum, „ ſubjunxit Landgravius, ut vobis lu- „ men ad cognoſcendam veritatem ne- „ ceſſarium concedat, ſimul vero tan- „ tam impertiatur charitatem, ut una- „ omnes

Luther. l. cit

„ omnes simul in pace vivatis. „ Ast Lutherus hanc charitatem interpretabatur de ea, quæ inimicis debetur, non autem de illa speciali, quæ inter Christianos ejusdem fidei vinculo unitos requiritur. Nihilominus tamen utrinque conventum, ne litigantes scriptis ultro citroque sese impeterent. Verum haud diu hæc concordia substitit; quippe novæ doctrinæ Sectatores vix e colloquio discesserant, cum illico, ut fieri assolet, se contra Lutherum victoriam reportasse jactarent, vicissim vero Lutheri asseclæ *Sacramentarios* fuisse devictos scriptis ac verbis divulgabant; unde animorum contentio indies usque adeo accendebatur, ut Lutherus Fratrum societatem a Zwinglio oblatam non modo velut artificiosam fraudem traduceret, sed etiam palam assereret, Dæmonem tantopere eis dominari, ut ultra nil aliud quam mendacia proferre valeant.

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Raynald. hoc ann. n. 7.

§. LXXXVI.

Nova Landgravii molimina pro componendis litigantium dissidiis.

Attamen Landgravius sinistro primi sui conatus successu adeo non animum despondebat, ut etiam magis pro-

Sæc. XVI. A.C 1529

ſperi eventus ſpe erectus Sectatoribus ob oculos poneret, utrinque e re potiſſimum fore, ut ſaltem animis, quamvis doctrina ab invicem diſſentirent, ſincere conjungerentur, cum absque mutua concordia haud diu partes ſuas tueri poſſent. Hanc in rem illos Solisbacum convocabat, ut eis mentem ſuam aperiret, ac conſilia ſuggereret. Aſt cum nulla animorum averſio difficilius ſanetur, quam quæ in materia Religionis ex opinionibus menti impreſſis ſive veris, ſive falſis ortum ducit, hinc Landgravius quoque experiri cogebatur, quod Lutheri diſcipuli maluerint a Catholicis opprimi, quam Zwinglii Sectatores ad ſectæ ſuæ ſocietatem admittere, viciſſim vero hi, cum ex armorum fœdere cum Helveticis Tribubus nuper inito potentia ac numero prævalerent, haud amplius ab illis articulis, quos Marpurgi deſeruerant, deſciſcere, multo minus vero realem Chriſti Domini præſentiam in Cœna profiteri volebant; unde mutua utrinque animorum averſio usque adeo excreverat, ut potius ad unionem fidei Catholicæ reverti vellent, quam a ſuis articulis vel minimum remittere. Hinc factum, ut Sacramentarii, quamvis in Marpurgenſi colloquio ſpopondiſſent, quod præter ſententiam de reali Corporis & Sanguinis Chriſti præ-

præsentia etiam ceteros articulos, in quibus a Lutheri alumnis discrepabant, ejuraturi essent, nunc tamen in nullo prorsus articulo illis cedere decernerent; quapropter Lutherani etiam pervicavi prorsus consilio a Sacramentariis postulabant, ut circa Sacramentorum administrationem, Missæ Sacrificium aliosque Ecclesiæ ritus in cunctis suis Ecclesiis ritum a Luthero stabilitum observarent. Itaque ob mutuum utriusque factionis odium secunda hæc Landgravii consilia prioribus haud magis prosperum sortita sunt eventum. Sæc. XVI. A. C. 1529.

§. LXXXVII.

Principes Protestantes, urbiumque Deputati Smalcaldiæ congregati.

Ceterum idem Hassiæ Princeps, cum omnes conatus suos in irritum cecidisse cerneret, sua studia ceteris addixit Fœderatis, qui sub finem Mensis Novembris Smalcaldiæ convenire jubebantur, ut pari armorum robore sese Cæsaris potentiæ opponerent, veriti, ne ab eo opprimerentur. Hanc in rem Landgravius cunctis Imperii urbibus, quæ Lutheri erroribus erant infectæ, hæc exponebat: Non eo numero apud vos sit Carolus V, quo olim a Caroli *Sleid in com. l. 7. p. 205.*

Sæcul. XVI. A.C. 1529. Magni tempore Imperatores ejusdem Prædeceſſores habebantur; ille enim præter Hiſpaniæ Regna imperium velut undique cinctum tenet ſeptendecim Belgii Provinciis, hæreditariis Auſtriacæ Domus Regionibus, Hungariæ ac Bohemiæ Regnis, necnon Sileſiæ, Moraviæ, & Luſatiæ Ducatibus. Inſuper cum Galliarum Rege nuperrime fœdus, pacemque ſancivit: Si igitur inter vos mutuas identidem inimicitias agitatis, Germani non niſi infirma manu Cæſaris potentiæ reſiſtere poterunt, econtra vero, ſi animo & ope concordes eritis; facili prorſus negotio formidandæ Caroli vires frangi valebunt. Illuxerat præſtituta dies ad celebrandum conventum, ad quem etiam acceſſerat Saxoniæ Elector unacum Joanne Friderico Filio ſuo. Hos brevi ſequebantur ambo Fratres Erneſtus ac Franciſcus Luneburgi Principes necnon Philippus Haſſiæ Landgravius, atque Anhaldinus Princeps præter Georgii Brandeburgici Conſiliarios, pluresque alios. Sub idem quoque tempus legati ab iſtis miſſi ex Italia redibant, ſimulque ſuis quisque Dominis referebant, qua ratione Placentiæ a Carolo Cæſare fuiſſent excepti. Re comperta viſum erat potiſſimis, præprimis de concipienda fidei formula agendum eſſe. Verum obſtiterant

terant Argentinenſes, atque Ulmenſes; reponebant enim illi, hunc conventum nullatenus eo fine fuiſſe indictum, ut doctrinæ capita diſcuterentur, ſed unice, ut ibidem adverſus Cæſareæ Majeſtatis molimina fœdus percuteretur: cum vero ceteræ civitates reponerent, nullum ipſis eſſe hujus rei mandatum, Landgravius tum fœdus maturare præpediebatur. Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. LXXXVIII.

Decretum a Papa Bononiam diſceſſuro editum.

Interea Pontifex Roma Bononiam proficiſci parabat, ita enim inter ipſum & Carolum Cæſarem conſtitutum erat: priusquam vero iter aggrederetur, die ſexta Octobris Conſtitutionem edidit hujus tenoris: *Cum Carolus Imperator Turcarum Tyrannum cum potentiſſimo exercitu ad Regnum Hungariæ invadendum venire intellexiſſet, ac deſideret ipſi Chriſtianæ Reipublicæ opem ferre, hinc nos pium & honeſtum ejus deſiderium plurimum commendantes ad officium noſtrum pertinere cognoſcimus, ut ad ipſam civitatem Bononienſem omni celeritate nos conferamus; in alma tamen urbe noſtra cauſſarum, & literarum Apoſtolicarum audientiam relinquimus, ut ſi ante reditum noſtrum nos ab hac luce*

Extat in Bullar. t. 1. Clem. VII. Conſtit. 26. Raynald. ad hunc annum num. 75. 77.

Sæcul. XVI. A.C. 1529

luce migrare contingeret, in ipsa urbe Romana, & non in civitate Bononiensi, seu in alio loco, in quo tempore obitus nostri resideremus, electio Romani Pontificis fieri debeat; nisi ipsa urbs tunc interdicta, vel contra Ecclesiam Romanam in manifesta rebellione persisteret, seu de hostili invasione dubitaretur. Tum vero in Civitate Castellana, seu Urbevetana, seu Perusina electio Romani Pontificis fieri poterit, decernimus autem, electionem alibi factam nullam, & irritam fore.

Altera die post promulgatum hocce decretum præeunte SS. Evchariſtia, quam Pontifices in itinere secum deferre solent, Clemens Papa Roma discessit, comitantibus eum sexdecim Cardinalibus, nonnullis Episcopis, totaque ejus Curia. Bononiam delatus, ad Ecclesiam S. Petri deducebatur, ubi eum Præpositus unacum suo Clero honoribus Pontificiæ dignitati debitis excepit. Postmodum Papa die vigesima nona ejusdem Mensis Senatum habuit, in quo unacum suis Cardinalibus de norma ac modo celebrandi coronationem egit.

§. LXXXIX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1529.

§. LXXXIX.

Carolus V. Bononiæ.

Imperator etiam magnis itineribus Bononiam contendebat, cumque ad castrum Francorum, quod decimo quinto ab urbe lapide dissitum est, perveniret, omnes ferme Cardinales eidem extra Portam S. Felicis obviam ibant, ejusque adventum prope monasterium Carthusianorum nonnisi media leuca ab eadem civitate distans præstolabantur: ut primum vero Cardinales adventantem e longinquo conspexerant, unaomnes proximius accedebant, atque inter eos Farnesius Cardinalis Decanus nomine summi Pontificis totiusque sacri Collegii prosperum Cæsari adventum solemni oratione gratulabatur: Huic Carolus V. paucis verbis respondit, ac medius inter Cardinalem Decanum, & Anconitanum usque ad Carthusianorum asceterium processit, in quo instructum erat cubile, ut pro ingressu necessaria disponerentur. Priusquam vero eo perveniret, tres Cardinales ab illo discesserunt, Pontificem de ejus adventu certiorem reddituri.

Guicc. l. 19. Paul. Jov. hist. lib. 27. Rayn. l. cit. n. 81. 83.

§. XC.

Sæcul. XVI. A. C 1529.

§. XC.

Cæsar Bononiæ honorifice exceptus.

Igitur Cæsar postera die, quæ erat quinta Novembris, Bononiam ingrediebatur. Accepto adventus nuncio quantocius cuncti Senatores equis vecti, ac vestibus ad pompam splendidis induti ex urbe egrediebantur, demum vero bini ac bini ipsum Cæsarem præibant, ut eum ad urbem deducerent, viamque pararent. Præterea tota Universitas, omnesque quotquot in civitate quibusdam dignitatibus conspicui erant, plusquam ducentis Leucis extra urbis portas obviam ibant. Hos inter præcipui sericum auro distinctum umbraculum purpurei coloris deferebant, sub quo Imperator armatus incedebat, atque in ipso militaris Spiritus se prodebat, qui cunctis magni hujus Principis venerationem, & reverentiam inspirabat. Porro proxime Cæsarem sequebatur Antonius Leva Belli dux militari scientia longe clarissimus, qui equo vectus, senioque gravis præ gaudio in lacrimas effundebatur, in hoc potissimum lætus, quod adhucdum vita superstes tam speciali honore in hac solemni pompa decoraretur, postquam jam quinquagesimum militiæ annum exple-

Paul. Jov. ibid. Guicc. ut supra.

expleverat, totidemque ferme vulnera acceperat. Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Huic proximi incedebant Andreas ab Auria ſupremus Cæſareæ claſſis Præfectus, & ſecundus Imperii Vexilifer, qui auream aquilam, Romanorum inſigne, præferebat. Poſt hos ibant Miniſtri, ac aulæ Cæſareæ Officiales. Hoc ordine inſtructi omnes ſonantibus tubis, ac tympanis procedebant uſque ad aream Eccleſiæ Cathedralis, ubi altum amplumque erectum erat tabulatum pretioſis tapetibus ornatum, in quo Clemens Papa Pontificio ornatu inſignis, ac tiara redimitus ſedebat, Cæſarem præſtolaturus.

§. XCI.

Carolus Imperator a Papa exceptus.

Cum igitur Carolus Cæſar plusquam vigeſimo adhuc paſſu a pegmate diſtaret, equo deſcendit, ejus latera ſtipantibus ſexaginta & amplius Legatis, ac quamplurimis, iisque Nobiliſſimis aulæ ſuæ Proceribus. Poſtea medius inter duos Cardinales Farneſium, & Anconitanum propius ad Papam accedebat, atque conſcenſis ſolii gradibus ejusdem pedes genuflexus oſculari parabat; aſt ſummus Pontifex, retracto pede confeſtim exurgens, Cæſarem erexit,

Sæcul. XVI. A.C. 1529

xit, eumque utriusque genæ oſculo honoravit, poſtea ſtans officioſæ ſalutationis ſermonem a Cæſare idiomate Hiſpano prolatum excepit, eidemque Italice reſpondit, ſignificans, ſe ob ejus adventum haud minori lætitia quam ſpe affici, qua brevi Eccleſiæ totique Europæ optatam pacem reſtitutum iri confideret.

Hisce obſequiis utrinque præſtitis Carolus ſummo Pontifici dono dedit capſulam argenteam aureis refertam nummis, quorum quivis duodecim libras ponderabat. Viciſſim vero Papa Imperatori donabat imperialem aquilam duabus auri libris gravem, gemmisque pretioſiſſimis diſtinctam. Poſtea vero ambo per eosdem gradus ex pegmate deſcendebant, ita tamen, ut Pontifex caput ſua tiara ornatum haberet, Cæſar autem pileo ſuo tectus ſiniſtrum Papæ latus ſtiparet. Comitabatur Clemens Carolum uſque ad Eccleſiæ portam, ubi eodem valere juſſo unacum ſuis Cardinalibus, atque Prælatis ſeſe ad cubile ſuum recepit. Poſt Papæ diſceſſum Archiepiſcopus ejusque Clerus prope januam Cæſarem excipiebant, eidemque aquam luſtralem porrigentes, illum Sacerdotali ornatu inſignes uſque ad ſummum Altare comitabantur, ubi Cæſar genuflexus preces ſuas perſolvit, demum vero ab ipſo Epiſcopo ac Clero uſque

usque ad cubile, quod pro eo præpara- Sæcul. XVI.
tum penes Pontificem erat, deducebatur, comitantibus illum Papæ Ministris, urbis Magistratibus, ac præcipuis Aulæ Proceribus. A.C. 1529.

§. XCII.

Secreta Cæsaris colloquia cum summo Pontifice.

Toto, quo Papa Bononiæ hærebat, tempore Cæsar septem omnino vicibus Clementem in suo Palatio officiose salutabat, frequenterque ac diu privatim cum eo de præsenti rerum statu conferebat. Vicissim Pontifex Carolum tribus vicibus cum comitatu ad pompam instructo invisit, atque in hisce colloquiis nonnisi ejusmodi proponebat negotia, quæ ipsi maximi momenti res esse videbantur. Præprimis Cæsarem efflictim rogabat, ut caussam Franciſci Sfortiæ tuendam in se susciperet: Hic enim tertius hujus nominis Dux a Mediolanensi Ducatu, in quo Maximiliano fratri suo succesſerat, expulsus fuit; cum igitur Cæsar Papæ precibus annuere videretur, confestim Sfortia rem edoctus Bononiam contendit, seque ex ipsiusmet summi Pontificis suasu ad pedes Imperatoris supplex provolvit.

§. XCIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1529

§. XCIII.

Franciscus Sfortia a Cæsare Mediolanensi Ducatui suo restitutus.

Imperator Sfortiam per aliqua temporis momenta genuflexum excepit, postea vero surgere jussum præsentibus Venetorum Legatis benignis hisce verbis allocutus est: „ Equidem tua in me „ infidelitas permolesta mihi accidit, „ nec ultionis media mihi deessent, si „ eo devenire vellem; Mediolanensem „ enim Ducatum jure retinere possem, „ eo solo nomine, quod beneficiariam „ illius possessionem edito diplomate a „ Maximiliano Avo meo receperim; „ præterea si belli juribus insistere vo- „ luissem, certo nomine Ducatum mi- „ hi vendicare potuissem. Nihilomi- „ nus te in pristinum dominium repo- „ nere statui non modo, ut Sanctitatis „ suæ precibus, & Reipublicæ votis ce- „ dam, a quibus universalem pacem „ reducere rogatus sum, sed etiam ut „ innatæ indoli meæ obsequar, qua li- „ bentius propria amittere, quam alie- „ na eripuisse, saltem suspicandi ansam „ dare volo. „ Tanto itaque magnanimitatis ac justitiæ studio incitatus Imperator Sfortiæ Mediolanensem Ducatum restituit, simulque Cæsareum inaugurationis diploma concessit, ea lege,

Guicc. l. 19. Paul. Jov. lib. 26. Ant. Vera l. cit. p. 177. Sleidan. l. 6 p. 202.

ge, ut in pecunia numerata centies mille aureos Imperatori penderet, & præter quingenta millia intra decem annos per totidem ſolutiones numeranda inſuper Chriſtinam Neptin ſuam, ac Regis Daniæ filiam uxorem duceret. Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. XCIV.

De Ferrariæ Ducis negotio.

Sub idem tempus Ferrariæ Dux Cæſarem rogabat, ut controverſiæ, quam hic Dux cum Papa habebat, arbiter ac judex eſſe velit. Placuit Cæſari Ducis conſilium, ipſe etiam Clemens Papa cauſſæ ſuæ haud melius conſultum iri arbitrabatur, quam ſi Cæſaris deciſioni ſeſe ſubmitteret, eo potiſſimum nomine, quia Carolus ex Barcinonenſis fœderis legibus ſeſe obſtrinxerat, quod operam ſuam impendere velit, ut Mutinam ac Reggium recuperaret, necnon Ferrarienſis Ducatus poſſeſſionem acciperet.

Ceterum magis pertinaces erant Florentini; hi enim cunctas concordiæ leges cum Papa ineundas reſpuebant, niſi ſaltem eisdem libertatis ſuæ, quam ad ultimam uſque ſanguinis guttam tueri ſtatuebant, conſervatio promitteretur. Hanc in rem offerebant ingentem auri vim: cum autem conditiones, quas Papa proponebat, eis minus arriderent, re infecta diſcedebant.

Sæcul. XVI. A.C.1529.

§. XCV.

Cæsar Papam ad Synodi celebrationem inclinare intentus.

Pallav. hist. Conc Trid. l. 3. c. 7.

Quamvis cuncta hæc profana negotia Cæsaris animum haud parum distentum tenerent, potiorem tamen sollicitudinis suæ partem sibi vendicabant Ecclesiæ calamitates, quæ majoris longe momenti, ac necessitatis erant: ægerrime enim ferebat Imperator, edictum suum Wormatiense passim a Protestantibus vilipendi, eosque palam Lutheri hæresin profiteri: cum vero ad Turcas ex Hungaria propellendos horum quoque auxilio indigeret, adhucdum erga illos clementia uti voluit, quapropter nil magis proficuum, atque officii sui legibus congruum existimabat, quam ut eis liberum, quod petebant, Concilium celebrari concederet, hancque ob rem toto ferme, quo Bononiæ morabatur, tempore in eo erat, ut Papam ad acceptandam hanc propositionem inclinaret. Verum conatibus suis tum optatus abludebat successus.

§. XCVI.

Rationes a Papa ad declinandum Concilium allatæ.

Pallav. l. cit. Frapaol. hist. Conc. Trid. l. 6.

Cum autem Clemens Papa nil magis abhorreret, quam Synodi celebrationem,

tionem, præsertim, si eam ultra mon- Sæc XVI.
tes, ubi Principes Papæ juribus minus A.C. 1529.
favebant, libere haberi contingeret, hinc varia argumentorum genera proposuit, ut Cæsari persuaderet, Synodum adeo non ad sedandos Germaniæ tumultus prodesse, ut etiam ipsam quoque Cæsaris auctoritatem in discrimen adduceret, eoquod, inquiebat Papa, populus & Principes, ex quibus Imperium constat, hæresi infecti sint, ac inde timendum foret, ne populus, postquam semel libertatem fidei capita in dubium vocandi, atque ampliorem illorum explanationem in re adeo periculosa exigendi facultatem obtinuisset, pariter ad restaurandam regiminis normam manum extendere, ac pro arbitrio suo Principum suorum auctoritatem diminuere præsumat, cum nihil magis veritati accedat, quam quod jurisdictionem quoque profanam aggredi audeat, postquam ei potestatem Ecclesiasticam dijudicandi facultas permissa fuerit; de cetero autem longe facilius sit primis vulgi postulatis resistere, quam illud in officio, ac justitiæ limitibus continere, postquam ad sedandos illius motus aliqua semel indulgentia adhibita fuit: ceterum inquiebat Pontifex, Principes, qui Concilium celebrari postulant, ad id nullatenus pietatis, sed unice pri-

Sæcul. XVI A. C. 1529.

vati quæstus studio incitantur, illique eo duntaxat fine novæ huic Sectæ nomen dederunt, ut Ecclesiasticorum bona ab hæreticis oblata possidere, ac pro summo Imperio dominari possent, & tandem penitus a S. R. Imperii necnon & Cæsareæ Majestatis suæ obedientia sese subtrahere valerent. Interim a perverso hoc agendi modo illi duntaxat adhuc immunes sunt, qui nondum hasce libertatis illecebras uberius gustarunt, iidem tamen, quamprimum eas libarent, mox ceterorum exemplum imitabuntur: exinde magnum quidem damnum Sedi Apostolicæ accedit ex Germanorum defectione, majus tamen ipsi Cæsari, ac Domui Austriacæ inde imminet; nullum igitur magis opportunum occurrit consilium, quam ut Cæsarea sua Majestas suam auctoritatem quamdiu adhuc potissimæ urbes in fide constantes persistunt, debita severitate exerat, ac prompta adhibeat remedia, priusquam adversa factio ex ipsis commodis, quæ nova hæc Secta pollicetur, numero ac potentia magis crescat; frustra autem pœnarum severitas adhibetur, si Synodi celebrandæ consilium diutius urgetur. Plurimorum enim annorum seriem illius convocatio requirit, nullaque negotia nisi post longas deliberationes dirimi possunt, ac insuper

per innumera pene opponuntur obſtacula a frequenti illorum numero, qui ſub variis prætextibus, ac privati commodi rationibus ejusmodi Synodi celebrationem aut impediunt, aut ſaltem eo fine retardant, ut tandem totum negotium in irritum cadat. Sæcul. XVI. A.C.1529.

Præterea inquiebat Papa, haud ignoro, quod paſſim ſpargatur, acſi ſummi Pontifices a Conciliorum celebratione abhorreant, eoquod poteſtatis ſuæ diminutionem in illis fieri reformident, ego tamen alterius longe ſententiæ ſum; Chriſtus enim, a quo meam auctoritatem immediate accepi, eſt pollicitus, quod portæ inferi adverſus Eccleſiam nunquam prævalere poterint, inſuper, addebat Pontifex, præteriti temporis experientia docuit, quod Pontificia auctoritas non modo per nullam omnino Synodum diminuta, ſed ſemper tanquam ſuprema, nullisque limitibus circumſcripta fuerit agnita, quæ quod talis etiam reapſe ſit, ipſa Chriſti Domini verba comprobant.

Equidem Imperator reponere potuiſſet, quod hæc Chriſti Domini verba non de Pontifice, nec ſeparatim de Romana Curia, ſed de tota Eccleſia intelli-

Sæcul. XVI. telligenda sint (*), proin Papæ ratio-
A. C 1529. nes utpote falsis principiis innixæ, penitus corruissent. Verum Carolus Pontifici

(*) Ejusmodi responsum minime summo Pontifici timendum erat a Carolo Rege Catholico, & Cæsare Christianissimo, qui nondum cognitum habebat Cleri Gallicani conventum anno Domini millesimo sexcentesimo octogesimo secundo celebratum, econtra vero firmiter tenebat omnium retro actorum sæculorum doctrinam, qua ab omnibus credebatur, quod soli Petro tanquam capiti propter Ecclesiam infallibilitas, sine qua membra seu oves pascere non posset, a Christo promissa sit, & nunquam in sacris Paginis legatur, ovibus seu Ecclesiæ soli propter Petrum ejusque Successores ejusmodi privilegium fuisse concessum: Ceterum an prærogativa fidei nunquam defecturæ personam Petri tantum nobilitaverit, vel an etiam ad ejus Successores simul sit transmissa, vel utrum verba, quibus Petro hoc Privilegium conceditur, Petrum quatenus universæ Ecclesiæ personam gerebat, significent, varia est sanctorum Patrum interpretatio, ita tamen, ut neutra alteram expositionem destruat, proin Imperator Carolus summo Pontifici inepte reposuisset, quod hæc Christi verba duntaxat de sola Ecclesia intelligenda sint. Cum autem de hac controversia innumeri pene extent Auctores,

tifici cuncta sua jura latius extendendi facultatem libere concessit; unde Clemens hunc in modum prosequebatur: quando etiam summi Pontifices aut propter humilitatem, aut alias ob causas suæ potestatis plenitudine non utebantur, Conciliorum tamen Patres semper eosdem ad exercendam omnem suam auctoritatem urgebant; quocirca eadem hæc potestas semper aucta fuit per ipsa Concilia, quæ summi Pontifices sive ad coercendos hæreticos, sive propter alias Ecclesiæ necessitates celebrabant. Præterea, etiamsi Christi Domini promissio, quæ tamen unicum supremi Pontificatus fundamentum est, silentio prætereatur, nihilominus Synodi celebratio semper Papali auctoritati proficua erit, eoquod in ea jus suffragii duntaxat penes Episcopos sit, quorum summopere interest, ut Pontificis auctoritatem semper integram servent, cum eorum auctoritas adversus Principum ac populi invidiam, & licentiam ab ipsa quoque Papæ potentia præsidium ac patrocinium accipiat, at- Sæcul. XVI. A.C.1529.

res, hi passim consuli poterunt, ac inter ceteros præcipue Hieremias a Bennetiis in *vindiciis Privileg. summ. Pontif.* necnon Gallus Carierus in libro *de auctoritate & infallibilitate Pontificum contra Bossuetium & Tournelium.*

Sæcul. XVI. A.C.1529

que ipsi etiam Reges ceterique Principes ad regendum idonei Apostolicæ auctoritatis tuendæ studiosissimi sint, cum per illam validissimum frænum habeant ad suarum ditionum Præsules in officio continendos, si quando ultra potestatis suæ limites vellent assurgere. Ceterum prædicare audeo, inquiebat Pontifex, quod ejusmodi Synodus graviorum adhuc tumultuum occasio futura sit in Germania, eoquod illi, qui eam celebrari postulant, hac petitione utantur tanquam prætextu, sub quo impune in suis erroribus perseverare valeant usque ad Synodi celebrationem: ubi vero eorum hæresis damnata fuerit, prout absdubio proscribetur, illi quantocius ut Synodi definitionem eludant, graviora adhuc molituri sunt. Tandem Papa suam orationem his verbis absolvit: Meis rationibus plena fides adhibeatur, eo potissimum nomine, quod nullo alio desiderio magis ardenti inciter, quam ut Germania rursum Ecclesiæ uniatur, ac penitus Cæsari subjecta maneat; neutrum vero impetrari posse prævideo, nisi sacra Cæsarea Majestas sua prompte in Germaniam revertatur, ibidemque Leonis X. Constitutionem ad effectum deduci jubeat, nec Protestantum precibus sese flecti permittat, sive demum ad dilucidanda eorum dubia Synodum petant,

petant, sive interpositam oppositionem, necnon suam appellationem ad Concilium allegent, sive denique ad tegendam suam impietatem quocunque alio obtentu utantur. Si vero illi mandatis tuis morem gerere recusaverint, quantocius eos armis in officium revoces, nec id tibi difficile erit, cum omnes Principes Ecclesiasticos, necnon potissimos ex Principibus Laicis tuo obsequio addictos habeas. Hæc quoque præstare teneris Romanæ Ecclesiæ, cum illius sis protector, necnon Romanorum Rex, ac insuper ad id tam Sacramentum, quod in coronationis tuæ solemniis Aquisgrani exsolvisti, te adstringat, quam etiam obliget jusjurandum, quod in coronæ Imperialis receptione proxime præstiturus es (*).

Sæcul. XVI. A.C 1529.

§. XCVII.

(*) Hucusque Continuator, nostrarum vero partium esse censemus, ut Lectorem admoneamus, allatas rationes male consarcinatas, ac confictas fuisse a Paulo Sarpi, seu Suavi Polano Sedis Apostolicæ inimico, inconsiderantius vero ab eodem per Continuatorem nostrum descriptas, qui in narrationis suæ testes allegat Pallavicinum, & Raynaldum Odoricum, quorum tamen posterior nec verbulum habet de allatis Papæ rationibus, alter vero lib. 3. cap. 2.

Eas

Sæcul XVI. A.C. 1529.

§. XCVII.

Cæsar Papæ rationibus cessisse videtur.

Guicc. lib. 19. Raynal. hoc ann. n. 50.

Cum vero harum rationum, quas allegabat Papa, infirmitas etiam rudioribus patesceret, nihil expeditus erat,

---

Eas omnino commentitias esse, Papamque potius Synodum celebrari voluisse, velut rem apud Scriptores passim obviam referat, ipsumque Sarpium hujus fraudis Architectum his verbis redarguat: *Jam vero, si Suavis in re, quæ tam facile cognosci poterat, & vel per libros typis editos convinci, adeo vel indiligens fuit vel fallax, apud quem unquam erit illi fides, cum postea narrat de secretioribus Pontificem inter & Cæsarem collocutionibus de Concilio? Quas res ille ita confidenter, ita minutatim describit, ut Poetæ solent eventa omnia antiqua & abdita particulatim ac indubitanter referre, quasi Musarum admonitu ea cognoverint.* Nec temere est Palavicini conjectura; cum enim ante Sarpium nullus omnino Auctor arcani hujus colloquii mysteria enarret, atque aliunde constet, Sarpium tunc haud tantæ auctoritatis Virum fuisse, ut ea, quæ inter Papam & Cæsarem secreto agitata fuere, ipsi fuerint manifestata, vel communicata, hinc merito talia ab illo pro sua solità Pontifices cavillandi licentia mere conficta fuisse

erat, quam easdem penitus evertere; nec dubium est, quin & ipse Imperator æque ac ceteri hæc rationum momenta sua Sæcul XVI. A.C.1529.

fuisse videntur, quamvis infausto prorsus successu; qua enim ratione hæc duo conciliari poterunt, nimirum, quod Papa a Concilii celebratione una ex parte vel maxime abhorruerit, altera vero ex parte Cæsari ejusmodi proposuerit rationes, ex quibus Papa per ipsam Synodi celebrationem Pontificis auctoritatem non modo stabiliri, sed & augeri ostendit. Insuper Guicciardinus, cui magis quam Sarpio ea, quæ tunc cum Cæsare agebantur, explorata esse poterant, narrat, quod Pontifex gratius habuisset, si Cæsar pro coronatione Romam veniret, ast Carolus, ne hanc urbem accederet, ea utebatur excusatione, quod Principes Germaniæ suum illuc adventum sollicitarent Concilii urgendi causa. *Quomodo igitur*, inquit Pallavicinus, *potuisset Imperator Pontifici hujusmodi excusationem prætexere, si jam antea, ne illud cogeretur, cum Papa convenisset.* Qua etiam fronte eodem anno Papa Cæsari Concilium postulanti hæc respondere potuisset: *Certus sum a te, pro eo ac conscius es meæ in commune bonum voluntatis, minime dubitari, nullam unquam a me Synodi prolationem interponendam*; nonne Cæsar Pontifici contra Concilii celebrationem Bononiæ peroranti, hanc ipsam mentis suæ declarationem opposuisset, eumque fallaciæ arguisset,

Sæcul. XVI. A. C. 1529.

sua soliditate destitui animadverterent, nihilominus cum Cæsar foret imbecillis ingenii, nimioque Pontifici complacendi

guisset. Ex his igitur patet, illas rationes, quas Sarpius a Papa propositas refert, & Continuator recitat, mere confictas esse, quæ, etsi reapse a Papa in præfato colloquio allatæ dicerentur, duntaxat probarent, quod Pontifex Synodum tunc bono publico haud profuturam censuerit; ac periculum imminere timuerit, ne iidem, qui schisma vetus se extirpaturos jactitabant, novum conflarent, nullatenus tamen evincunt, quod Papa Synodum ob auctoritatis suæ ibidem imminuendæ metum declinare voluerit. His subjungere libet ipsius Clementis Papæ verba in l. 2. literar. ad Principes recitata, ex quibus prompta Synodum convocandi voluntas, simulque rationes, quas Papa pro illius dilatione habebat, perspiciuntur. Inquit ille: *Doctrina, quam respuunt Lutherani, utpote decisa a Conciliis antiquis non potest iterum in dubium revocari, nisi de illorum Conciliorum auctoritate dubitetur. Morum reformatio, si qua est necessaria, ad ipsum spectat Pontificem, quam convenire oportet tanquam Ecclesiæ caput. Concilium omnino videtur importunum; cur ejus convocatio non sine magno Reipublicæ discrimine haberi possit, & quia nunquam dicent, legaliter congregatum. Unum itaque supersest remedium, ut gladio Cæsaris, qui est Advocatus*

cendi ſtudio eſſet abreptus, Synodi celebrationem, quam eidem tantopere diſplicere cognoverat, fortius urgere, ejusque animum exaſperare verebatur. (*) Quapropter conſilio, quod ei fugge- Sæcul. XVI. A.C. 1529.

tus Eccleſiæ, coercerentur. NB. Nec credat Cæſar a Papa timeri Concilium, quod ex Epiſcopis compoſitum tanquam membris non poterunt iſti inſurgere adverſus caput, ſi tamen utile credent, id facile dabo.

(*) Hæc nimia prorſus licentia Continuator effutit adverſus Carolum Cæſarem glorioſiſſimum juxta ac piiſſimum, cujus virtus ab ipſo etiam hoſte, ac hæreticis laudatur! quis enim credat, quod Imperator Papæ rationes nullo firmo fundamento inniti probe cognoverit, & tamen ſolo complacendi ſtudio in re tanti momenti tacuerit, nec per ſe nec per alios rationes adeo infirmas confutarit, cum tamen Religionis cauſſam tantopere cordi haberet, ut nec labori, nec ſumptibus parceret, imo proprias ſuas terras, dignitatemque Cæſaream non ſemel diſcrimini libentius exponeret, quam ut vel minimum omitteret, quod ad tuendam Eccleſiam, & ſedandos tumultus opportunum judicabat. Verum cuncta, quæ Continuator ex ſuo Sarpio de allatis hisce Papæ rationibus refert, inane eſſe figmentum, ſat luculento oſtenditur argumento, eoquod nec Sarpius, nec Con-

Sæcul. XVI. C.A. 1529.

gerebat Papa, aquiescens statuit, ut præprimis omnium Imperii Statuum comitia agerentur, in quibus ad revocandam Lutheranorum cum Catholicis concordiam se extremos conatus adhibiturum spopondit, concessitque, ut tandem ad Synodi celebrationem res deducatur, si optatus comitiis deesset eventus. Ita nempe optima quæque consilia nonnunquam eorum firmitate destituuntur, qui illorum executionem urgere possent (*).

§. XCVIII.

Continuator, nec alius quisquam Scriptor recensere audeat, quid Cæsar ad Papæ propositionem, ejusque rationes opposuerit, vel reponi jusserit! de cetero Lector in progressu hujus Historiæ persæpe animadvertet, quod Continuator forte immaturo propriæ suæ gentis amore obcæcatus livido nimium dente Caroli V. atque Austriacæ domus gloriam corrodat, in quo eum haud æquius excusare possum, quam hisce Taciti verbis: *Insitum est mortalibus, alienam felicitatem ægris oculis intueri.*

(*) In horum fidem rursus Continuator testem allegat Raynaldum Odoricum hoc anno num. 50. qui tamen nec ibi nec alibi hanc materiam vel unico verbulo tangit.

Sæcul XVI. A.C.1529.

§. XCVIII.

Cardinales a Clemente VII. Papa creati.

Hoc item anno ſummus Pontifex tribus diſtinctis vicibus tres Prælatos purpura donabat. In prima creatione, quæ ineunte hoc anno facta eſt, ad Cardinalium dignitatem pervenit Hieronymus ab Auria patria Genuenſis, Cremolinenſis Comes. Hic poſt conjugis ſuæ mortem ſacræ militiæ nomen dedit, ac primo Nebienſem, poſtea Jacenſem & Oſcenſem Eccleſiam rexit, demum vero Tarraconenſi Archiepiſcopatu decoratus eſt. Præfuit primo Cardinalis Diaconus Eccleſiæ S. Thomæ *in Parione*, quo titulo poſtea commutato, illum S. Mariæ in Porticu obtinuit. *Ciacon. in vita Pontif. t. 3. p. 501. & ſeq.*

Altera creatio habita eſt die decima Januarii, qua Hyppolitus Medicæus patria Florentinus, atque Avenionenſis Archiepiſcopatus Adminiſtrator Cardinalium Collegio adſcriptus erat. Fuit is Spurius filius nobilis cujusdam puellæ Urbinatenſis, quam Julianus Medicæus deperibat. Renuntiatus eſt Hyppolitus Cardinalis Diaconus tit. S. Laurentii in Damaſo.

Tertius denique feria ſexta die decima tertia Auguſti ad Cardinalitios

Sæcul. XVI A.C. 1529.

honores promotus est Mercurinus de Gattinara Pedemontanus, qui sub Carolo V. Imperatore supremum Cancellarii munus obibat, decoratus titulo S. Joannis ante portam Latinam.

§. XCIX.

Passerini & Gonzagæ Cardinalium obitus.

Ciacon. t. 3. pag. 400. Guicc. l. 13. Aubery vie des Card. Panvin in vita Rom. Pontf. Steph. Joannineus in Monarchia Medicea. Ughel. in addit. ad Ciacon. & in Italia sacra. Possevin. in geneal. Gon Petra sancta Symbol. heroic. l. 6.

Horum creatio supplebat jacturam duorum Cardinalium, quorum obitum hoc anno sacrum Purpuratorum Collegium planxerat. Ex his primus erat Sylvius Passerinus Cortonæ natus, qui juvenis admodum inter familiares Medicææ familiæ cooptatus plurimum gratia apud Leonem X. summum Pontificem valebat, a quo etiam Datariæ munere auctus Anno Christi millesimo quingentesimo decimo septimo purpura ornatus est. Postea vero Patriæ suæ Episcopus renuntiatus, Narniensi, Assisinensi, ac Barcinnonensi Ecclesiis præfuit. Aliquamdiu etiam Reipublicæ Florentinæ rebus administrandis præfectus Perusiæ necnon in Ducatu Spoletano Legatione fungebatur, tandem vero Tipherni ad Tyberim decessit die vigesima Aprilis ætatis suæ anno sexagesimo, & sepultus est in Ecclesia S. Laurentii in Lucina, cujus titulum

lum primo possederat; postea enim Cardinalis tit. S. Petri ad vincula renuntiatus est. Sæcul. XVI. A. C. 1529.

Alter erat Cardinalis Pyrrhus Gonzaga Mantuanus Episcopus, qui itidem hoc anno Mense Aprili extremum diem clausit. Is erat Nepos Joannis Francisci Mantuæ Marchionis, & Frater Ludovici Gonzagæ, qui vulgo *Turca* nominabatur. Tantos in sacratioribus literis progressus fecerat Pyrrhus, ut Clementis VII. Papæ gratiam ac favorem promeritus ab eodem ad Cardinalium dignitatem Anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo septimo eveheretur; Præcipue enim idem summus Pontifex digno præmio compensare satagebat præclara prorsus obsequia, quæ eidem non modo Pyrrhus, sed potissimum ejus frater præstitit, qui hunc Papam a Cæsareis militibus obsessum ex arce liberum eduxit. Referunt Scriptores, quod Pyrrhus familiari Symbolo usurpaverit imaginem Herculis, qui clava sua renascentia Hydræ capita contundit, adjecto hoc lemate: *Tu ne cede malis.*

§. C.
Continuatio Historiæ de divortio Henrici VIII.

Interea continuo quidem, quamvis admodum

Sæcul. XVI A.C. 1529.

modum lente in Anglia agebatur de divortio Henricum inter & Catharinam ejus Conjugem faciendo. Equidem nil magis Rex in votis habebat, quam ut Clemens Papa Bullam, qua ejus connubium haud validum declaretur, motu proprio ederet, simulque novam Sponsam ducendi facultatem permitteret, aut saltem Volsæo & Campegio Legatis suis hanc caussam pro Rege decidendi negotium committeret. Verum Papa, ne Angliæ Regi ejusmodi favorem concederet, Cæsaris metu absterrebatur; præcipue cum nuperrime Imperator Catharinæ Reginæ nomine contestatus esset, quod omnia, quæcunque in Anglia circa divortium agerentur, invalida ac irrita declaret, simulque palam faciat, quod Regina utriusque Legati judicio sese committere renuat, cum earum unus aperte Regi faveret, alter vero Sarisberiensis Episcopus esset. Enimvero illi, qui Romæ Regis caussam agebant, nil intentatum, inausumque relinquebant, ut ad rejiciendam Cæsaris declarationem Papam inducerent; verum Clemens intrepide illis respondit, quod sine injustitiæ nota hoc reclamandi jus Reginæ denegare haud posset, cum ejusmodi facultas etiam cuilibet privato concedatur, aliunde vero hæc oppositio ipsius caussæ meritis

Le Grand hist. du divorce tom. 1. p. 116. & seq. Buonet p. 105.

ritis nullum damnum inferat. Ex hoc Papæ reſponſo Henrici Procuratores ſe oleum & operam perdere haud obſcure colligebant, quocirca datis ad Regem literis ſignificabant, ſe nonniſi lenta mora detineri, timendumque, ne cauſſa ad Sedis Apoſtolicæ tribunal devolveretur, niſi prompte in Anglia dirimatur. Præterea nunciatum erat Angliæ Regi, quod Carolus Imperator, cum nullum ſibi a Gallis periculum inito pacis fœdere immineret, nunc firmius quam unquam Catharinæ cauſſam æquitate ſuffultam pro viribus tueri ſtatuiſſet, jamque Angliæ Miniſtris declaraſſet, quod divortii negotium nunquam in Angliæ Regno dijudicandum foret, cum nemo alius præter ſummum Pontificem, aut Synodum hanc cauſſam decidere valeret. Id etiam a Legatis eorum Regi Cæſar ſignificari juſſit. Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. CI.

Angliæ Rex cauſſam ſuam coram Legatis perſequi intentus.

His perceptis Henricus Rex divortii ſui cauſſam coram ambobus Legatis perſequi decrevit, ſimulque Gardinerum ex Italia revocavit, eoquod illum tanquam Virum negotii gerendi dexteritate, longaque rerum experien-

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

tia longe clariſſimum veneraretur, ejusque opera ac conſilio in litis ſuæ progreſſu uti ſtatuiſſet. Ergo eidem præprimis negotium dedit, ut rurſus ante diſceſſum ſuum Papam adiret, eumque eo inducere tentaret, ut novum ederet diploma, quo hujus cauſſæ cognitionem cunctis præter ſuos Legatos interdiceret, his vero tam amplam concederet facultatem, ut absque provocatione ad Sanctitatem ſuam huic liti finem imponere valerent. Attamen Clemens Papa inſidias, quas ei Rex ſtruere moliebatur, facile detexit, ac feliciter declinavit; unde Gardinerus & Brianus, qui ambo revocabantur, de ſuæ legationis ſucceſſu parum contenti in patriam ſuam re infecta reverti cogebantur. His ſubrogabatur Doctor Benetus, cui duntaxat in mandatis datum, ut quantum in ipſo eſſet, prohiberet, ne cauſſa ad alios judices extra Regnum transferretur.

§. CII.

Epiſtola utriusque Legati ad Angliæ Oratorem.

Le Grand l. cit. p. 126. & ſeq. Burnet Reform. Angl. t. 1, p. 107.

Huic Doctori ambo Legati Epiſtolam tradebant ad Papam ac Cardinales deferendam, in qua his verbis totius negotii ſeriem exponebant: „ Hucusque irrito licet conatu ambas litigantium „

„ tium partes ad mutuam concordiam pertrahere ſategimus. Verum Regina nobis quoddam exhibuit diploma, „ quod quamvis confictum eſſe ſolidis rationibus demonſtrare potuiſſemus, demandatæ tamen poteſtatis limites nos exceſſuros credidimus, ſi „ ſententiam ferre, aut decidere vellemus, an Pontificis Epiſtolæ vel Conſtitutiones validæ ac legitimæ ſint; „ nam nonniſi inviti ac reluctantes judicium noſtrum proferimus in quæſtione, an ſummus Pontifex in certis „ caſibus legis gratiam facere valeat. „ Hac ex cauſſa optimum fore cenſemus, ſi Sanctitas ſua totam cauſſam „ ad ſuum tribunal revocet, ſimulque „ Conſtitutionem edat, dummodo ea „ ſuccinctæ huic relationi, quam hic „ inſerimus, conſona ſit; nec hoc conſilium noſtrum exemplo caret, aliunde vero expeditum ſuppeditat medium, quo amice lis componi, ſimulque ſatisfieri poterit huic Monarchæ, „ qui pluribus abhinc annis identidem „ crebris anxietatibus turbatus, indies „ per varias Theologorum ac Juris Canonici peritorum opiniones magis „ magisque ſollicitudinum aculeis torquetur, ſemperque incertus hæret, „ quid potiſſimum eligeret, cum valida utrinque argumenta militare cer-

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Sæcul XVI. A.C.1529.

„ nat, nilque ardentius in votis habeat,
„ quam tutiorem viam amplecti. Nec
„ parum hanc animi curam auget ſum-
„ mus mæror, quo Rex orbatum ſe
„ dolet prole maſcula, quæ pro ſalute
„ populi ſui absque controverſia in
„ ſpem Regni florere, ſuorumque ſub-
„ ditorum felicitatem certam reddere
„ poſſet. Quapropter hujus cauſſæ de-
„ ciſionem diutius differri, haud æqu-
„ um fore cenſemus, cum harum ra-
„ tionum robur cunctis ceteris præva-
„ leat, ac aliunde paſſim a Regis ho-
„ ſtibus rumor ſpargatur, quod cauſſæ
„ ſuæ momenta unice innitantur ma-
„ ximo, quo Reginam conjugem ſuam
„ perſequitur odio, necnon effræni ali-
„ am, quam tamen forte nequidem no-
„ minare poſſent, ducendi deſiderio.
„ Haud equidem diffitemur, Reginam
„ moroſæ prorſus indolis fæminam,
„ exigua admodum gratia ornatam,
„ ac inſuper procreandis liberis impa-
„ rem; nihilominus vero vix ſimile vi-
„ detur, quod Rex poſtremis vitæ ſuæ
„ diebus non ſine gravi animi levitate
„ omnem affectum erga conjugem ſuam
„ exuere, ſeque tot calumniis, tot mo-
„ leſtiis, anxiisque curis ex ſolo eam
„ relinquendi deſiderio exponere velit,
„ poſtquam cum illa cunctos juventutis
„ ſuæ annos jucunde transegerat, ei-
„ que

„ que toto illo tempore crebris admo- Sæcul. XVI.
„ dum teſtimoniis amoris ſui ſincerita- A. C. 1529.
„ tem comprobatam fecerat. Teſtamur
„ enim, quod Rex noſter verum Dei timo-
„ rem atque ingens æquitatis ſtudium in
„ corde ſuo foveat, quapropter, licet
„ de cauſſæ ſuæ juſtitia ſecurus ſit, ma-
„ luit tamen Sedis Apoſtolicæ deciſio-
„ nem præſtolari, quam proprii ſui ju-
„ dicii, aut juris peritorum conſilia vel
„ Procerum ſuorum ſuaſiones ſequi. „

„ Itaque omni, quo poſſumus, ar-
„ dore rogamus & obſecramus Sanctı-
„ tatem ſuam, ut tandem Regi reme-
„ dium, quo indiget, concedere velit,
„ in præſenti enim rerum ſtatu nullate-
„ nus ſacrorum Canonum ſeveritati in-
„ ſiſtendum eſt; harum quippe legum
„ interpretes ſunt ſummi Pontifices, Re-
„ ges, cunctique Principes, præcipue
„ ubi levis cujusdam indulgentiæ ſubſi-
„ dio Rex, ejusque Regnum in fide ac
„ obſequio conſervari poteſt, ſeverita-
„ te autem utrumque amittendi peri-
„ culum imminet. De cetero cuncta a-
„ lia, quæ hac in cauſſa excogitari po-
„ terunt, remedia totum Angliæ Reg-
„ num tumultibus, ac diſſidiis reple-
„ bunt, ac forte omnem ſacræ Sedis
„ auctoritatem evertent; non pauci e-
„ nim reperiuntur homines, qui vene-

Sæcul. XVI. A C. 1529.

„ num, quo invecti sunt, adhucdum
„ occultant, quia Papam ac Regem
„ sincera amicitia conjunctos timent.
„ Denique ut Epistolæ nostræ finem im-
„ ponamus, paucis exponimus, æqui-
„ tatem deposcere, ut in præsenti re-
„ rum vicissitudine, ubi hinc jus dubi-
„ um, illinc periculum sat ingens est,
„ Sanctitas sua quicquam de rigore Ec-
„ clesiasticarum Sanctionum remittat;
„ haud frustra enim in summi Pontificis
„ judicio anima ac sacrorum Canonum
„ vis reposita est. Si vero secus fece-
„ rit Sanctitas sua, non modo Regem
„ Angliæ, sed & talem fidei defenso-
„ rem a se divellet, cujus potentia, ac
„ fervens Religionis studium per uni-
„ versum Orbem inclaruit. Præterea
„ serio perpendendum, quod Principes
„ ac Nobiles hujus causæ, ubi de eo-
„ rum bonis ac vita agitur, decisionem
„ tamdiu protrahi querantur, ac ubi-
„ que ejusmodi cunctatio sugilletur,
„ tamque indigna effutiantur, ut ea
„ Sanctitati suæ referre minime aude-
„ remus; dixisse tamen sufficiat, pa-
„ lam a nonnullis fuisse dictum, quod
„ summi Pontifices, quando id eis be-
„ ne visum fuit, ipsa etiam Dei præce-
„ pta immutarint; nunc vero Pontifex
„ ea, quæ a quopiam suorum Præde-
„ cessorum facta sunt, revocare renuat,
„ per-

„ perinde ac si juris divini auctoritas Sæcul. XVI.
„ quadam Bulla inferior esset. Equi- A. C. 1529.
„ dem nulli labori parcimus, ut Regem
„ inducamus, quatenus tamdiu præsto-
„ lari velit, donec ad præsentes lite-
„ ras nostras responsum acceperimus,
„ quod & nos ea benignitate dari effli-
„ ctim rogamus, ut inde Regis suorum-
„ que subditorum animis tranquillitas
„ reddatur; secus enim totum Angliæ
„ Regnum a Sedis Apostolicæ obedien-
„ tia sciissum iri haud dubitamus. Igi-
„ tur rursus Sanctitatem suam obtesta-
„ mur, ut quocunque modo ac quam-
„ primum poterit, Regi satisfaciat;
„ cetera, eaque plura Sanctitas vestra
„ ex præsentis Epistolæ latoribus per-
„ cipiet, quæ nos tamen calamo confi-
„ dere haud audemus; avide tamen
„ responsum præstolamur, quo de Re-
„ gis statu certum fieri judicium, suæ-
„ que conscientiæ tranquillitas restitui
„ valeat. „

§. CIII.

Prima fortunæ Volsæo Cardinali adversæ initia.

Referunt Scriptorum nonnulli, quod Volsæus Cardinalis propter præfatam Epistolam apud Angliæ Regem in offensa esse cæperit; arguebatur enim hic

Sæcul. XVI. A. C. 1529

hic Legatus, quod in hisce literis summo Pontifici sat fundatum suggesserit obtentum, quo divortii caussam ad Romanæ Curiæ tribunal evocare possset, cum tamen id Henricus summopere pertimesceret, ac propterea erga hunc Cardinalem minus propensum exhiberet animum; id ubi Anna Bolena, quæ pro summo Imperio Aulam regebat, animadverterat, infestos Volsæi casus ad explendum, quo Cardinalem prosequebatur, odium convertere satagebat, nullasque eidem molestias inferendi occasiones prætermittebat; hanc ob rem Nobilem Catenium, qui Volsæi opera aula abesse jussus fuerat, revocavit, cunctisque injuriis, quas eidem vindicandi libido dictabat, Cardinalem affecit. Jamjam Volsæus Regiæ indignationis effectus non sine acerbissimo dolore sentiebat, nec tamen amplius malo remedium supererat.

§. CIV.

Papæ Legati in Anglia congregati.

Interea Henricus Rex nullum non movebat lapidem, ut divortii sui caussa, quam omnino in Anglia dirimi voluit, coram se ac Campegio strenue urgeretur. Hanc in rem die decima tertia Maji Cancellarius diploma regio sigillo

gillo munitum expediri jussit, quo Legatis facultas concedebatur, ut hanc causam plene cognoscendi potestatem ipsis demandatam exequi possent. Allatæ fuerunt hæ literæ per Lincolniensem Episcopum, qui eas Legatorum Protonotario tradidit. His ab eodem alta voce perlectis ambo Cardinales hasce literas acceptarunt, polliciti, se juxta illarum tenorem hac in re processuros, quo facto quantocius Secretarii, qui pro hoc tribunali seligebantur, fidem suam Sacramenti Religione obstringere jubebantur, simulque diploma Apostolicum, quod ex Hispania afferebatur, discussum fuit, illudque ex pluribus rationibus, quas ex præfato Regno Leeus ac Vigornienſis Episcopus perscripserant, mere confictum probabatur. Nam primo, inquiebant illi, hujus diplomatis authographum eis exhibere, Hispani constanter recusarunt. II. Nunquam certum quid comperire potuerunt, qua demum ratione hoc diploma denuo inventum fuerit, cum nonnulli affirment, illud fuisse repertum in scriniis Peublæ Doctoris, qui paulo ante Henrici VII. obitum Ferdinandi Regis in Anglia legatus fuerat; alii ex adverso affererent, præfatum diploma in Regis Hispaniæ tabulario fuisse asservatum. III. Hoc Breve necnon & Pontificis

Sæcul. XVI. A.C.1529.

Vide supra §. 49.

Bulla

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Bulla eodem Menſe ac omnino eadem vigeſima ſexta Decembris die datæ leguntur, cum tamen in expediendis Apoſtolicis Literis, quas *Brevia* vocant, nonniſi a die Nativitatis Dominicæ initium ſumatur, Bullæ vero primum exeunte Menſe Martio expediri ſoleant. IV. Hoc diploma nec Romæ nec in Anglia unquam exſtabat, cum tamen longe magis vero ſimile ſit, quod illud, ſi legitimum foret, in hisce potius Regionibus quam in Hiſpania fuiſſet repertum. Præter hasce rationes Burnetus aliud adhuc in hoc diplomate vitium detexit, quod tamen nec a Regis fautoribus, nec ab ipſis Legatis tum obſervatum fuiſſe refert, aitque in eo loco Iſabellæ nomen Eliſabethæ fuiſſe ſubrogatum, perinde acſi Iſabella & Eliſabetha diverſa forent nomina.

Milord Herbert in vita & Hiſt. Regni Henrici VIII.

§. CV.

Novi diplomatis veritas a Regina Angliæ demonſtrata.

Haud ægre allata rationum momenta confutari, ac diplomatis veritas comprobari poterant; hanc in rem primo ita perorabant Reginæ fautores, nil magis certum eſt, quam quod Carolus V. hujus diplomatis auctographum ſumma cum ſollicitudine potiſſimum ea ex cauſſa

Sæcul. XVI. A.C.1529.

cauſſa aſſervaverit, quia ſi forte fuiſſet deperditum, controverſia mota, de illius veritate ac auctoritate haud amplius judicium ferri poſſet, utrum genuinum vel mere ſuppoſititium fuerit. II. Illius exemplar in Angliam transmiſſum eam meretur fidem, qua majori vix ullum inſtrumentum muniri poſſet, eoquod ab ipſo Papæ Nuntio, Toletano Archiepiſcopo, necnon quatuor aurei Velleris Equitibus, & tribus aliis Cæſarei ac Secretioris Senatus Conſiliariis, ac denique a quodam Tabulario Apoſtolico fuerit ſubſcriptum. III. Haud mirum eſt, quod nonnulli hoc diploma, quod confictum aſſerunt, vel non inſpexerint, vel Romæ non repererint; e re enim illorum erat, ut illud vel ſupprimerent, vel clam ab aliorum oculis removerent. Præterea haud levis conjectura eſt, quod hoc diploma unacum tot aliis Scripturis in Romanæ urbis deprædatione fuerit deperditum; nec tamen inde concludi poterit, quod illud nunquam reapſe fuerit conceſſum, cum Fuxius Vicomicenſis Epiſcopus, quo nemo unus magis exactam rei notitiam habebat, ſuo chirographo teſtatus eſſet, quod Doctor Peubla duas factæ diſpenſationis tabulas ejusdem omnino tenoris reliquerit, totidemque exempla in Hiſpaniam transmiſerit, ac inſuper re ipſa

hæc

Sæcul. XVI. A.C.1529.

hæc Bulla, illudque Breve Apostolicum adeo in omnibus inter se consona sint, ut nullum inter ea discrimen occurrat, nisi quod Bullæ adjecta esset particula *forsitan*, ex qua tamen tota litis occasio nata est. IV. Ex ipso appositæ diei errore palam fit, quod absque omni dolo fraudisque suspicione partes litigantes concessa dispensatione usæ fuerint. V. Equidem particula *forsitan* duntaxat in Bulla reperitur, attamen cum Legatus sat sibi compertum haberet, quod juris plenitudo caussæ meritis non obsit, hinc omnem litis materiam submovere, atque ad majorem factæ gratiæ securitatem in diplomate ejusmodi clausulam adjicere voluit, ex qua notum fieret, quod facti series eo modo fuerit exposita, ut difficilior esset legis gratiam concedendi voluntas, proin Henrici Procuratores ex hac clausula nil in clientis sui favorem eruere possent, quin imo utrumque etiam Legatum ab hac sententia parum fuisse alienum, ex ipsa Epistola, quam ad Pontificem perscripserant, colligitur.

§. CVI.

Angliæ Rex & Regina coram Legatis comparere jussi.

Jam die decima quinta Junii Henricus Rex

Rex cauſſæ ſuæ Advocatos nominabat Joannem Richardum Sanſonem Regii Sacelli Decanum, Joannem Belt Juris Doctorem, necnon Peterum & Trigonelum: Reginæ vero patrocinium in ſe ſuſcipiebant Joannes Fiſcherus Roffenſis Epiſcopus, Henricus Staudicius Aſaphenſis, & Ridlæus celeberrimus Theologiæ Doctor (*). Præterea Volſæus & Campegius quosdam in cauſſæ hujus ſubſidium advocabant, hos inter præcipui erant Longlandus Lincolnienſis Epiſcopus, qui Regi a confeſſionibus erat, Joannes Clercus Bathonenſis Epiſcopus, Joannes Islep Weſtmonaſterienſis Abbas, necnon Joannes Taillor, cui cauſſarum Codices aſſervandi cura demandata erat. Paucis ab hac nominatione diebus nimirum vigeſima prima ejusdem Menſis die Rex atque Regina adeſſe jubentur, qui etiam ambo comparent

Sæcul. XVI. A. C. 1529.

Burnet l. cit. p. 102. l. 2. Acta publica Angl. t. 14. p. 295. & ſeq.

(*) Alii Scriptores inter Reginæ Advocatos referunt etiam Guilielmum Varanum Cantuarienſem Archiepiſcopum, necnon Cuthbertum Tonſtallum Londinenſem, Nicolaum Veſtum Elienſem, & Joannem Clercum Cathonenſem Epiſcopum, quibus tres inſuper Doctores adjectos recenſent, nimirum Ableum, Fetherſtonum, & Povellum.

Sæc. XVI. A. C. 1529.

parent unacum ſuis advocatis, ac denique a Legatis interrogabantur, num adeſſent? repoſuit Rex: Ecce me! Regina vero nihil reſpondens, e loco ſuo ſurrexit, ſeque ad Regis pedes provolvit, Regisque animum ad ſaniora reducere ſatagens ſermonem exorſa eſt, qui tenerrimis juxta ac amore plenis conceptus verbis omnium animos ad commiſerationis ſenſum inclinare potuiſſet,

§. CVII.

Oratio Reginæ ad Mariti ſui pedes proſtratæ.

Igitur Regina inter alia hunc in modum Regem alloquebatur: „En! me „ miſeram, peregrinam, a parentibus „ meis atque amicis longe ſejunctam, „ hucusque nec propriæ meæ voluntatis, nec Advocatorum meorum conſilia ſequi auſa ſum: Deum tamen „ meum teſtor, quod legitima thori tui „ ſocia ſemper inviolatam tibi fidem „ ſervaverim, ac per plures, ac viginti annos connubii noſtri ea affectus „ teneritudine, quam uxor marito ſuo „ debet, te proſecuta ſim, ignora prorſus, qua demum ratione, averſionem tuam incurrere poterim; ſi tamen conſcientiæ rationem habere velis, minime te latere poterit, quod „ me

„ me intactam adhuc virginem exper- Sæcul. XVI.
„ tus sis, dum tibi conjuncta fueram, A.C. 1529.
„ & si falsum me proferre noscis, lu-
„ bens concedam, ut cum infamia a te
„ projiciar ; præterea Parentes mei,
„ Principes non minus probi quam sa-
„ pientes, matrimonii mei, priusquam
„ concluderetur, conditionem mature
„ discuti fecerunt, nec etiam Viri pru-
„ dentia celeberrimi, quorum consilia
„ expetebant, vel unquam detegere po-
„ terant illas rationes, ob quas paucis
„ abhinc annis matrimonium invalidum
„ fuisse contenditur. Me quod attinet,
„ hucusque mente assequi haud potui,
„ qua demum ex caussa illud in dubium
„ vocari queat; ecquidem non deerant,
„ qui mihi ejusmodi suggesserunt consi-
„ lium, quod tamen merito suspectum
„ habeo, eoquod mei Advocati ac Ju-
„ dices tibi Regi meo subjecti sint; nec
„ ipsam quoque Legatorum auctorita-
„ tem agnoscere valeo : cum igitur
„ quodcunque tribunal in Anglia suspe-
„ ctum habeam, rogo te, & obsecro,
„ ut hujus caussæ discussionem penitus
„ interrumpi jubeas, donec ex Hispa-
„ nia literas recepero. Hanc si nega-
„ veris gratiam, pace mea quod tibi lu-
„ bet, facere poteris. „ His dictis Re-
gina abiit, nec unquam vel redire, vel
coram Legatis comparere voluit.

Sæcul. XVI. A.C.1529

Postquam Regina discesserat, Rex illius sermonem excepit, in hæc verba perorans: „ Nullam unquam de conju-
„ ge mea querendi causſam habui, quam
„ semper summa fidelitate, ac submis-
„ sione mihi addictissimam expertus sum,
„ ejus quoque virtutes, ac præclaræ
„ animi dotes omni laude potiores sunt,
„ nec etiam, quod adversus eam in me-
„ dium adducere possem, mihi occur-
„ rit, & solo conscientiæ ac religionis
„ stimulo agitatus ab ejus consortio se-
„ parari postulo. „

§. CVIII.

Scrupuli origo ab Angliæ Rege manifestata.

Vix hæc verba Rex protulerat, cum illico Volsæus Regi supplicaret, quatenus coram congregatis declarare vellet, quis omnium primus eidem divortii consilium suggesserit? Ad hæc Rex reposuit, ac sine verecundia hunc in modum effatus est: „ Equidem Ebo-
„ racensis Cardinalis semper animum
„ meum a divortii proposito dimovere
„ conabatur; primus tamen, qui mihi
„ hac super re scrupulos movit, erat E-
„ piscopus Tarbiensis, cujus sermo an-
„ xium me reddidit. Cum vero post-
„ modum Galliarum Rex tam turpiter
„ sanæ

Le Grand hist. du divorce tom. 1. p. 134. Act public. Angl. t. 14. pag. 299. & 300.

„ sanæ prudentiæ præceptis adversare- Sæcul. XVI.
„ tur, ac dubitaret, an Maria Filia A.C 1529.
„ mea ex legitimo thoro fuisset suscepta,
„ tunc ipsus ego acrioribus conscientiæ
„ stimulis agitabar; ut igitur me ab hoc
„ dubio expedirem, ac animi quietem
„ recuperarem, nec non lites, quæ de
„ successionis jure exoriri possent, præ-
„ venirem, totam rei seriem in sacro
„ Tribunali Longlando conscientiæ meæ
„ arbitro exposui, quamvis ceteroquin
„ conjugali Reginæ uxoris meæ con-
„ sortio ulterius uti paratus essem,
„ dummodo id salva conscientia a me
„ fieri posse decideretur. Post hæc Can-
„ tuarienſem Archiepiscopum rogabam,
„ ut ceterorum Angliæ Præsulum sen-
„ tentias circa connubii mei conditio-
„ nem conquireret, communis autem
„ horum opinio, quam suo chirogra-
„ pho muniebant, eo abibat, hoc ma-
„ trimonium nullum esse. „ Hæc Re-
gis verba Cantuarienſis Archiepiscopus
suo etiam calculo firmabat; intrepide
autem Fischerus Rossenſis Episcopus
negabat, quod ipse declarationi Regi
porrectæ subscripsisset.

§. CIX.

Regina a Rege indigne habita.

Attamen non modo Regis verbis veri-

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

tas haud constabat, sed ipsus etiam indigno, quo Reginam habuit, modo palam ostendit, quod ejus facta plurimum discreparent ab elogiis, quibus paulo ante coram Legatis virtutes ac præclaras hujus Reginæ dotes deprædicabat. Præprimis enim, ut metu illam ad sua vota inclinaret, judicii acta adversus eam instrui, summaque severitate cunctas illius actiones ad censuram revocari jussit, & quamvis non raro testes secum ipsis pugnarent, nihilominus minimi etiam nævi ex nativo indolis vitio perpetrati tanquam crimina læsæ Majestatis redarguebat. Deferebant alii in publico Status Senatu contra eam atrociſſima scelera; nam exponebant ibidem, quod noviſſime detecta fuerit conspiratio in Regis vel Volsæi vitam adornata; conclamabant alii, quod Regina, si tanti criminis rea esset, nulla habita Regiæ dignitatis ratione extremo plecteretur supplicio. Accusabant eam nonnulli, quod Marito suo debitum conjugis amorem denegasset, totoque tempore, quo Rex anxiis curis oppressus languebat, non modo ipsa insolito gaudio tripudiaret, sed suos etiam familiares ad delitias, cantus, ac choreas excitaret, cum tamen eo ipso tempore ageretur de negotio, quo gravius toto vitæ suæ curriculo nunquam tractabatur,

batur, & ipsa potius pro felici exitu unice fundendis ad Deum precibus incumbere debuisset, quinimo, inquiebant alii, non modo diversam induit agendi rationem, sed etiam præter indolis suæ morem non raro in publicis comparuit plateis, ac singulari comitate transeuntes salutabat, haud alio ex fine, quam ut subditos ab affectu ad Regem suum sensim abduceret: denique non pauci Reginam vel ideo in crimen vocabant, quod prætensum illud Julii II. diploma jam dudum recepisset, illud tamen maturius exhibere cunctata esset. Ex his igitur omnibus inferebant Reginæ hostes, quod ea infenso erga Maritum suum animo fuerit. Quocirca Senatus, cum Regis vitam in discrimen adduci arbitraretur, eidem auctor extitit, ut penitus a Catharinæ consortio *tam quoad thorum, quam quoad mensam* abstineret, nec ultra illius societate frueretur, imo etiam filiæ suæ Matrem invisendi copiam denegaret. Præterea Senatores censebant, cuncta hæc Reginæ esse significanda, eo fine, ut a caussæ suæ defensione desisteret, atque ad amplectendum vitæ Religiosæ institutum induceretur. Expediebatur hujus sententiæ exemplar, ad cujus calcem Volsæus latino sermone hæc verba adjecit: „ Stulta es, Regina, si „ cum Rege in contentionem venire

Sæcul. XVI. A C 1529.

Sæcul. XVI. A.C 1529.

„ præsumis, nunquam divina benigni-
„ tas in proles tuas sua dona effudit, di-
„ ploma vero, quod jactitas, suppositi-
„ tium est. „ His postea nonnullas adjecit rationes, ex quibus illud falsum fuisse credebatur. Nihilominus ejusmodi minæ nullatenus firmum Reginæ animum frangebant.

§. CX.

Legati Reginam ad suas partes pertrahere intenti, ejusdem responsum.

Post hæc Legati, cum quadam die jussu Regis Catharinam accederent, unacum nobilibus sui gynæcei virginibus laborantem inveniebant. Hos inter primus verba fecit Volsæus. Verum præstita utrinque officiosa salutatione Regina loquentem intercepit, eumque ad cubile deduxit, ubi is sermonem suum absolvit, eandemque rogavit, ut de jure suo quicquam in Regis favorem remitteret, nec sententiæ, quæ abs dubio ejus caussæ adversa foret, exitum præstolaretur: Illa vero nec vultu nec animo turbata intrepide Cardinali reposuit: „ Tu solus es totius mali caussa;
„ nec assequi valeo, quis Regi cuncta,
„ quæ sequitur, consilia suggerere au-
„ sus sit; neminem tamen præter te so-
„ lum,

„ lum, nec id palam profiteri reformi- Sæcul. XVI.
„ do, tanti facinoris reum accusare A. C. 1529.
„ possum; quippe Parentes mei, quorum
„ prudentia tibi sat perspecta fuit, con-
„ jugii mei conditionem discuti jusse-
„ runt, & Papa etiam legis gratiam fe-
„ cit, cujus ipsum quoque authogra-
„ phum penes me habeo, ego insuper
„ cum Rege Marito meo plusquam o-
„ ctodecim annis mutua vitæ societate
„ absque reprehensionis nota fruebar;
„ postquam vero tuæ arrogantiæ obsti-
„ teram, necnon tyrannidem, ac li-
„ centiosæ vitæ tuæ scelera & impu-
„ dentiam carpere cæperam, necnon
„ Imperator Nepos meus ad Pontificiæ
„ Sedis possessionem tibi favorem o-
„ peramque suam impendere recusave-
„ rat, ab hisce demum principiis pro-
„ fecta sunt mala nostra, atque in hanc
„ denique vindictæ occasionem contra
„ me & Cæsarem mentem tuam inten-
„ disti, nec contentus, quod univer-
„ sam Europam belli flammis involve-
„ ris, speciatim etiam turpissimum mi-
„ hi negotium facessere non erubuisti.
„ Scit Deus, Domine mi Cardinalis,
„ quanta patior, ast idem ipse me inter
„ & te judex erit. „ Ad hæc Volsæus
responsum parabat, verum Regina eum
auscultare dedignabatur, postea Cam-
pegium alloquens eundem non sine ma-

Sæcul. XVI. A C 1529

gna veneratione excepit, palam tamen declaravit, quod nec ipsum nec Volsæum tanquam suos judices cognosceret, sed interpositæ appellationi suæ insisteret.

§. CXI.

Regina comparere recusans, ac contumax declarata.

Act. publ. l. c. t. 14. p. 300.

Enimvero Regina, postquam die vigesima quinta comparere jubebatur, Legatis significari præcepit, quod adversus omnia, quæcunque hucusque gesta, vel imposterum gerenda essent, solemniter provocet. Verum hæc oppositio haud obstitit, quo minus contumax ac vadimonium deseruisse declararetur; quinimo Legati judicii acta prosequebantur, ac quæstionem haberi decernebant, huncque in finem triginta sex vel septem testes audiebant, inter quos tamen præcipui erant ipse Rex, atque Anna Bolena. Horum testimonia excipiebat Doctor Taylor Buchingamensis Archidiaconus. Præcipuus autem articulus erat carnalis conjunctio inter Arthurum & Catharinam, quam tamen vel unquam interceſſiſſe Regina interposito etiam juramento pernegabat, quamvis, quantum in hac tam difficilis probationis re fieri potest, quasdam conjecturas in medium proferrent; quæ tamen

Rauper. hist. de schis. Ang. l. 1.

tamen potissimum innitebantur juvenili hujus Principis ætati, prosperæ valetudini, ac integræ corporis sui habitudini; præter hæc allegabatur etiam quoddam colloquium, quod Arthurum altera post nuptias die hac de re instituisse dicebant. Insuper Senior Norfolciæ Ducissa Annæ Bolenæ Avia, necnon Firtwaterensis Vice-Comitissa testabantur, quod Arthurum & Catharinam solos in eodem lecto decumbentes deprehenderint. His primo Firtzwateriensis paulo post electus Sussexiensis Comes subjungebat, quod Arthurus lecto surgens potum flagitasset, ac dixisset, se illa nocte in calida Hispaniarum Regione peregrinatum fuisse. Idem etiam affirmabat Norfolciæ Dux, quinimo Vilugbius Eques testabatur, quod a se Princeps potum postulaverit (*). Sæcul. XVI. A. C. 1529.

§. CXII.

Papa pro caussa ad tribunal suum revocanda impense a Cæsare rogatus.

Equidem cuncta hæc testimonia die decima septima Julii publice prælegebantur,

(*) Hasce conjecturas Regina multis firmisque argumentis confutabat, ut videri potest apud Bzovium ad annum 1529. num. 37.

Sæcul XVI. A. C. 1529.

bantur, cum vero Legati allata ejusmodi argumenta minus firma deprehenderent, sententiam ferre non audebant, sed unice Reginam accusabant, quod citata non comparuisset. Dum vero hæc interim in Anglia gerebantur, Cæsaris ac Ferdinandi fratris sui Oratores summum Pontificem vehementer sollicitabant, ut totum negotium ad Tribunal Apostolicum avocaret. Haud segnius instabant Henrici Regis Legati, ne Papa hanc causam extra Angliæ fines dijudicari permitteret. Nec importunis hisce precibus contenti utriusque partis Legati, minas quoque addebant, Papam, ni eorum votis cederet, solio suo deturbatum iri, eoquod natalium vitio laboraret. Pontifex hisce minis se territum simulabat, cumque par utrinque periculum metusque instaret, sive huic sive alteri parti suffragaretur, hinc ex ipso hoc ancipiti rerum Statu sententiam suam tamdiu suspendere decrevit, donec de fœderis sui cum Cæsare initi firmitate certior fieret. Tandem vero accepto hoc felici faustoque nuntio justissimas Caroli Imperatoris preces haud amplius recusare voluit, quapropter ad eundem hac super re die nona Julii literas dedit, ac nequidem expectato Cæsaris responso adhuc ante promulgatum fœdus Angliæ Legatis signi-

significari jussit, quod divortii causam ad Romanæ Curiæ tribunal revocare decrevisset. Hi nil intentatum inausumque relinquebant, ut Papam a concepto consilio dimoverent, atque inter alia eidem exponebant, quod totum Angliæ Regnum a Sedis Apostolicæ obedientia recessurum esset, omnisque illud unquam ad ejusdem obsequium revocandi spes succideretur. Verum insuperhabitis omnibus eorum molitionibus Pontifex diploma, quo hæc causa ad Romanam Curiam devolvebatur, die decima quinta Julii suo chirographo firmavit, datisque literis die decima nona ejusdem Mensis hac de re Regem Angliæ, necnon Cardinalem Volsæum certiores reddidit. Idem quoque jam decima quinta Julii Casalius ad Montmorentium Principem perscripserat. Sæcul. XVI. A C 1529.

§. CXIII.

Divortii causa ad Papæ tribunal translata.

Cum vero nondum litis nuper translatæ notitia in Anglia percrebuisset, Legati Judicii sui acta instruere continuabant, ipsique Reginæ diem vigesimam quintam Junii dicebant; cum autem illa nullatenus compareret, usque ad vigesimam octavam ejusdem Mensis diem *Raynald. hoc ann. n.* 92. *Burnet. hist. de la ref. d' Angl. t.* 1. *in* 4. *l.* 2. *p.* 118. *Le Grand. l. cit. t.* 3. *p.* 336.

Sæcul. XVI. A.C.1529.

diem inducias eidem concedebant, eamque iterato, quamvis incassum per Bathonensem Episcopum, necnon per Welseum ad judicii locum vocabant. Post hæc die vigesima octava Junii quædam testimonia adversus Reginam delata prælegebantur, quibus absolutis Sessio proxima primo ad quintam, postea ad duodecimam Julii diem indicebatur, qua etiam die, necnon decima quarta, decima septima, & vigesima prima ac tertia confessus habebatur, ac vix unquam Senatus agebatur congregatorum frequentia celebrior. Aderat ipse Rex, qui ipsus in proximo quodam cubili considens omnium, quæ gererentur, testis esse voluit. Enimvero nil reliquum erat, quam ut sententia pronuntiaretur, nilque propius fore censebant omnes, quam quod in postrema hac Sessione totum negotium dirimeretur, atque Legati ultimum ferrent judicium. Cum ecce! præter omnem expectationem Campegius Cardinalis caussæ decisionem ad primam Octobris diem esse differendam enuntiat, hujusque moræ caussam allegat, moris esse Romanæ Curiæ, quod usque ad hoc tempus ab omni forensi strepitu vacaretur, seque huic consuetudini obedire omnino obstrictum esse. His etiam ad vindicandam suam innocentiam talia verba addebat, Regina, ut hæc caussa

cauſſa in Anglia decidatur, haud per- Sæcul. XVI.
mittere poteſt, ac inſuper non modo A C. 1529.
Volſæum, ſed me quoque tanquam judices ſuos agnoſcere recuſat. Ad hæc Suffolciæ Dux, qui tum præſens aderat, in rabiem actus plures minas effutiebat, additoque jurejurando in hæc verba prorupit: *Per ſacram Miſſam nemo unquam Legatorum aut Cardinalium quicquam boni in Angliam detulit* (*). Huic vero Campegius blande repoſuit: periculum, in quo verſor, haud mihi eſt incognitum, aſt provectæ ætatis virum decet vitam ſuam animæ ſaluti poſtponere. Minori autem moderatione utebatur Volſæus, Ducique reſpondit: Præter te in toto Regno nemo unquam minus æquam de Cardinalibus querendi cauſſam habuit, ceſſa igitur ab ejusmodi minis, injuriis, probrisque; ſi vero verba tibi deſunt, quæ honeſtum ac prudentem virum decent, ſileas, ac amicorum tuorum favorem magis cordi habere diſcas. Ad hæc Suffolciæ Dux nec hiſcere auſus diſceſſit.

§. CXIV.

(*) *Hæc*, inquit Bzovius, *Dux ille vel æſtro quodam percitus vel fœdiſſimo adulandi Regi ſtudio ductus, dixit, quam ſevere autem Deus horum Ducum ſuperbiam, ac adulationem per eundem Regem, ejusque filios, maxime per eam prolem,*

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. CXIV.

Literæ de cauſſa ad Romam transferenda in Angliam delatæ.

Attamen haud diu Regem latebant cauſſæ, ob quas legati paratas huic negotio moras habere, ſtudioſe quæſiviſſent; brevi enim compererat, quod ſummus Pontifex eum unacum conjuge ſua Romam venire juſſiſſet, totamque divortii cauſſam ibidem tractari præcepiſſet. Accepto nuntio Henricus Rex Gardinero negotium dedit, ut Volſæo Cardinali ſignificaret, quod Rex de hac litis translatione ullam fieri mentionem haud pateretur, nec quicquam ſupremæ auctoritati ſuæ repugnans tentaretur, ne forte ejus ſubditi exiſtimarent, quod quemdam Principem exterum tanquam ſe ſuperiorem agnoſceret: Cum vero in diplomate Pontificio Rex atque Regina intra quadraginta dies Romam venire juberentur, ac inſuper parere renuentibus nonnullæ cenſuræ intentarentur, hinc Papa Regem hac agendi ratione irritari veritus, ad eundem die nona Auguſti literas dedit, declarans, quod

Act. publ. Angl. t. 14. p. 346.

---

prolem, quæ ex novo conjugio orta eſt, ultus ſit, ea mala teſtantur, quæ ipſis, ipſorumque familiis poſtea acciderunt.

quod nec minis, nec cenſuris eum compellere intenderet, cum ejusmodi pœnarum comminatio contra mentem ſuam nuperæ Conſtitutioni inſerta fuiſſet, de cetero citationis inducias uſque ad Nativitatis Dominicæ feſta prorogare ſe velle ajebat. Rex viciſſim accepta Pontificis epiſtola Legatos induxit, ut commiſſam ipſis poteſtatem vi mandati Apoſtolici exſpiraſſe, nec ullam illis amplius in hac cauſſa procedendi facultatem competere profiterentur; quo facto Reginam aula excedere juſſit, ipſe vero unacum Anna Bolena Graftonium ſe contulit, ubi eum ambo Legati viſum ibant. Hi præter omnium expectationem benigno admodum obtutu excipiebantur, & quamvis cuncti Volſæum Regis gratia excidiſſe crederent, nihilominus Henricus Rex diu cum illo verſatus, eadem, qua antea, benevolentia eum honorabat, imo eidem negotium dabat, ut Campegium, pluresque alios Proceres prandio exciperet, ipſe vero Rex ſolus unacum Meretrice ſua veſcebatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. CXV.

Adverſa Volſæi Cardinalis fortuna.

Cum igitur Anna Bolena ſola cum Rege verſandi facultatem nacta eſſet, *Burnet hiſt. de la reform. tom. 1. in 4. p. 124.*

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

nihil eorum prætermisit, quibus Regis iram adversus Volsæum vehementius accenderet. Hunc enim odio plusquam vatiniano persequebatur, totamque vindictæ suæ rabiem in eum effundere parabat, quapropter omnes illius actiones in malam partem detorquebat, Regique asperius exprobrabat, quod jam dudum Suffolciæ ac Norfolciæ Duces & Rupifortii Vice-Comitem, qui Annæ Pater erat, capite plecti jussisset, si tot scelerum ac Volsæus reos sese fecisset. Dissimulabat equidem Henricus hujus probri acerbitatem, qua mentem suam adversus Cardinalem exasperari senserat, quinimo paulo post eundem invisit, & ad seram usque noctem cum eo collocutus in ipso discessu haud obscure significavit, quod altera itidem die sermones cum eo conferre optaret. Verum nonnisi ficta erat hæc Regis benevolentia; cum enim Volsæus Principis sui jussis obtemperare sollicitus aulam accederet, Regisque cubile intrare vellet, nunciatum ei erat, quod Regia sua Majestas eum ad colloquium admittere nollet, juberetque, ut unacum Campegio ad sua reverteretur. Vix inopinæ hujus indignationis fama percrebuit, cum illico cuncti ejus amici, qui paulo ante addictissimi videbantur, a pristina illius consuetudine abstinerent, inter

inter omnes vero cuncti Proceres maxime in eum incitati infensique erant, atque ipsi etiam clientes eundem omnis flagitii reum solo eo ex capite proclamabant, quod nunc Regis gratia excidisset. Sæcul. XVI. A C. 1529.

§. CXVI.

Campegius Cardinalis Londino Romam reversus.

Verum Henricus Rex Campegium multo benignius habuit; hunc enim valere jussum multis muneribus cumulavit: Cardinalis igitur Regis benevolentia fretus ineunte Mense Octobri Londino discessit, Romam reversurus. Ast cum jamjam navim conscendere pararet, de repente ejus cubile satellitum cohors ingreditur, ac Volsæi thesaurum sibi tradi postulat. Campegius Cardinalis haud parum conterritus mortem sibi instare credebat, unde timore plenus ad Sacellani sui pedes provolutus a criminum suorum vinculis exsolvi petiit; interea vero Telonii Ministri cunctas illius sarcinas excutiebant, sub obtentu inquirendi, num forte in illis vetitæ merces laterent. Id tamen Regis jussu factum credebatur; cum enim Henricus Bullam, quam in Cardinalis Campegii manu olim conspexerat, igne consumptam fuisse ignorasset, ideo eam *Le Grand. l. cit. p.* 156. & 157.

Sæcul. XVI A.C. 1529.

intra Campegii scrinia repertum iri sperabat: postquam vero Cardinalis sese ex timore collegerat, vehementer de Ministrorum insolentia querebatur, datisque ad Regem literis de injuria, quam Sedis Apostolicæ Legato illatam ajebat, sibi satisfieri postulabat. Verum Henricus parum comiter Cardinali reposuit, Telonii Ministros officii sui partes expleſſe, Regnique leges longo abhinc tempore conditas fuisse executos; illis vero cunctos obstringi, qui Regno excederent; hinc mirum sibi videri, quod jamjam a Papa revocatus, nihilominus Legati jura jactitare vellet, Regnique leges, cum tamen Sarisberiensis Episcopus esset, usque adeo ignoraret, ut etiam absque Regis permissu Legationis prærogativa uti præsumeret. Ex hoc responso Campegius satis aperte intelligebat, quod non modo nullam læsæ existimationis reparationem sperare posset, sed etiam, quod impune abire permitteretur, Regi in acceptis ferre deberet. Igitur Campegius in Franciam appulsus, ibidem a Prato Cardinale summis honoribus, ingentique pompa exceptus est.

§. CXVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1529.

§. CXVII.

Judicii acta in Volsæum instrui cæpta.

Ex adverso Volsæus minus prospera utebatur fortuna; quippe die nona Octobris a Regis Procuratore in judicio accusabatur, ab eo statutum, quod incipit: *Præmunire*, fuisse violatum. Hæc lex sub Richardo II. anno Regni sui decimo sexto condita cujuscunque conditionis, & status personis inhibebat, ne quaslibet Bullas, aut Beneficia a Curia Romana reciperent, indicta etiam pœna, qua non modo suis beneficis, si quæ habent, priventur, sed etiam Regis patrocinio excidant. Prœterea die decima septima ejusdem Mensis Henricus Rex Norfolciæ ac Suffolciæ Ducibus, qui tum supremi Senatus Præfecti erant, negotium dedit, ut a Volsæo Cardinale Regium Sigillum repeterent, quamvis illud eidem ad dies vitæ perpetuo jure concessum fuisset. Equidem Volsæus illud reddere recusabat, nisi hac de re speciale Regis mandatum accepisset. Ast cum Duces quantocius ejusmodi literas a Rege impetrarent, Volsæus iterato Regis mandato parere cogebatur. Porro Henricus Sigillum Varhamo Cantuariensi Archiepi-

Act. publ. Angl. t. 14. p. 348.

Sæcul. XVI. A.C.1529.

scopo, qui jam olim illud tenebat, restituere meditabatur; cum autem hic abs dubio ob ætatem valde provectam illud acceptare renueret, ipsemet Rex hujus dignitatis insigne contulit Thomæ Moro, Viro omnium æstimatione tam doctrinæ excellentia, quam morum integritate longe clarissimo. Quamprimum igitur Volsæus Sigillum reddiderat, confestim supremus Regis Procurator nova accusationum capita adversus eum protulit, unde Cardinalis die vigesima secunda Octobris jussu Regis Eboracensi Palatio suo excedere, atque ad quamdam villam suam, quæ illius tanquam Viacomiensis Episcopi erat, sese recipere compellebatur.

Vix aula excesserat Volsæus, cum illico ejus palatium occupatur, indeque magis pretiosa, qua ornabatur, supellex abstrahitur, omniumque suorum bonorum, quæ ad immensas creverant divitias, recensio fieri jubetur: Cum vero Volsæum omnibus suis bonis penitus exuere, nondum decreviſſet Henricus, hinc eidem vasa argentea, tantamque supellectilis partem, quæ octo vel novem millium Duplionum pretium æquaret, restitui præcepit, simulque ei Eboracensis Archiepiscopatus, necnon Viacomiensis Ecclesiæ possessionem reliquit, con-

concessa etiam facultate, ut quosdam sibi seligeret Advocatos, qui ejus nomine agerent, caussamque illius tuendam susciperent. Volsæus igitur hanc benevolentiam in rem suam vertebat, necnon Regis pollicitationi confisus, qua hic ejus vitæ ac libertati cautum fore spopondit, quantocius Procuratores seligebat, eisque agendi provinciam demandabat. Hi itaque Curiam adeunt, ac Cardinalis nomine contestantur, quod Volsæus Bullarum impetrationem, de qua accusabatur, Regni legibus adversam, Statusque incolumitati nocivam esse ignoraverit: cetera vero crimina, quorum reus dicebatur, haud diffiteretur, unde se penitus Regis clementiæ committeret, declararet tamen, quod absque Henrici consensu nihil attentasset, sed desuper ab ipso Rege demandatæ facultatis literas obtinuisset, quas etiam exhibere potuisset, nisi ejus inimici cuncta scripta ipsi abstuliissent, de cetero tamen cum Rege suo eundem judicio contendere nolle, dicebant Procuratores. Nihilominus adversus Volsæum sententia pronuntiatur, vi cujus ipse Regis patrocinio privatus, cuncta vero ejus bona Regio ærario addicta fuere. Post hæc Henricus ipsum Senatus sui potestati tradidit.

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. CXVIII.

Volsæi causſa in Regis Senatu dijudicata.

Milord Herbert vie & hiſt. du regne de Henri VIII. Burnet hiſt. ref. tom. I. p. 116. Le Grand hiſt. du divorce tom. I. p. 162.

Igitur die tertia Novembris Senatus primo Londini congregatur, poſtea vero eodem Menſe Weſtmonaſterium transfertur, ubi Volsæi hoſtes totis viribus in id incumbebant, ut eum omnino peſſumdarent. Præprimis ſupremi Senatus Curia adverſus Cardinalem quadraginta quatuor accuſationum capita produxit. Ceterum valde notatu dignum eſt, in nullo ex hisce articulis Volsæum accuſari, quod edictum: *Præmunire* transgreſſus, aut Legati *a latere* officio absque ſpeciali Regis conſenſu functus fuerit; id autem ideo factum, quia Regis aſſenſum acceſſiſſe, neminem latere poterat. Præcipue vero ſuprema Curia Cardinali objecerat, quatenus ad exercenda Legationis ſuæ munia admiſſus Sacramenti Religione ſeſe obſtrinxiſſet, quod nunquam Legati poteſtate abuti vellet, nihilominus contra datam fidem auctoritate, quam ei Cancellarii auctoritas tribuebat, tyrannico prorſus modo uſus fuiſſet, ſibique æqualem cum Rege poteſtatem in variis occaſionibus arrogaſſet, eoque inſcio perſæpe juſſa dediſſet, ac denique in pluribus

ribus casibus pro summo imperio Regni res administrasset, perinde acsi non Ministri sed ipsiusmet Regis personam gereret. Ejusdem quoque conditionis ceteri erant articuli, omnesque spectabant immoderatam agendi rationem, qua Legati, Cancellarii necnon supremi Ministri officiis abutebatur, favoremque, quo apud Regem plurimum valebat, perperam in rem suam vertisse arguebatur. Denique cum ad ferendam sententiam inferioris quoque Curiæ Suffragium requireretur, hinc eadem accusationum capita ad hoc tribunal deferebantur, adjecta comminatione, quod Volsæus ibidem nulla mora tanquam læsæ Majestatis reus damnandus esset. Verum Thomas Cromwellus hujus tribunalis membrum, cum Cardinali ab obsequiis esset, Domini sui caussam tanta dexteritate animique constantia defendit, ut illum hac saltem vice non modo a periculo vitæ eximeret, sed ipsus etiam hac sua integritate Regis animum captaret, atque ab illo temporis articulo magni haberi inciperet.

Sæcul. XVI. A. C. 1529.

§. CXIX.

Ludovicus Berquinus ad rogum damnatus, atque in Foro Parisiensi combustus.

Jam anno Domini millesimo quingen-

Sæcul. XVI. A C. 1529.

Vid supra lib. CXXX. §. 85. Beze hist. Eccl. p. 7. Crespin. acta Mart.

tesimo vigesimo sexto memoravimus, quod nonnulla Ludovici Berquini opera censoria virga fuerint notata; verum illorum Auctor offensionem, quam populo Christiano suis libris præbuit, tollere minime sollicitus erat; cum enim Francisco I. Galliarum Regi, quamvis falsas opiniones passim spargeret, percarus esset, illius benevolentia ex carcere dimittebatur; verum adeo non obtenta libertas eum ad saniora reduxit consilia, ut etiam Bedam, & Duchenium, qui eum prius accusaverant, in judicium vocare, eosque velut Viros nulli Religioni addictos traducere præsumeret, quin imo ex Bedæ libris duodecim articulos decerpsit, eosque ad judicium detulit. Sub idem quoque tempus datis literis Erasmum hortabatur, ut ipsi suam etiam jungeret operam, nec amplius calamum suum stringere differret, eoquod nunc propitia sese offerret occasio, imo etiam necessitas urgeret, ut tandem Doctores omni, qua in Ecclesia valent, auctoritate spoliet, eorumque nomini labem aspergat. Verum Berquinus ruinam suam evasisset, si tum prudens Erasmi consilium fuisset secutus. Hic enim eidem Auctor exstitit, ut tandem a cæpto desisteret proposito, Regnoque excederet. Attamen sanum hoc Erasmi monitum nullatenus

tenus movebat Berquini animum; hac igitur pertinacia ejusdem hostes acrius incitati duodecim Commissarios nominari fecerunt, qui contra eum judicii acta instruerent, eumque debita pœna castigarent. Ergo tertia jam vice carceri mancipatur, atque in eum pronuntiatur sententia, qua ejusdem libri comburerentur, ipse vero, postquam errores ex suis operibus depromptos ejurasset, eique lingua perforata esset, ad dies vitæ in vinculis detineretur. Verum Berquinus a lata in eum sententia ad summum Pontificem, Regemque provocavit. Equidem Guilielmus Budæus vir ceteroquin doctissimus, qui & ipse inter judices unus erat, per integrum triduum nullum non movebat lapidem, ut reum ad revocandos errores, vitamque mortis supplicio eripiendam induceret, nullatenus tamen ejus contumaciam flectere poterat; quapropter Judices conventu habito illum ad rogum condemnarunt, quod etiam supplicium die vigesima secunda Aprilis hoc anno supra millesimum quingentesimo vigesimo nono in Parisiensi foro subiit. Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. CXX.

Censura contra quoddam Suessionense Breviarium.

Hoc itidem anno Domini millesimo quin-

Sæcul. XVI. A.C. 1529

quingentesimo vigesimo nono Parisina Facultas Theologica quemdam precum horariarum librum, quem vulgo *Breviarium* vocant, in Suessionensi Diœcesi recitari prohibuit, eoquod ibidem plurium Psalmorum textus in multis hinc inde locis immutatus esset. Cum igitur Ecclesiæ Cathedralis Canonici ad Facultatem Theologicam hanc novitatem deferrent, eadem post maturam deliberationem, die vigesima quarta Julii decidebat, quod ejusmodi ausus Ecclesiæ Gallicanæ sint pernicioſi, proin nullatenus tolerandi. Eodem etiam tempore Facultas ad Suessionensem Episcopum, necnon ad Capitulum duas Epistolas eodem die datas perscripsit, in quarum prima hæc significat: *Accepimus his diebus breviaria quædam secundum usum Suessionensis vestræ Diœcesis non sine jactura vestri nominis publicata, utpote in quibus non pauca leguntur novitate odiosa inserta, & communi Ecclesiæ usui dissona. Unde in Ecclesia Gallicana, nisi provideatur, non parvum schisma posset suboriri. Quapropter antequam id malum coalescat, & contentiones vix unquam sopiendæ succrescant, rogamus, ut talia dissidiorum seminaria pervigili sollicitudine Reverenda vestra Paternitas amputet.* Eadem ferme Facultas Suessionensis Ecclesiæ Canonicis perscripsit.

Argentre in Collect. jud de nov. error. tom. 2. p. 77.

§. CXXI.

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. CXXI.

Eraſmus relicta Baſileenſi urbe Friburgum delatus.

Cum Eraſmus ſuſpicionem, qua novis opinionibus adhærere credebatur, indies augeri haud obſcure cognoſceret, Baſileenſem urbem ejusmodi veneno jamjam infectam relinquere, ac Friburgum in Brisgovia, quæ urbs tum Ferdinando parebat, contendere decrevit; paucisque poſt adventum menſibus, nimirum menſe Novembri Epiſtolam edidit contra illos, qui ſeſe falſo Evangelicos jactitant, ejusmodi enim homines, inquit ille: *Sunt ſuperbi, & ſi poſſent, ipſum etiam Deum ad ſua ſtudia pertrahere vellent, mihi neminem contigit noſſe, qui non factus ſit ſeipſo deterior, poſtquam nomen dedit novo huic Evangelio, quod certe non eſt Evangelium Chriſti.*

Sleid comm. l. 6. ſub fin. n. 201. Inter Epiſt. Eraſmi l. 19. ep. 31. In vita Eraſ. in 12. ann. 1642. p. 53. num. 19. Adverſus Pſeudo-Evangelicos Epiſtola.

Hanc Epiſtolam Argentinenſes Theologi confutare nitebantur, eoquod Eraſmus non minus illos, quam Baſileenſes aggreſſus eſſet, præprimis vero Martinum Bucerum, qui deſerto S. Dominici inſtituto præcipuus inter Argentinenſis Reformationis Auctores exſtitit, ibidemque novæ Sectæ præconem egit.

§. CXXII.

Sæcul XVI.
A. C. 1529.

§. CXXII.

Epistola Erasmi ad Stunicam.

Insuper eodem hoc anno die nona Junii scripta reperitur Erasmi Epistola ad Jacobum Lopidem Stunicam in Universitate Complutensi Theologiæ Doctorem. Hic enim adversus docti hujus Viri *annotationes in novum Testamentum* calamum suum acuit, atque aliud quoddam opusculum edidit, cui titulus: *Blasphemiæ, & impietates Erasmi &c.* In eo quasdam collegit propositiones, quæ liberiori calamo scriptæ in libris Erasmi reperiebantur, ejusque Auctorem Ecclesiæ Magistratibus exosum reddere poterant. Equidem hunc librum evulgari Leo X. Stunicæ inhibuit, factamque illius prohibitionem Adrianus VI. ejusdem Successor confirmavit, nihilominus multo post tempore hic liber clam typis editus in lucem prodiit, atque Erasmus illum confutare compulsus fuit; id etiam præstitit scripta apologia, qua ostendit, quod Stunica ei vel falsa affingat, vel veras illius opiniones siniſtra interpretatione corrumpat. Attamen elapso aliquo tempore Stunica librum, cui titulus: *Prodromus*, necnon alia duo edidit opuscula, quorum primum hunc titulum præfefert: *Conclusiones principales suspectæ & scandalosæ, quæ reperiuntur in*

in libris Eraſmi Roterodami per Jacobum Lopidem Stunicam excerptæ. Altero autem Stunica comprobatum reddidit, quod antiquus ſacri Codicis Interpres illis nævis careat, quibus eum ſcatere Eraſmus obſervavit. Extat adverſus hasce concluſiones apologia Eraſmi, qui ſub idem tempus apologeticam ſcripſit Epiſtolam, de qua hic agimus; hæc enim veluti confutatio erat poſtremi tractatus, quem Stunica evulgavit. Sæcul. XVI. A.C.1529.

§. CXXIII.

Alia Eraſmi opera adverſus Caranzam & Staudicium.

Cum Caranza affirmaret, quod Eraſmus in ſuo reſponſo vim illorum textuum, quibus Chriſti Divinitas adſtruitur, infirmaſſet, hinc Eraſmus hoc probrum diluere ſtatuit, atque apologiam, quæ in nono operum ſuorum tomo exſtat, concinnavit. Pariter Staudicius Angliæ Epiſcopus, necnon Lovanii Nicolaus Egmend Ordinis Carmelitarum & Theologiæ Profeſſor Eraſmum carpebant, quod quemdam ſacræ Paginæ locum perperam interpretatus eſſet. Hic textus reſpiciebat mortuorum reſurrectionem, de qua in Græco ita legitur: *Non dormiemus omnes ſomno mortis, ſed immutabimur omnes*, cum tamen

Eraſmus in hunc locum: Omnes quidem reſurgemus. *tom. 9. operum.*

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

men vulgatæ textus habeat: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Sequebatur Erasmus in versione sua Græci textus sensum; inde vero ejusdem Adversarii eum de pluribus hæresibus præcipue circa resurrectionem accusandi occasionem captabant: ipse vero in sua responsione ostendere nitebatur, quod textus Græci sensus optime defendi possit, proin hæc accusatio solida ratione destituatur.

1. *ad Cor. cap. 15. v. 15.*

§. CXXIV.

Lutheri opera hoc anno edita.

Spond. ad hunc annum n. 11. 12.

Hoc item anno Lutherus quædam opuscula publici juris fecit, ac præprimis ad Bremensem Præpositum Historiam eorum, quæ in Marpurgensi conventu inter ipsum & Zwinglium gesta fuere, breviter scripsit, ubi *Sacramentorum hostes multa e suis dogmatibus revocasse, id vero Lutheranæ doctrinæ Sectatoribus objici haud posse asserit, se quoque Sacramentariis concessisse* inquit, *ut, quamvis pro fratribus eos habere non posset, charitate tamen, quæ etiam hostibus debetur, non privarentur.* Scripsit insuper libellum de bello contra Turcas, *in quo sane,* inquit Cochlæus, *ita suadet bellandum esse contra Infideles, ut magis Christianos ab eo bello absterrere videatur, quam ad illud*

Cochl. in act. Luth. hoc anno pag. 200.

illud incitare. Etenim multis ibi verbis queritur, inique damnatum fuisse a Leone X. illum articulum suum: præliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos, quia non tantum omnia debemus velle, quæ Deus vult, ut velimus, sed absolute quodcunque Deus vult. *Inter multa alia etiam sic habet:* Interrogetur rerum experientia, quam prospere hactenus nobis fuerit bellum cum Turcis gerere, quando tanquam Christiani, & sub nomine Christi pugnavimus, donec tandem Rhodum, totamque pene Hungariam, atque ad hæc magnam Germaniæ partem amisimus, ut sentire ac palpare possimus, quod Deus non sit nobiscum ad bellandum contra Turcas. *Multis præterea propositionibus incessit, atque ibi calumniatur Lutherus Papam, Imperatorem, Reges, Principes, & Episcopos maxime vero Curiam Romanam.* Hucusque Joannes Cochlæus, qui etiam ex præfato Lutheri libro triginta sex propositiones ad modum Dialogi extraxit.

Sæcul. XVI. A. C. 1529.

§. CXXV.

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

§. CXXV.

Hæretici Coloniæ combusti.

Sleid. in com. l. 6. p. 200.

Tunc temporis haud adeo in fidelium animis deferbuit fidei tuendæ studium, quin in quibusdam Germaniæ urbibus Hæresiarchæ Lutheri Sectatores graviter plecterent: Cum enim Coloniæ Petrus Fliſtedius, & Adolphus Charlebachus Viri literati de Sacratiſſima Euchariſtia, aliisque fidei Catholicæ articulis erroneas traderent ſententias, hinc comprehendi jubebantur, ac demum per ſeſquiannum & amplius in carcere detenti, tandem ad rogum damnati exurebantur.

§. CXXVI.

Status Religionis in Suecia.

Joan. Levonius rerum Suec. l. 6. an. 1529.

Ceterum in Sueciæ regno, ubi vera Religio jam ferme penitus exulabat, nihil Lutheranæ hæreſis progreſſus morari poterat; quippe ineunte hoc anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono Guſtavus Rex generalia Regni comitia agebat, in quibus tanquam fidei normam Lutheri errores præſcripſit, ac ſummi Pontificis obſequium ritu ſolemni penitus excuſſit.

Habita

Habita fuere hæc comitia Orebri, quæ Sæcul. XVI.
eſt exigua Nericiæ Metropolis ad E- A.C.1529.
roſam amnem ſita, ubi pro omnibus Regni Eccleſiis communis ritus ſtabiliebatur, ac præprimis Rex nonnullos novæ Sectæ Præcones, quorum ſermonibus ipſe intererat, Epiſcopis obtrudebat, dato negotio, ut eisdem beneficia conferrent, eosque contra omnem violentiam tuerentur. Nihilominus Hæreticorum nonnulli male habebantur; quippe Scaræ in Weſtrogothiæ Provincia Epiſcopus illum Præconem, quem Rex immiſerat, fugam arripere compulit, pariter Collegii Rector, cum Evangelium S. Matthæi ſuis Diſcipulis explanare inciperet, vix non lapidibus obrutus periiſſet, niſi tempeſtive Wadſtenum Oſtrogothiæ urbem auffugiſſet. Horum tumultuum auctores erant nonnulli Gothiæ Occidentalis Proceres, qui tuendæ Religionis Catholicæ ſtudio incitati in Regem conſpirabant; verum eorum princeps Huro-Joannes dictus paulopoſt comprehenſus carceri dabatur, ex quo nonniſi poſt ſemeſtre ad preces Georgii filii ſui, qui apud Guſtavum plurimum valebat, liberatus fuit. Ceterum Sueci minus quam reliqui ab avita Religione diſceſſerunt; quippe etiamnum Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos licet conju-

Sæcul. XVI. A.C. 1529.

gatos habent, eorumque Ecclesiæ parum a nostris discrepant, nec illorum quoque Liturgia multum ab illa, quam Romana Ecclesia tenet absimilis est. Denique in præcipuis anni festivitatibus noxarum confessione sese purgant, quamvis non raro simul decem aut duodecim sese ad Ministri sui pedes provolvant, ab eo pœnitentiam recepturi. Porro Lutheri secta similes quoque progressus in Dania fecit.

INDEX

INDEX
TOMI XXXV.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ.

A.

Abbates de privilegio Confirmationem administrandi doceant. Pag. 399.
Accoltius Benedictus creatur Cardinalis. p. 283.
Alba Regalis a Turcis comburitur 141.
Albertus Archiepiscopus Moguntinus incassum a Luthero ad matrimonium sollicitatur 68.
Albertus supremus Ordinis Theutonici Magister a fide deficit, & ad Lutheri sollicitationem uxorem ducit 69.

Althamerus Andreas Lutheranus Bernenſi diſputationi intereſt 365.

Anabaptiſtæ quibusdam articulis ſuam ſeditionem honeſtare tentant 2. bellum movent 6. hæreſin ſuam diffundunt 58. a Luthero impugnantur 58. 368. puniuntur 371. novos ſectæ ſuæ articulos promulgant 530, eos Cochlæus impugnat 531.

Angeli, de iis Eraſmi ſententia, an hominibus ſuperiores ſint? 342.

Anglia hæreſis Lutheranæ periculo exponitur 84. Angli cum Gallis fœdus ineunt 206.

Anna Bolena, vide *Bolena*.

Argentinenſes Miſſæ Sacrificium abrogant 578. Eraſmum impugnant 637.

Armellinus Franciſcus, ejus opera & obitus 293.

Averſa a Cæſareis obſeſſa, captaque 455.

Auria Andreas Genuam occupat 224. in navali prælio victor 437. Gallis indignatur 442. eum Galli conciliare nituntur 444. Galli eidem inſidias ſtruunt 446. Auria relictis Gallis Cæſaris vexilla ſequitur 447. Genuam expulſis Gallis priſtinæ libertati reſtituit 460.

Auria Hieronymus creatur Cardinalis 593.

Baden-

B.

Badenſis conventus contra Zwinglium 98, ejus & Lutheri doctrina damnatur 100.
Bambergenſis Epiſcopus pacem ab hæreticis auro emere compellitur 359.
Baptiſmus, errores Zwinglii circa illum 97. erronea Eraſmi ſententia de parvulis baptizatis 305.
Barbezillus Auriam capere a Gallis jubetur 446.
Baſileenſes Sacrificium Miſſæ abrogant 519.
Baſſius Matthæus, Ordinis FF. Capuccinorum Author 164. ſummum Pontificem pro obtinenda reformatione adit 165. admittitur ad alloquium, ac inchoandæ ſeverioris diſciplinæ pro ſe ſuisque facultatem impetrat 167. a Franciſcanorum Provinciali carceri includitur 168. ejus ſocius ab eodem cuſtodiæ datur 170. is Pontificium diploma obtinet 171.
Beda Natalis Syndicus Univerſitatis Theologicæ Eraſmi colloquia damnari procurat 151. omnem operam adhibet, ut omnes Eraſmi libri damnentur 503. ab Eraſmo accuſatur 347.
Belgium Ultrajectina Provincia augetur 415. Flandris bellum nuntiatur 429.
Bellum ruſticorum 6.
Benetus ab Henrico VIII. ad Papam pro urgendo divortio mittitur 598.

Bernardus S. Auguſtini Religioſus, quædam illius propoſitiones damnantur 161.

Bernenſis Helvetiorum Pagus, ibidem Zwingliani cum Lutheranis diſputant 271. articulos condunt 272. 273. a ceteris Helvetiis de impedienda hac diſputatione admonentur 274. inchoatur diſputatio 362. 363. quidam hæretici articuli adoptantur 365, novæ Sectæ nomen dant Bernenſes 367.

Berquinus Ludovicus datam fidem violat, ac hæreſin ſpargit 147. ejus propoſitiones damnantur 148. illius libri proſcribuntur 149. Galliarum Rex ei ſuum patrocinium impendit 151. Berquinus eo abutitur 151. ad rogum damnatur 633.

Biblia Sacra, ſpuriam verſionem adornat Lutherus 85. de verſione Bibliorum erronea Eraſmi ſententia 322. damnatæ ejusdem Paraphraſes 325. ſtabilitur numerus librorum Canonicorum 380. promiſcua lectio prohibetur 398.

Bibliotheca a Matthia Hungariæ Rege collecta a Solimano comburitur 141.

Blaurerus Ambroſius Bernenſi diſputationi intereſt 364. a ſuo Abbate ad reditum incaſſum ſollicitatur 366.

Blaurockius Anabaptiſta caſtigatur 371.

Bolena Anna ſubdole Henrico VIII. Angliæ Regi corporis ſui uſum denegat, niſi eam in uxorem ſibi ſeligat 242. hujus fœminæ indoles ac mores 242. Preceyo nubere ſtatuit 243. ſed a Rege prohibetur 243. a Rege inſano amore deperitur 246. in uxorem ſeligitur 246. Volſæum Regi exoſum reddere nititur 604. 625.

Borbonius Cardinalis hæreſi in Galliis invaleſcenti obſiſtit 373.

Brentius Joannes Oecolampadium circa ſenſum figuratum impugnat 91.

Breviarium Sueſſionenſe a Pariſienſi Facultate prohibitum 635.

Bucerus Bernenſi diſputationi intereſt 364. dubius, an Luthero vel Zwinglio adhæreat 374.

Buda a Solimano capitur 533.

Bullæ de facultate alteram uxorem ducendi Henrico datæ, ſunt fictitiæ 466. 479.

Burbonius Conneſtabilis, Galliarum Rex bona eidem ablata reddere jubetur 102. arcem Mediolanenſem occupat 20. ejus avaritia 125. Bononiam invadere meditatur 190. ſui milites ſeditionem movent 191. induciis accedere renuit 192. ſuis copiis Romanæ urbis deprædationem pollicetur 192. Romandio-

lam devaſtat 194. Romam aggreditur 194. in urbem irrumpit 195. ſclopeti globo percuſſus trucidatur 197. ejus epitaphium 197.

Burgundiones Galliarum Regi ſuadent, ne datam fidem de cedenda Burgundia liberaret 115. eos confundit Lanoyus. 116.

C.

Cameracenſe fœdus Cæſarem inter & Galliarum Regem 542.

Campegius Cardinalis in cauſſa divortii in Angliam ad Henricum mittitur 472. in Angliam venit 477. fictitia eſt Bulla, quæ Campegio tradita dicitur 478. 479. ultroneam ſeparationem Catharinæ Reginæ fruſtra ſuadet 486. divortii cauſſam in Anglia diſcuti non permittit 622. Londino profectus Romam iter parat, de inſultu ſibi facto fruſtra apud Regem queritur 627.

Capito Anabaptiſta, Bernenſi diſputationi intereſt 364.

Capuccini, hujus Ordinis origo 164.

Caraffa Vincentius nominatur Cardinalis 285.

Caranza ab Eraſmo impugnatur 639.

Cardinales a Clemente VII. Papa creantur 283. 593.

Cardonna Henricus nominatur Cardinalis 285.

Carolus V. conditiones Galliarum Regi pro obtinenda ejus libertate offert 101. pacem cum eo inire paratus est 102. pacis articuli 103. a Galliarum Rege delusus 106. ad servandam fidem Regem hortatur 107. Gallus contra Cæsarem fœdus init 114. Mediolanensem arcem occupat 120. Romam capit 122. Papam ad inducias compellit 123. suum exercitum exteris copiis auget 123. Lusitaniæ Regis Filiam sibi jungit 128. pro tuenda Religione Spiræ comitia agit 132. Wormatiense edictum observari præcipit 133. contra Papæ querelas se vindicat 181. de Papa apud Cardinales queritur 183. fœderatis suis illudit 185. fœdus cum Anglis init 206. Romanæ urbis deprædationem & Papæ captivitatem deplorat 209. Papam in Hispaniam abducere meditatur 211. de Papa liberando agit 214. Volsæum pro placando Angliæ Rege sollicitat 218. oblatas a Galliarum Rege conditiones respuit 219. 221. Papæ liberationem urget 228. eundem libertati restitui jubet. *ibid.* ab Angliæ Rege vexatur 236. de Henrici VIII. proposito circa suum divortium certior reddi-

redditur 246. Ultrajectenſes rebelles coercere nititur 414. Ultrajectinam Provinciam Belgio uniri poſtulat 414. eandem a ſummo Pontifice obtinet 415. pacem cum Galliarum Rege inire fruſtra tentat 417. eidem Anglus & Gallus bellum denunciant 418. Cæſar Galliarum Regi ſuam perfidiam exprobrat 419. a Galliarum Rege ad particulare certamen provocatur 421. eundem viciſſim ad pugnam adigit 423. ad illum provocationis literas mittit 426. navali prælio devincitur 439. pacem init cum Pontifice 483. Catharinam Henrici uxorem de injuria querentem excipit 484. pacem cum ſummo Pontifice init 537. ejus articuli 538. ex Hiſpania Genuam proficiſcitur 539. ibidem cum Galliarum Rege pacem ſancit 541. hujus concordiæ articuli 541. Florentinis veniam impertitur 546. eos jubet, ut Medicæos in Principatum reponant 547. coronationis ſuæ diem deſignat. *ibid.* Placentiam proficiſcitur 549. Proteſtantum edictum Wormatienſe acceptare recuſantium Oratores excipit 549. eisdem reſpondet 551. ob eorum pertinaciam indignatur 553. Bononiam contendit cum Papa acturus 573. ibidem honorifice excipitur 574. a Papa ſalutatur 575. ad Papæ preces Franciſcus Sfortia ſuo Ducatui reſtituitur 577. 578. Ferrariæ Ducem

Ducem in Papæ gratiam revocari rogat 579. de concilio celebrando agit 580. Papæ rationibus cedere videtur 588. divortio Henrici VIII. obluctatur 596. Papam rogat, ut hanc cauſſam ad ſuum tribunal revocet 619.

Caroli Petrus, ejus propoſitiones damnantur 37. ejus cauſſa agitatur 83. in hæreſin relabitur 42. ejuſdem errores proſcribuntur 50.

Caſalius Georgius Angliæ Legatus mandata de procurando Regis divortio recipit 454. Papam adit 260. 464.

Caſtillionæus Balthaſar, in Hiſpaniis Legatus Apoſtolicus Papam liberari petit 213.

Catharina de Arragonia Henrici VIII. uxor, de ejus divortio agitur 239. de Regis propoſito Carolum Cæſarem certiorem reddit 246. obtenta diſpenſatio irritari adlaboratur 248. apud Cæſarem & Ferdinandum de injuria ſibi a Rege illata queritur 484. Monaſterium ingredi, atque a ſuo Marito avelli recuſat 485. 487. ultro ſe ab eodem ſeparare rogatur 486. judices ſibi dari petit 487. novum diſpenſationis diploma profert 488. in illius auctographum fruſtra inquiritur 489. judices ſibi datos tanquam ſuſpectos recuſat 596. diſpenſationis conceſſæ diploma fuiſſe datum comprobat 606. coram Legatis comparere jubetur 608.

com-

comparet 609. Regem perdemisse alloquitur 610. a suo Marito dolose laudatur 612. falso accusatur 614. a Rege indigne habetur 615. a Legatis ad secessum in Monasterium frustra sollicitatur 616. citata comparere recusat 618. contumax declaratur 618. usum corporis sui Arthuro marito concessisse dicitur 618.

Catharina de Borre Lutheri scortum 63.

Cattinara Mercurius creatur Cardinalis 594.

Cattinarus Cæsaris Orator Regi pro ejus libertate conditiones offert 101. Madritensi paci obluctatur 106.

Celibatus Sacerdotum 162. erroneæ Erasmi propositiones circa illum 334.

Censuræ Facultatis Parisiensis, vide *Propositiones*.

Ceremoniæ legis ac Ecclesiæ, propositiones contra illas damnantur 32. erroneæ Erasmi propositiones 331. stabiliuntur Ritus Ecclesiæ 382.

Clemens VIII. Papa cum Gallis fœdus init 112. suas copias in aciem educit 119. Columnenses in gratiam recipit 121. a Columnensibus perfidiose decipitur 122. ad arcem S. Angeli fugere compellitur 122. inducias cum Cæsare inire cogitur

tur 123. a Galliarum Rege derelinquitur 124. in Hiſpaniam ire ſimulat. *ibid.* Columnenſes caſtigat 126. bellum contra Turcas omni conatu urget 146. Matthæum Baſſium FF. Capuccinorum Authorem excipit 165. 167. eidem facultatem ſeveriorem diſciplinam ſequendi concedit 167. 170. contra Carolum V. queritur 179. a Franciæ & Angliæ Regibus deluditur 185. exinde vehementer turbatur 187. cum Neapolis Prorege inducias paciſcitur 188. pactis induciis ſuis copiis miſſionem facit 190. 192. hoſte Urbem invadente ad arcem S. Angeli confugit 199. in ſua captivitate multis ærumnis premitur 215. liberationis conditiones proponuntur 215. 216. non liberatur ob pecuniarum inopiam 217, de ejus liberatione agitur 228. 230. de liberationis conditionibus agit 233. ſub aliena veſte auffugit 234. ad irritandam Julii II. diſpenſationem circa connubium Henrici VIII. ſollicitatur 251. Angliæ Legatos excipit 252, 260. eorum poſtulata cunctatione eludit 261. Volſæo agendi facultatem dediſſe dicitur 263. Cardinales creat 283. 286. Eraſmo ſcripſiſſe dicitur 253. Ultrajectinam Provinciam Carolo V. aſſerit 416. Matrimonium Henrici VIII. diſſolvere renuit 416. Henrico diſpenſationem promiſiſſe, falſum eſt 466. a Volſæo

Volsæo ad concedendam hanc separationem sollicitatus 476. a Deputatis ad idem incassum stimulatur 471. Campegium Cardinalem in Angliam mittit 472. Cæsarem in gratiam recipit 483. Henrici Regis postulata excipit 490. per Regis Legatos ad dissolvendum matrimonium sollicitatur 491. id concedere renuit 493. Carolo Cæsari favet 494. Volsæo Monasteriorum suppressionem petenti ægre consentit 496. pacem cum Cæsare init 537. ejus articuli 538, de die, qua Cæsar coronaretur, agit 547. pro defensione Ecclesiæ Cæsaris opem implorat 549. de electione futuri Pontificis agit 571. Bononiam contendit 572. ibidem Cæsarem perhonorifice excipit 574. 575. cum eodem de variis negotiis agit 577. agit de Sfortia restituendo 577. Ferrariæ Ducem in gratiam recipit 579. Concilii celebrationem declinasse, falso accusatur 580. divortii causam ad suum tribunal revocare, a Cæsare rogatur 619. illam ad se transfert 621. 624.

Clerici Majores, quas habeant dotes, vestes &c 492. 396. Concubinarii puniri jubentur 397.

Cochlæus Joannes, Lutheri librum contra Anabaptistas scriptum confutat 20. ab hæreticis Francofordia expellitur 21. sacri-

sacrilega Lutheri molimina de excudenda spuria Sacri Codicis versione detegit 85. Bernensi disputationi interest 362. Bernensium errores impugnat 368. contra Lutherum scribit 369. Anabaptistarum errores confutat 531.

Cœmeteria, de eorum profanatione 412.

Colloquia Erasmi a Facultate Theologica damnantur 151.

Colloquium Bernense, vide *Bernenses*.

Colonienses hæresin Lutheri amplectuntur 23. obsistit eorum conatibus Archiepiscopus 24.

Columna Pompejus per perfidiam Romanam urbem hosti tradit 122. dignitate Cardinalitia exuitur 126, Papæ reconciliatur 232.

Columna Vespasianus cum Papa in gratiam redit 121. eidem dolose Romam eripit 122.

Columnenses in Papæ gratiam redeunt 121. eorum perfidia contra Papam 122. Romam occupant. 122.

Comitia Spirensia 131. 516.

Communio sub utraque specie, de ea librum scribit Lutherus 369.

Conacum, ibidem Galliarum Rex Legatos

excipit 112. fœdus contra Cæsarem init 113. illius articuli 114.

Concilium Bituricense, decreta contra Lutheri errores & pro correctione morum 401. 403. item de jurisdictione & Clericorum exemptione, residentia Parochorum, & cæmeteriis 409. 412.

Concilium Senonense Parisiis celebratum 374. illius epistola & decreta 376. decretum Synodale de Ecclesia, & ejus visibilitate 378. 379. aliud de libris Canonicis & Traditione &c. 380. & *seqq.* stabilitur S. Conciliorum auctoritas 380. decreta circa mores & disciplinam 391.

Confessio Sacramentalis impugnatur 26. 27. frequens præcipitur 393. pœnitentia injuncta persolvatur 406.

Confessio fidei a Luthero facta 360.

Confraternitates, de iis agitur in Synodo Senonensi 397. 407.

Conneſtabilis vide *Burbonius*.

Cornarus seu Cornelius Franciscus creatur Cardinalis 286.

Cortesius Paulus, ejus libri & obitus. pag. 172.

Cromvellus Regis Henrici VIII. gratiam aucupatur 633.

David

D.

David Georgius Anabaptista exilio mulctatur 373.

Dimissoriæ, quando concedendæ? 408.

Dionysius Areopagita, de eo Erasmi, & Universitatis Parisinæ sententia 343.

Disciplina Monastica a Matthæo Bassio inter Fratres Capucinos restauratur 164. disciplina Ecclesiæ reducitur 391. 396. 403.

Dispensatio, nonnulli dispensationem a Julio II. Henrico VIII. & Catharinæ datam irritare satagunt. 248.

Divortium meditatur Henricus VIII. Angliæ Rex 239. vide *Henricus VIII.*

E.

Ecclesia, circa illam erroneæ Erasmi opiniones 340. illius infallibilitas, & visibilitas stabilita 278. 379.

Eckius disputat contra Zwinglianos 99. eos devincit 100. Bernensium errores impugnat 368.

Eppendorfius dissidia habet cum Erasmo 498. caussa eidem contra Erasmum adjudicatur 501.

Eraſmus Roterodamus, Lutheri nuptias damnat 66. pariter Oecolampadii connubio illudit 63. Lutherum circa liberum arbitrium impugnat 71. hac de re libros ſcribit contra eundem 71. a Luthero convitiis proſcinditur 76. Hyperaſpiſten contra eundem ſcribit 77. ejus colloquia a Facultate Pariſina damnantur 151. propoſitiones inde deſumptæ proſcribuntur 153. Galliarum Rex Eraſmi libros vendi prohibet 155. eundem magni habet 157. in Gallias accerſere tentat 158. Eraſmus venire renuit 159. a ſummis Pontificibus laudatur 159. plurimi ejusdem libri a Facultate Theologica damnantur 305. ejusdem Paraphraſes proſcribuntur 325. contra Natalem Bedam queritur 347. a quodam Scriptore contra Univerſitatis cenſuram defenditur 349. de arctiori cum hæreticis commercio accuſatur 352. diſſidia habet cum Eppendorfio 498. eidem per latam ſententiam ſatisfacere tenetur 501. Baſilea Fridburgum ſecedit 637. adverſus Pſeudo-Evangelicos ſcribit 637. epiſtolam ad Stunicam mittit. *ibid.* Staudicium & Caranzam impugnat 639.

Epiſcopi Religioſos extra clauſtra vagantes ad reditum cogere poſſunt 409.

Eucha-

Eucharistia a Zwinglio impugnatur 86. errores Oecolampadii circa illam 91. Lutheri sententia de ea 268. de illa disputatio Lutheranos inter & Zwinglianos 561.

Excommunicatio, errores circa illam 26. 28. raro vibretur 398. 410.

F.

Facultas, vide *Propositiones*.

Ferdinandus Austriæ Archidux bellum contra Turcas parat 137. a Lutheranis præpeditur 128. Concilium celebrari, ac Edictum Wormatiense servari urget 139. ad Hungariæ Regnum adspirat 142. cæsis hostibus suis Rex proclamatur 144. Catharinam contra Henricum Maritum suum querentem excipit 484. Lutheranis sectam suam interim profiteri permittit 529.

Ferrariæ Dux ad Gallorum partes transit 227.

Festorum dierum numerus minuitur 407.

Fides, errores contra illam 148. erronea Erasmi sententia 314. 316. agitur de fide viva in Concilio Senonensi 390.

Filii, an propter Parentum delicta puniantur, 336.

Florentini, pro venia impetranda Deputatos ad Cæsarem mittunt 546. Medicæos in Reipublicæ jura reponere jubentur 547. parere renuunt 547. 579.

Fœderati cum Galliarum Rege contra Cæsarem 114. suas copias in aciem educunt 119. exercitus sui exitium 123. a Galliarum Rege derelicti 185. Gallis opem ferre negligunt 458.

Franciscus I. Galliarum Rex, eidem pro ejus libertate conditiones offeruntur a Cæsare 101. pacta init 104. libertatem obtinet 116. cum Cæsare colloquitur 107. initas conditiones servare jurato promittit 107. liber in Franciam redit 108. a Cæsare & Lanoyo ad servanda pacta incassum admonetur 107. 109. fidem datam violare constituit 170. contra Cæsarem armorum societatem percutit 113. 114; ob perfidiam a Lanoyo increpatur 116. se excusare nititur 117. Fœderatis suis opem ferre negligit 125. 127. Erasmi colloquia divendi prohibet 155. Erasmum in Gallias accersere nititur 157. Cæsari pro liberandis filiis conditiones offert 219. Lautrecum in Italiam mittit 222. a Regni Ordinibus ad violandam fidem Cæsari datam sollicitatur 237. Anglici Ordinis Equestris insignia recipit 238.

hæresi

hæresi in Galliis obsistit 374. pacem cum Cæsare inire frustra tentat 417. a Carolo Cæsare violatæ fidei postulatur 419. eundem ad singulare certamen provocat 421. vicissim ab eo provocatur 423. provocationis literas afferentem excipit 426. Angliæ Regem ad bellum Flandris inferendum concitat 429. ejus exercitus lue absumitur 441. e Neapolis Regno expellitur 456. Austriæ Archiducissæ opera suorum filiorum libertatem pacemque obtinet 538. cum Cæsare concordiam init 541. illius articuli 542.

Francofordienses Lutheri hæresin amplectuntur 20.

Fridericus Saxoniæ Elector moritur 12. Joannes Dux succedit 13.

Fronspergius Cæsaris exercitum milite Germano auget 123. fœderatis obsistit 127. Mediolanum usque penetrat 128. Borbonio Romanæ Urbis deprædationem suadet 193 pœnas sui consilii luit, ac moritur apoplexia tactus pag. 193.

Fuxus ab Henrico VIII. pro urgendo ejus divortio ablegatur 468. Regis postulata Pontifici proponit 471.

G.

Gaddius Nicolaus Cardinalis creatur pag. 284.

Galli cum Anglis fœdus ineunt 206. Lutherana hæreſi inficiuntur 373. eorum exercitus lue abſumitur 441. 449. Neapolis obſidionem ſolvere, & Averſam auffugere coguntur 452. ibidem a Cæſareis obſeſſi deditionem faciunt 455. ultimum Gallici exercitus excidium 456. a Cæſareis rurſus cæduntur 537.

Gardinerus ab Henrico VIII. pro urgendo divortio Romam ablegatur 468. Papam incaſſum ſollicitat 472. 598.

Georgius Saxoniæ Dux Lutherum objurgat 80. Haſſiæ Landgravium a Lutheri hæreſi abducere fruſtra nititur 131. a Luthero indignum in modum habetur 357. 361. paci cum Galliarum Rege ineundæ obſiſtit 418.

Genua ab Andrea Auria capitur 224. priſtinæ ſuæ libertati ab eodem reſtituitur 460.

Gonzaga Hercules, nominatur Cardinalis 284.

Gonzaga Sigismundus, Cardinalis ejus obitus 67.

Gonzaga

Gonzaga Ludovicus, Papam fugientem excipit 234.

Gonzaga Pyrrhus, eligitur in Cardinalem 286. moritur 595.

Grebellius Anabaptista castigatur 373.

Grimaldus Hieronymus, creatur Cardinalis 285.

Grimanus Marinus, creatur Cardinalis. p. 284.

Gustavus Ericon, Sueciæ Rex, Lutheri sectam in regnum inducit 277. Episcoporum auctoritatem deprimit 277. eidem Episcopi & supremus Mareschallus obsistunt 278. 281. sancito edicto Episcopis sub falso obtentu bona eripit. p, 281. aperte se Lutheri sectatorem profitetur 283.

H.

Hallerus Anabaptista Bernensi disputationi interest 364.

Hæretici Romanam Urbem deprædantur 199. insulse ad solam S. Scripturam provocant 271. erroneæ Erasmi propositiones de pœnis hæreticorum 336. bonis Clericorum inhiant 358. 360. puniuntur 371.

Helfenſteinius Comes ab Anabaptiſtis crudeliter trucidatur 9.

Henricus VIII. a Luthero ad amplectendam hæreſin ſollicitatur 81. eundem acriter objurgat 81. indignum in modum ab eodem habetur 83. Lutherus Angliam nova S. Codicis translatione inficere nititur 84. Rex eam in regnum invehi prohibet 85. Pontifici pecuniarum ſubſidia mittit 126. ad Fœderatorum bellum ſuppetias ferre recuſat 185. fœdus cum Gallis init 206. fœderis articuli poſt Romanæ urbis deprædationem mutantur 208. quædam ultra modum a Cæſare petit 217. 235. a Galliarum Rege Equeſtris Ordinis inſignia recipit 238. Divortium a ſua conjuge molitur 239. a Volſæo Cardinale ad divortium ſollicitatur 241. quo obtentu Rex utebatur 239. 241. cæco amore in Annam Bolenam fertur 242. hujus nuptias cum Perceyo impedit 243. ejus amore captus illam ducere ſtatuit 246. diſpenſationem a Julio II. obtentam declarari nullam, ſatagit 248. Deputatos Romam mittit 252. Cæſari bellum denuntiat 418. a Galliarum Rege ad bellum Flandris inferendum concitatur 429. divortium ſuum urgere pergit 464. Deputatos hanc in rem Romam

mam mittit 468. rursus a Papa dissolutionem sui matrimonii petit 490. 491. Papæ responsum 493. Scotos cum Rege suo conciliare nititur 498. divortii causſam in Anglia dijudicari petit 596. dispensationis diploma nullum declarari postulat 605. a quonam ad petendum divortium fuerit sollicitatus 612. Reginam indignum in modum habet 613. Volsæum odio habere incipit 625.

Henricus de Bavaria Episcopus Ultrajectinus hæresi ignava manu resistit. pag. 413.

Herbipolensis Episcopus pacem ab Hæreticis emere inique compellitur 359.

Hiperaspistes Erasmi contra Lutherum. pag. 77.

Hispani Romanam urbem deprædantur. p. 199.

Hochstratus Jacobus, Ord. FF. Prædicatorum, ejus elogium, opera, & obitus 295.

Hofman Melchior, Anabaptista Argentinensis 373.

Hukmeierus Anabaptista rogi supplicio afficitur 372.

Hungari

Hungari a Turcis cæduntur 140. eorum Rex occiditur 141. de ſucceſſione in Regnum contenditur 142.

I.

Jacobatius Dominicus, ejus libri & obitus 287.

Ibraimus Baſſa cum Auſtriæ Ducibus conſpirat 534.

Jejunium impugnatur 51. 26. de eo & ciborum delectu erronea Eraſmi ſententia 310. de jejunio & abſtinentia agitur in Concilio Senonenſi 383.

Imagines Sacræ, earum cultus impugnatur 59. ſtabilitur 388. laſcivæ, vel ſacris literis diſſonæ ab Eccleſiis tollantur 400.

Injuria, de illius reparatione Eraſmi ſententia 312.

Joannes Saxoniæ Elector Lutheri hæreſin amplectitur 20. 130. eandem libere profitendi jus prætendit 135. Catholicos divexat 135. a quodam calumniatore deceptus bellum in Catholicos adornat 356.

Iſabella Luſitaniæ Princeps Carolo V. Cæſari nubit 128.

Jura-

Juramentum, erronea de eo Erasmi sententia 311.

Jurisdictio Ecclesiastica a Laicis non turbetur 409.

K.

Knigthius in caussa divortii ab Henrico VIII. Romam ablegatur 250. ad alloquium admittitur 252. mandata hanc in rem recipit a Cardinale Volsæo 254. Cardinalem tit. Quatuor Coronatorum, & postea Clementem Papam adit 260. 261.

Kolbus Anabaptista Bernensi disputationi interest 364.

L.

Landgravius Hassiæ, vide *Philippus*.

Lanoyus Carolus Neapolis Prorex Cæsaris nomine Galliarum Regem ad servandam promissam fidem frustra hortatur 109. eundem ob violatam fidem objurgat 116. cum Papa inducias pacisscitur 188. moritur 229.

Laurentius Petri, Upsalensis Archiepiscopus 288.

Lautrecus in Italiam mittitur 222, quasdam

dam urbes occupat 223. Neapolin invadere cunctatur 225. Ferrariæ & Mantuæ Duces ad Gallorum partes pertrahit 227. Papam liberare tergiverſatur 231. Papæ Parmam reſtituit 235. Neapolin invadit 430. 434. Apuliam occupat 432. peſte conſumptus moritur. p. 450.

Lex Eccleſiaſtica, errores circa illam 27. 51. 161. ſtabilitur poteſtas Eccleſiæ leges ferendi 382.

Lex Vetus, erronea Eraſmi ſententia circa illam 317.

Liberum arbitrium a Luthero impugnatur, & ab Eraſmo defenditur 71. in Concilio Senonenſi ſtabilitur 389.

Librorum impiorum, necnon promiſcua S. Codicis lectio prohibetur 398. 404.

Lincopinenſis Epiſcopus Regi hæreſin Lutheranam inducere molienti reſiſtit 279. in Poloniam profugere compellitur 282.

Ludovicus Hungariæ Rex in prælio occumbit 141. ejus corpus Albam Regalem translatum ibidem ſepelitur 142.

Ludovicus in reſtauranda Capuccinorum diſciplina P. Matthæi Baſſii ſocius 170. a Papa diploma conventus erigendi obtinet 171.

Luſi-

Lusitaniæ Regis filia Carolo V. jungitur 128. in Hispanias venit a Cæsare excepta 129.
Lutherus Rusticos ad seditionem commovet 1. hanc seditionem aliquibus suadet, aliis dissuadet 4. Anabaptistas impugnat 18. sacrilegum init connubium 63. Melanchtonis sententia de eo 64. ad sui sceleris imitationem Sacerdotes & Monachos 65. & Archiepiscopum Moguntinum 68. necnon Ordinis Teutonici Magistrum sollicitat 69. circa liberum arbitrium contra Erasmum disputat 71. insana ejus rabies etiam Melanchtoni displicet 75. Erasmum impugnat edito libro convitiis pleno 76. ab eodem refellitur 77. dolosam epistolam ad Saxoniæ Ducem scribit 79. ab eodem objurgatur 80. Angliæ Regem ad hæresin in regnum suum invehendam sollicitat 81. acriter ab eodem reprehenditur 81. propterea insano furore in eum debacchatur 83. nova Sacri Codicis translatione Angliam hæresi sua inficere incassum molitur 84. præsentiam realem in Eucharistia propugnat 92. insulse de hoc gloriatur 95. Transsubstantiationem negat 95. in Spirensibus comitiis suæ sectæ amorem instillare nititur 136. suos Sectatores vexari non patitur 136. Monachis sua eripi suadet 137.

137. dissensiones habet cum Zvvinglianis 265. ob hæc dissidia turbatur 267. monstrum ubiquitatis enititur 268. sordidam Landgravii Hassiæ avaritiam laudat 360. Zvvinglium & Anabaptistas impugnat 368. Lutheri doctrina Ultrajectenses ad seditionem concitat 413. an Marpurgensi colloquio interfuerit 561. quosdam libros in vulgus spargit 640.

Lutherani edicto Wormatiensi obtemperare renuunt 133. Monachorum Monasteria minui petunt 134. Religiosis exemptiones aufferri postulant 134. suam sectam profitendi libertatem eis concedi falso sibi persuadent 139. bellum contra Turcas præpediunt 138. 139. cum Zvvinglianis dissidia fovent 265. 355. in Lutheranos inquiri jubetur 404. *Protestantes* vocantur, & quare? 529. interim Sectæ suæ inhærendi libertatem extorquent 529. Edicto Wormatiensi obluctantur 549. 553. a Cæsare repulsam ferunt 551. cum Zvvinglianis dissidia fovent 555. 560. Smalcadiæ congregantur 569. fœdus ineunt contra Cæsarem 570. quidam Coloniæ castigantur 642.

M.

Madritum, ibidem de conditionibus pro obti-

obtinenda Galliarum Regis libertate agitur 101. Madritenſis pacis articuli 103.

Magdalena, quot dentur? 29.

Mantuæ Dux ad Gallorum partes tranſit 227.

Manzius Anabaptiſta mulctatur 371.

Marcellus Chriſtophorus ejus opera & obitus 175. librum de Ritibus Eccleſiæ divulgat 176. eidem lucubrationi obſiſtit Pariſius de Graſſis. *ibid.*

Margarita Auſtriæ Duciſſa pro Galliarum Rege liberando plurimum ſollicita eſt 535. fœdus init. *ibid.*

B. V. Maria, erroneæ Eraſmi opiniones circa illius vitam 341.

Marpurgenſe colloquium inter Lutheri & Zwinglii Sectatores 560. re infecta diſſolvitur 566.

Matrimonium, erronea circa illud Eraſmi ſententia 313.

Medicæus Alexander Cardinalis cum Cæſare agit de coronationis die 547.

Medicæus Hyppolitus, creatur Cardinalis 593.

Mediolanum, cives ab Antonio Leva immodicis exactionibus premuntur 461.

Melanchton Lutheri connubium non approbat 64. Lutheri rabiem damnat 75. ob diſſidia inter Lutheranos & Zvvinglianos turbatur 267. turpem quæſtum Landgravii Haſſiæ damnat 360. realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia propugnat 558.

Mendicantes, eandem cum Parochis abſolvendi poteſtatem habent 399.

Merita impugnantur 62. 148. erroneæ Eraſmi propoſitiones 327. 329.

Meſgretus Amadæus, ejus propoſitiones damnantur 24.

Miſſa, varii errores circa illam 30. 52. 61. Parochialis in Dominicis præſcribitur 393.

Moguntini hæreſin Lutheri amplectuntur 23. Archiepiſcopus pacem ab hæreticis auro coemere, turpiter compellitur 359.

Monaſteria, agitur de vita Religioſorum, & de recipiendis Monialibus ad Monaſteria 396. 397.

Moncada pacem Papam inter & Columnenſes conciliat 121. Papam ad inducias compellit 123. defuncto Lanoyo Neapolis Proregi ſubrogatur 229. Papæ liberationem impedit 231. pro Pontificis liber-

libertate conditiones proponit 233. navali prælio Gallos invadit 437. occiditur 438.

Montmorentius Auriæ infensus 445.

Moronus Mediolanensis Cancellarius suam libertatem auro redimere compellitur 125. in Papæ gratiam redit 232.

Mors Christi Domini, erronea circa illam Erasmi sententia 308.

Morus Thomas, Volsæi loco Cancellarius nominatur 630.

Mugacienſe prælium, in eo a Turcis profligantur Hungari 140.

Münzerus Rusticos ad bellum concitat 7. 12. ejus crudelitas 14. capitur 15. 16. capite plectitur 16. hæresin suam ejurasse dicitur 17. ejus caput hastæ infixum exponitur. *ibid.*

N.

Nadastius celeberrimus Hungaricæ prosapiæ Comes ac decus strenue Budam propugnat 533. ejus virtus etiam ab hoste laudatur 534.

Navarrus Petrus, moritur 453. varia de ejus morte opinio 454.

Numalius Christophorus Cardinalis, ejus obitus 505.

O.

Obsides, duo Galliarum Regis Filii Imperatori dantur 103. 108.

Oecolampadius ad Lutheri exemplum sacrilegas init nuptias 67. ab Erasmo explo-ditur 68. Eucharistiam impugnat 91. refellitur a Lutheranis 91. 265. Bernensi disputationi interest 364. ejus sententiæ Melanchton obsistit 558. Marpurgensi colloquio interest 561.

Officium divinum, qua ratione peragendum 394. 407.

Olaus Petri, Lutheri Sectator, hæresin in Sueciam inducit 277. Episcopis bona sua auffert. *ibid.* aperte se hæreticum profitetur 282. Stockolmiensis Episcopus nominatur 283.

Opera bona, Erasmi errores circa illa 329. vindicantur 390.

Oratio vocalis, erroneæ Erasmi propositiones circa illam 332.

Oratio pro defunctis stabilitur 387.

Oratoria privata erigere prohibentur 394.

Ordo,

Ordo, præscribuntur leges pro ordinandis Presbyteris 392. 408.

P.

Packius Otto, dolose inimicitias inter Catholicos & Lutheranos concitare nititur 357, de crimine falsi convictus perit 358.

Pallavicinus Bernardus Pontifici suadet, ut ad arcem S. Angeli confugeret 200.

Palmerius Matthæus, creatur Cardinalis 285.

Papa, ejus Primatus ab hæreticis impugnatur 148.

Pappadoca Sigismundus nominatur Cardinalis 286.

Paris de Grassis, libros de Ecclesia ritibus passim divulgari ægre fert 176.

Parochi residere jubentur 393. 412. quid populo prædicent 405. 406. semel in anno visitent, non tamen exemptos 408.

Possevinus Cardinalis moritur 594.

Paulus S. erronea de illo Erasmi propositio 342.

Pax, Hassiæ Landgravius inique Catholi-

cos compellit, ut illam auro coemerent 358.

Peccatum originale, errores Zwinglii circa illud 97. erroneæ Eraſmi propoſitiones 335.

Perceyus Nobilis Annæ Bolenæ connubio promiſſus 243. eam ducere ab Angliæ Rege prohibetur 244. tandem cedit. 245.

Peſtis Romæ graſſatur 215. Gallorum exercitum abſumit 441. 449.

Petrus S., erronea Eraſmi opinio de ille 342.

Pfeifferus Ruſticos ad bellum contra Magiſtratus concitat 8. capite plectitur 16. hæreſi ſuæ immortuus perit 17.

Philibertus Arauſiæ Princeps, ſupremus Cæſarei exercitus Dux Gallis reſiſtit 433. cum Moncada diſſenſionem habet 435. victor Averſam ingreditur 456.

Philippus Haſſiæ Landgravius Lutheri hæreſin amplectitur 131. ſectam ſuam profitendi libertatem a Cæſare petit 134. ab Impoſtore deceptus bellum in Catholicos parat 356. ſordide ab iis pecunias extorquet 358. turpem hunc quæſtum Melanchton damnat, Lutherus commendat 360. fruſtra Lutheranos cum

cum Zwinglianis componere nititur 562. 564. 566. Smalcaldiæ fœdus contra Cæsærem paciscitur 569.

Ponzeta Ferdinandus Cardinalis moritur 291.

Pouent Jacobus, ejus liber contra Purgatorium, & Missas damnatur 59.

Pratus Antonius, creatur Cardinalis 285. apud Senonenses celebrat Concilium. p. 375.

Preces pro defunctis vindicantur 387.

Prædicatores, eorum dotes 399.

Præsentia realis in Eucharistia a Luthero propugnatur 92.

Propositiones circa confessionem 25. 28. horas Canonicas 26. censuras. *ibid.* vota & leges Ecclesiasticas damnantur 27. circa Missam, Sabbatum, cælibatum, aquam benedictam, & Ecclesiæ cæremonias proscribuntur 30. 33. circa Scripturam S., leges Ecclesiasticas, jejunia, Missam &c. censura notantur 50. 59. 62. 148. 161. circa Sanctos damnantur 162. configuntur sententiæ Erasmi de Baptismo, jejunio, juramento &c. 305.

Protestantes vocantur Lutheri Sectatores, & quare? 529.

Psalmodia, vide *Officium Divinum.*

Puccius Cardinalis equo per pontem raptatur 205.

Purgatorium impugnatur 59. stabilitur in Concilio Senonensi 387.

Q.

Quæstores, quinam admittendi sint 399. sine Episcopi licentia indulgentias non prædicent 405.

Quignonius a Cæsare pro liberando Papa mittitur 228. creatur Cardinalis. p. 286.

R.

Raymundus Vich Cardinalis, ejus mors & elogium 66.

Reformatio Lutheri adulterina, Rusticorum 1. & Ultrajectensium seditionem caussat 413.

Religiosi, quæ contra eos hæretici petere soleant? 134. 137. eorum habitus ab Erasmo irridetur 331.

Residentia Parochorum præscribitur 393. 412.

Roma a Columnensibus ex insidiis capitur 122. a Borbonii militibus deprædatur 199.

Rustici

Ruſtici ſeditionem contra Magiſtratus movent 1 eorum poſtulata 2. in Suevia conſilium a Luthero petunt 4. eorum bellum 6. Franconiam devaſtant 9. profligantur. *ibid.* in Alſatia cæduntur 10. 14.

S.

Sabbatum, propoſitiones erroneæ circa illud damnantur 31. 34. erroneæ Eraſmi propoſitiones 340.

Sacramenta, numerus eorum ſtabilitur in Concilio Senonenſi 385.

Sacrificium Miſſæ, errores circa illud damnantur 31. ſtabilitur in Concilio Senonenſi 386. Argentinæ & Baſileæ abrogatur 518. 519.

Sancti, eorum cultus impugnatur 50. 62. ſtabilitur 388.

Sanſeverinas Antonius, nominatur Cardinalis 285.

Satisfactio, de ea agitur in Concilio Senonenſi 387.

Scaramutia Trivultius Cardinalis moritur 289.

Schwenkfeldiani 372.

Schuch Wolfgangus, ejus propoſitiones damnantur 30.

Scotia, Jacobus V. hujus Regni Rex 496.

Senonenſe Concilium, vide *Concilium*.

Senſus figuratus Zvvinglii 88.

Sforția Franciſcus arcem Mediolanenſem Borbonio dedere cogitur 120. ad Papæ preces Ducatui ſuo reſtituitur 577. 578.

Smalcaldia, ibidem Lutherani fœdus contra Cæſarem ineunt 555. 569.

Solimanus Turcarum Imperator, Hungaros cædit 140. Budam capit 533. Viennam obſidet 534. obſidionem cum ingenti ſuorum clade ſolvere cogitur 535.

Spinola Auguſtinus creatur Cardinalis 284.

Spira, ibidem comitia aguntur 131. de negotiis ibidem propoſitis 132. ob petulantiam Principum hæreticorum diſſolvitur 135. ibidem duo neſandi libelli per Lutherum ſparguntur 136. alia comitia in Religionis negotio celebrata 516. decretum circa Wormatienſe edictum 520.

Staphilæus ab Henrico VIII. pro urgendo divortio Romam ablegatur 468.

Stauditius ab Eraſmo impugnatur 639.

Studerius diſputat pro Zvvinglianis 99.

Stunica Eraſmum impugnat 637. Eraſmus eidem ſcribit 637.

Suecia,

Suecia, novis Lutheri erroribus inficitur 277. Episcoporum auctoritas deprimitur. *ibid.* quidam Episcopi constanter perseverant 279. tandem cedunt 281. Episcopis sub falso obtentu bona eripiuntur 282. turbidus Regni status 642.

Suffolciæ Dux Papæ Legatos indigne habet 623.

Symbolum Apostolorum, erronea de illo Erasmi sententia 321.

T.

Testamentum, de Scriptoribus novi testamenti erroneæ Erasmi opiniones 319. 839.

Theutonici Equites, eorum Magister uxorem ducit 69.

Theologia Scholastica, ab Erasmo contemnitur 345. 347.

Traditiones stabiliuntur in Concilio Senonensi 381.

Tregarius Conradus, in Bernensi disputatione realem præsentiam Christi Domini in Eucharistia propugnat 364. ab hæreticis silere jubetur 365.

Truchsesius Comes rebelles rusticos profligat 9.

Turcæ

Turcæ, bellum contra eos paratur 137. illud Lutherani præpediunt 138. Hungaros profligant 140.

Turcio Hanſonius ſupremus Sueciæ Mareſcallus Regi hæreſin inducere molienti reſiſtit 281. tandem & ipſe cedit. *ibid.*

Turnonius Cardinalis Biturigibus Concilium celebrat 401.

U.

Ubiquitas, hoc monſtrum a Luthero progignitur 263.

Valdemontius Comes Ruſticos rebelles profligat 10.

Veneti cum Galliarum Rege fœdus ineunt contra Cæſarem 114, ſuas copias in aciem educunt 119. a Cæſare bello invaduntur 185. captum Pontificem liberare nituntur 205.

Vienna a Solimano obſidetur 534.

Ultrajectenſes Lutheri ſecta animati ſeditionem concitant 413.

Volſæus Cardinalis Henrici VIII. cliens, a Cæſare ad placandum Regem ſollicitatur 218. Franciæ Regem adit 220. cum eodem fœdus init 221. Angliæ Regem ſollicitat, ut ſe a ſua conjuge ſeparet 239. 241. prohibet, ne Anna Bolena Perceyo

ceyo nubat 243. divortium apud Papam ſollicitat 251. hac ſuper re Caſalium Angliæ Legatum inſtruit 254. a Papa agendi facultatem accepiſſe dicitur 263. Papam ad permittendam diſſolutionem ſollicitat 471. eum pœnitet, quod Henrico Regi divortium ſuaſerit 475. Regis gratia excidit 476. Pontificis clementiam implorat 476. plura Monaſteria pro ſuo Collegio abolet 495. Regis gratia excidit 603. a Regina increpatur 616. 625. judicii acta in eum inſtruuntur 629. Cancellarii dignitate exuitur 630. bonis ſuis ſpoliatur 630. Palatio ſuo excedere jubetur. *ibid.* ejus cauſſa in Regis Senatu dijudicatur 632. accuſationum capita in eum delata 632.

Vota Monaſtica propugnantur 384.

W.

Wimphelingus Jacobus, eius opera & obitus 506. 509.

Wormatienſe Edictum obſervari præcipitur 132. obluctantur Proteſtantes 133. nova de illo controverſia 520. quidam Principes eidem obluctantur 522. his quatuordecim Imperiales civitates accedunt 527.

Zapolus

Z.

Zapolus Tranſylvaniæ Præfectus Hungariæ Rex eligitur 141. profligatur 142. in Poloniam auffugere compellitur 145.

Zwinglius Euchariſtiam impugnat 86. librum edit de vera & falſa Religione 87. a dæmone ſenſum figuratum in Euchariſtia edocetur 89. ejus errores circa Baptiſmum & peccatum originale 97. in Badenſi conventu diſputat 99. diſſidia habet cum Lutheranis 265. 355. ipſemet Bernenſi diſputationi intereſt 364. ibidem perorat, & quosdam articulos promulgari curat 365. cum Lutheranis Zwingliani contendunt 555. 560. eorum errores 562.

ERRATA *sic corrige:*

Pag.	17.	redierint, -	- redierit.
	146.	Ladislai -	- Ludovici
	149.	cenuit -	- cenſuit
	159.	vindicatur,	- vindicantur
	180.	inerat -	- inierat,
	186.	arctiorum -	- arctiorem
	198.	unice -	- unica
	235.	deducebaat	- deducebant.
	359.	ſubditis -	- ſubditos
	370.	deberet -	- deberent
	522.	ditioni -	- ditionis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOM. XXXV.

Th
5178